BIBLIOTECA NAZIONALE
DI
TORINO

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO
Fc.
u
7
Filol. Comp. Class.

Digitized by Google

W

H

Ma

C

amtu

JO. GEORGII

WALCHII HISTORIA [redacted]C A

Latinæ Linguæ.

E D I T I O   N O V A

Multis acceſſionibus Auctior.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO

BIBLIOTECA NAZIONALE DI PALERMO
ANNULLATO

C O L O N I Æ

umtu ANDREÆ CHEVALIER.

cIↄ Iↄ ccXXXIV.

Est S. Martini de Scalis
Cong. Casinensis
Orago 1515

Giovanni Moncada

R. BIBL

Biblioteca Nazionale di Torino

...no della Bib...oteca Naz... Palermo
Maggio 1904

VIRO CELEBERRIMO

JACOBO FACCIOLATO,

Philologo Patavino

S. P. D.

Jo. Georgius Walchius.

Multa debeo ſumme reverendo Abbati JO. FABRICIO, *quod mihi favorem tuum elegantiori muſæ ſuaviſſimum conciliaverit. Nec ipſe obſcure animum tuum erga me prolixum & propenſum teſtatus es, quod non parum delectavit me, quum juvat, ab eo viro amari, qui ſtudet morum innocentiæ, quam pauci cum litterarum ſtudiis conjungunt, & ſaluti elegantioris doctrinæ magis confirmandæ mirifica voluntate favet. Exuerem omnem humanitatis notam, niſi ſtudio-*

rum meorum, quibus in te & dignitatem tuam tuendam amplificandamque feror, ſincera ſigna exhiberem. Igitur accipe hoc documentum, id eſt fetum levioris ingenii mei, clariſſimo nomini tuo inſcriptum dedicatumque, cujus non nobilitatem, qua caret; ſed auctoris voluntatẽ ut reſpicias, velim. Videbis ex iſto, quod ejusmodi rationem politioris doctrinæ ſtudiorum inierim, ut iſta conjunxerim cum philoſophiæ litteris: quod cultus inſtitutum te probaturum eſſe, minus dubito, quum ipſe ſatis ſuperque cognoverim, te operam & laborem tuum litteris his reformandis & philoſophiæ, quæ fundamentum eſt omnium ſuperiorum diſciplinarum, beneficio perpoliendis addixiſſe. Sane bonum virum decet, veritati invigilare, nec pravis animi ſui cupiditatibus, quæ graviſſimum veræ ſapientiæ impedimentum ſunt, aliquid dare; ſed litterarum cultura morbis & corporis & animi parare medicinam, nec vanæ laudis & gloriæ cumulos captare. At Deus te ſervet per multum tempus, qui ſit unica regula & norma omnis litteraturæ noſtræ. bene vale. Lipſ. d. XXX. Mart. MDCCXVI.

PRÆFATIO
NOVA
AD
LECTOREM.

ITerum hiſtoria critica latinæ linguæ curis poſterioribus emendata, multisque acceſſionibus aucta in publicam exit lucem : quid nova hac editione acceſſerit , aut fuerit immutatum , tibi , lector benevole , breviter indicabo . In tot ingeniorum proventu , quæ bonis litteris ornandis ſe addicunt: in tam ſingulari illorum induſtria , qua ſemper aliquid meditantur atque ad incrementum muſarum amplificandum juris publici faciunt , hiſtoria litteraria tam fœcunda eſt , ut qui argumentum , quod ad illam ſpectat, explanavit, illud poſthæc augendi ac copioſius illuſtrandi , ampliſſimam ſemper habeat mate-

riam. Ita accidit, ut hiſtoria latinæ linguæ multo auctior nunc, quam priori editione prodeat, utque enarratio ſcriptorum, qui ad ſtudia linguæ hujus promovenda acceſſerunt, jam multo ſit copioſior, quum non ſolum quæ a me in priori induſtria fuerant omiſſa ac neglecta, adjecerim; verum etiam quæ poſt primum vulgatam hanc hiſtoriam in hoc litterarum genere ſunt geſta atque edita, diligenter obſervaverim. Haſce haud exiguas acceſſiones ipſe videbis, ubi ſingulas ſectiones libri hujus, prout nunc oculis tuis ſubiiciuntur, perluſtrare, ac cum illis in priori editione velis contendere. Sic obſervabis in primo capite, quod de *origine & fatis latinæ linguæ* exponit, quod rationem latinitatis cum veterum chriſtianæ religionis doctorum, tum juris conſultorum explanaverim, de qua ante nihil dictum erat; quodque barbaries latini ſermonis, qui media ætate in uſu erat, fuerit probata, indexque ſcriptorum hiſtoriæ romanæ linguæ auctus. Capite tertio nunc ſimul egi de præſtantia latinæ linguę, ita ut poſtquam auctores de hoc argumento recenſui, controverſias hac de re agitatas commemoraverim; atque diver-

verſitate ſtudiorum, quibus alii linguæ nimium, alii parum adtribuant, obſervata, quid heic pro vero atque æquo pretio ſit amplectendum, ſignificaverim. At præter cæteras illæ ſectiones, quæ in ſe continent hiſtoriam *grammaticarum, ac lexicorum latinorum*, auctiores adparent. In iſta enim, quæ illuſtrat caput de grammaticis, inter alia uberius diſſerui de ſcriptoribus litterarum romanarum: pronuntiationis latinæ linguæ, præcipue orthographiæ romanæ, in cujus hiſtoria nec controverſias de fundamento recto ac ſolido hujus orthographiæ, de ſcriptura vocum quarumdam, de ſignis diſtinctionis, de apicibus atque aliis hujusmodi capitibus intactas reliqui. In ſectione autem, quæ ſequitur de lexicis latinis, nunc non ſolum diſtinctius, verum etiam fuſius recenſentur, qui ſcripſerunt lexica etymologica, nomenclatores, gloſſaria latina, lexica philoſophica: qui expoſuerunt de copia ac particulis latinæ linguæ, deque phraſibus veterum auctorum: qui denique explicarunt proverbia latina. Caput de *lectione ſcriptorum latinæ linguæ* auxi obſervationibus de interpretatione horum

rum auctorum, in quibus adminicula ſignificavi, quibus adjutus interpres veterum hiſtoricorum, philoſophorum, ac poëtarum munere ſuo rite poſſit fungi. Eædem acceſſiones factæ ſunt in enarratione *editionum veterum ſcriptorum*, præſertim eorum, qui recentiori ævo laudem cultioris ſtili latini conſecuti, exempla eleganter formandæ orationis imitanda reliquerunt, ubi de illorum latinitate, ſtilo, ſcriptis fuſius ediſſerui, variaque de iſtis eruditorum virorum judicia adjeci. Idem præſtiti in explanatione doctrinę de *imitatione*, quam hiſtoria illius nunc auctam inveniet lector ac videbit, quomodo veteres Romani ſtudia ſua in imitatione Gręcorum auctorum poſuerint: quid ſit actum de Ciceronianis, ſive quorumdam ſervili Tullium imitandi lege: quive ſint ſcriptores de imitatione cum generatim, tum ſpeciatim Ciceronis. Ita ſingulas ſectiones prioris editionis reddidi copioſiores auctioresque: at non ſolum hoc præſtiti; ſed quoque duo nova capita adjeci, quorum alterum exponit de *criticis latinis*, cujus explanatio eo ordine eaque ratione inſtituta eſt, ut hiſtoriam artis criticæ illuſtret, diverſos illius au-

cto-

ctores commemoret,ac recenſeat obſervationes criticas, quæ cum conjunctim in Gruteri theſauro, tum ſeparatim poſtque hoc Gruteri opus in lucem prodierunt publicam. In altero viam aperui ad varia ſtili exercitia, variationem, verſionem, carminis ſolutionem, ſtili mutationem, emendationem: quibus expoſitis, contuli me ad diverſa orationis genera ac monſtravi, quid cultor ſtili latini terſioris obſervare debeat in conſcribendis hiſtoriis, epiſtolis, orationibus, dialogis, inſcriptionibus, programmatibus, diſputationibus, atque integris libris.

Hæc eſt princeps ratio acceſſionum: at nec in hoc mea induſtria, quam ad hanc editionem ornandam contuli, adquievit. Prodit non ſolum auctior; ſed etiam emendatior: quocirca multa fuerunt immutata, ubi vel ſermonis genus ac ſtili rationem majorem cultum; vel ipſas res ac de iſtis ſententias accuratius ſtudium poſtulare vidi. Quodvis ſane opus, quum ad perpoliendum illud curæ poſteriores adhibentur, efficitur ac prodit politius, quum per majorem ſcientiæ adparatum limatiusque judicium quæ vel vitioſa ſunt, vel minus

per-

perfecta, emendantur ac redduntur perfectiora. Poſtquam igitur haud quidquam prætermiſi, quod ad editionem hanc augendam, ornandam atque emendandam aliquid adferre ſum arbitratus, partes meas rite me impleviſſe exiſtimo, atque in ſpem venio, fore, ut hæc nova editio, quo præſtantior eſt priori, eo majorem illorum, qui has elegantiæ ejusque romanæ litteras amant ac promovent, favorem ſibi conciliet. Tu autem lector benevole, vale.

PRÆ-

PRÆFATIO VETUS.

SÆpe illis, qui muſarum ſtudiis operantur evenire ſolet, ut evitata charybdi incidant in ſcyllam; ſive ut lubentius dixerim, vitare quum ſtudent unum malum, in gravius aliud diverſum ſe ſe conjiciant: id quod experientia & exemplis compertum eſt, ſive ad litterarum indolem, ſive ad culturam earum, ſive ad diverſa quoque ingeniorum genera, quæ doctrinarum diſciplinis ſuam addicunt operam, & orbis litterati felicitatem conſervare eamque in altius evehere faſtigium adnituntur, advertamus animum. Teſtantur in hanc rem controverſiæ de rebus ſacris: † juris atque æqui ſcientiæ, quarum cultoribus quum Juſtinianus fuit in magno & religioſo ſtudio admirationis, poſthæc totus eſt contemtus & abjectus: inprimis vero philoſophicæ muſæ ſtudia, quibus pauci certos & juſtos fines terminosque conſtituunt, & modo juſto majorem libertatem ac licentiam cogitandi ſibi largiuntur; modo gravius ſervitutis ſentiendi jugum animo ſuo imponunt. Idem evenit elegantioribus litteris: ſunt, qui ſtudiis hiſce

† Hiſtoriæ eccleſiaſticę intelligentiſſimi viri id oſtenderunt, *Valleſius*, *Eurbeſius*, præſertim *Jo. Fabricius* in *amanit. theologic.* p. 232.; adde *J. C. Wolfii obſervat. ad Caſaub.* p. 298.

ſce nunc deferunt primas, quippe quæ cunctis ceteris non ſolum ornamentum dent, ſed præſidium etiam & ſtabilitatem adferant: nunc deſpiciunt iſta & ſiniſtre de illis & eorum dignitate judicant. Rei hujus exemplum habemus in diverſis latinæ linguæ ſtudiis: quod enim ad linguæ hujus dignitatem adtinet, dantur omnino, qui illi tuendæ amplificandæque ita addicti ſunt, ut iſtam omnibus aliis non ſolum præferant; ſed eos quoque, qui haud puro nec emendato ſermonis genere utuntur, ex eruditorum cenſu ejiciendos eſſe putent. *Joachimus Fortius Ringelbergius gloriam latine & polite ſcribendi, inter humanos conatus omnes ſummum tenere locum*, adfirmat, *ſeque decreviſſe*, addit, *in hac finire vitam*: † & *Melchior Inchofer* exiſtimavit, *beatos in Cœlo latine locuturos, & Chriſtum latine interdum locutum eſſe*. †† Hujuſmodi linguæ romanæ patroni & fautores varia cumulant argumenta, quibus gloriam ejus atque auctoritatem confirmari atque illuſtrari poſſe, ſibi perſuadent. Provocant ad vetuſtiorem illius majeſtatem, quæ tanta fuerit, romano imperio per orbem ſe proferente, ut neque græco ſermoni, qui

† Vid. celebr. *J. F. Buddei ſelecta juris nat. & gentium* p. 333. exerc. de *cultura ingenii* cap. I. §. 19.

†† Cap. 2. & 4 lib. V. *hiſtoriæ ſ. latinitatis*, quam ſex libris abſolvit. I. agit de origine & vario progreſſu latinitatis: II. de cauſſis declinantis latinitatis: III. de cultu linguæ vulgaris: IV. de majeſtate linguæ latinæ: V. de ſanctitate linguæ latinæ: & VI. de variis variorum inſtitutis circa linguam latinam, Mon. MDCXXXVIII.

qui primas tenuerit, deinceps quidquam conceſſerit: ſub Cæſaribus omnino longe lateq ue uſum ſuum diſſeminavit, & in Hiſpania, Gallia, Africa, Britannia non minus, quam in ipſo Latio & Italia floruit, ſcholis etiam ubique inſtitutis, in quibus rhetores latini romanam eloquentiam provinciales edocerent. *Olaus Borrichius* ait: † „ dulcis cenſetur Gallica, „ arguta Britannica, Hiſpanica & Italica graves, maſcula & minax Teutonica, ut ceteras hic præteream; nulla tamen in his omnibus virtus eminet, quæ in latina non ſit eminentior, toroſior, conſpectior. Pertinet & ad gloriam latinæ linguæ, quod eam ſalutifera crux nobilitarit, quas laudes licet participet cum ebræa & græca; alia tamen dote eaſdem ſuperat, quippe univerſitatem generis humani latius informat inſtruitque, ut beneficia a cruce ſalvatoris pendentia per orbem terrarum didantur proclivius"; & paucis interjectis pergit: „ taceo nullam artem nobiliorem eſſe, nullam ſcientiã nullũ philoſophandi, machinandi, ingeniique elimandi ſtudium, quod ab hac non lumẽ, non robur, non cultum, elogiumque politũ acceſſat". Addunt alii, quod ſub imperio romano adhuc ſtante, quamvis diſtracto, plures nationes & gentes ſocietate latinę linguæ utcunque contineantur, quæ unius imperii civium commune vinculum ſit: quæ hujus rei

b pu-

† Orat. de *ſtudio latinitatis puræ* to. II. *diſſ. ſeu orat. acad.* p. 153. adde doctiſſimi J. *V. Gravinæ* elegantiſſimum dialogum *de lingua latina* in *opuſculis* ejus Romæ editis pag. 59. ſeq.

publicæ conditoribus & primis rectoribus patria fuerit: qua leges & jura deſcripta ſint: qua denique, ſi non ipſa divina oracula, ſtudia tamen ſacrarum litterarum & artium omnium ad noſtrā memoriam propagata ſint & adhuc in ſcholis noſtris inculcentur poſterisque tradantur. † Ex quibus omnibus duo conſequuntur, ut primum romana lingua majori uſa fuerit fortuna, quam reliquæ, quarum uſus neque tamdiu conſervatus ſit, neque tam late propagatus: deinde cognitio ejus majorem utilitatis fructum præbeat. At vero munus hoc fortunæ indolem latinæ linguæ minus reddit nobiliorem, quum linguæ ſua natura ſint inter ſe æquales: †† multo minus utilitas, quā adfert cultoribus ſuis, neceſſitatē quamdam cognoſcendi iſtam progignit; aliud enim eſt utile, aliud neceſſarium: poteſt quis ad eruditionem & ſapientiam adſpirare & ſine latinæ linguæ auxilio res ſacras, juris ſcientiam ac philoſophiæ doctrinas cognoſcere, quamvis feliciorem harum litterarum culturam poſsit ſuſcipere, ubi cognitione linguæ hujus ſuum impleverit pectus; namque romanæ linguæ imperitus latina monimenta haud poteſt adire, nec ex illis colligere, quæ bona ſunt & jucunda. Adhæc nulla diſciplina eſt, quæ ita per gentes & nationes famam profert, ac ſtudium hujus linguæ: hæ latinæ diſciplinę alæ ſunt, quibus compoſita monimenta ſe prove-

† Vid. *Gothofr. Vockerodti* diſſ. de *recta & antiqua eloquentiæ maxime latinæ ratione* cap. VI. §. 2. p. 49.

†† Conf. *Chr. Thomaſii cautel. circa precogn. juriſpr.* cap. VII. §. 29.

vehunt & exteris ſe commendant, ſine quibus haud longius, aut ultra fines patriæ propelli facile poſſunt ac gravitate quaſi ſubſidunt.

Ab his, qui linguæ latinæ præſtantiam atque integritatem honorifice atque ornate prędicant, diſcedunt alii & culturam illius, ſaltem purioris aut deſidia negligunt, aut proterve plane contemnunt, veluti homini ſuperioribus ſtudiis intento inutilem: amant libertatem cogitandi, quam & nos omnibus philoſophię ſanioris alumnis commendamus, ſiquidem extra terminos rationis haud egrediatur: amant libertatem loquendi; qua autem nihil nobis videtur eſſe abſurdius. Id, quod linguæ cujusdam eſt, dependet ex uſu & conſuetudine, † norma & regula loquendi, quæ ſi haud eſſet neceſſaria, quam latinitatem haberemus? quilibet poſſet aliquid addere, quod ſibi videretur congruens, atque ita brevi in aliam formam ac plane novam converteretur lingua. *Ol. Borrichius* dicto loco: „eccur, inquiunt, patiamur nos intra tam arctos „ concludi cancellos, ut ab antiquis mutuemur dictionem; mancipiorum iſta ſervitus „ eſto, nos philoſophamur libere, & quum „ deſideratur vox conveniens, a nobis ipſis „ mutuam ſumimus: licuit, ſemperque licebit ſignatum præſente nota procudere no-

 men

† *Quinctilianus inſtitut. orat.* I. 11. *nam fuerit pene ridiculum, malle ſermonem, quo locuti ſint homines, quam quo loquantur*; & paullo poſt: *conſuetudinem ſermonis vocabo conſenſum eruditorum, ſicut vivendi conſenſum bonorum*.

mē,,. Princeps ſermonis virtus eſt caſtitas,quę requirit, ut ejusmodi vocibus earumque junctura ſcribamus & loquamur, quæ auctoritate & analogia valent:quibus de cauſsis a ratione abhorret, linguam quamdam diſcere, nec id, quod in illa ſummum,elegans & optimum eſt petere,præcipue quum unicuique ſit facultas, ad illud perveniendi,nec iter ad vere latinum & purum Latium ea æſtuoſa via, uti ad barbarorum inſulas, debeat inſtitui:recti una eſt forma,notio ſimplex,& ſcientia facilis & conſtans; pravum modos viasque innumeras habet & infinitas.Quis ergo tam inſanus eſt,ut ſi optio daretur, non incorruptam linguæ romanæ integritatem, quæ totum ejus habitum præſtat emendatum, purum, perſpicuum,planum & luculentum,& verba amplectitur ſimplicia,propria,uſitata, pura, & ex paucis monimentis & facili negotio mallet perdiſcere, quam ſectari ſermonem vitiatum & hærere in barbarie.*Petr.Burmannus* ſcribit†,,ſi ergo ne-
,, que pluris conſtet,neque temporis,aut ope-
,, ris majorem modum expoſcat elegantiæ,
,, quam ruſticitatis ſtudium; quæ pertinacia,
,, immo quæ ſtultitia ingenii,excellentiam &
,, lumen inquinato verborum pondere & te-
,, nebris obruere & obſcurare,,.Sed,quæſo,fac periculum & excute diligentius, quotusquiſque ex tanto numero ſit puræ latinitatis conſcius? *Val.Henricus Voglerus*††ait:,,latina lin-
,, gua

† Oratione de *publici humanioris diſciplinæ profeſſoris proprio officio & munere*.Lugd. Batav.MDCCXV.p.24.

†† Diſſ.v.*de naturali in bonarum doctrina-*

„ gua longe infra multorum officium longe-
„ que ſecius,quam decet ac par eſt, & ad eru-
„ ditionem promovendam ſive commoditas,
„ ſive neceſſitas expoſcit. Ita quippe puritas
„ & elegantia ſermonis ejus paſſim negligi-
„ tur, ut propria quoque vocum ſignificatio
„ a quam plurimis ignoretur: & quidem hæc
„ fiunt etiam ab illis, quorum ductum alii
„ tanquam caprum grex ſequuntur,quorum-
„ que loquendi ſcribendique rationem pro-
„ inde velut in exemplum ſibi propoſitam
„ non duntaxat imitantur & exprimunt,ſed
„ etiam,quantum in ſeſe eſt,augent, atque in
„ majus promovent „.

Ex ſcientiarum indole, & dignitate dependet earumdem cultura. Igitur qui de latinę linguę vera indole, dignitate utilitateque ſiniſtre ſentiunt,negligunt illius ſolida ſtudia atque eo,quod parum eſt, peccant: qui autem ſunt patroni ejusdē & fautores religioſi,quibus illa eſt fundamentum omnis doctrinæ,firmum præſidium ceterarum litterarum, modum veræ culturæ & amoris,quo in eam feruntur,excedunt: hique in latinitatis ſtudia omne conferunt tempus & ſe unice penituſque in veterum latina monimenta,theſauros veluti ſolidæ & nobilis eruditionis abdunt; quumque Ciceronis voces imitari,ejusdemque numerum adſequi poſſunt, lætantur & ſe ipſos, ſtabilitatem velut reipublicæ litteratæ admirantur: alia diſciplinarum genera,veram quippe philoſophiam, hiſtoriam, juris ſcientiam parvi

narum ſtudia propenſione, delectu ingeniorum, ſtudiorum corruptelis earumque cauſſis, Helmſt. MDCLXXII. p. 36.

faciunt, in quibus non eam ineſſe præſtantiam ac nobilitatem exiſtimant, ac inſit auguſtiſſimæ & excellentiſſimę latinitati. At omiſſis rectiſſimis atque honeſtiſſimis ſtudiis rationis & rerum, nemo ſtili elegantis & conſummati laudem adſequetur, quamvis conſumat omnem operam in exercitatione dicendi & ſcribendi. Ita *Cicero* fatetur, ſe oratorem, ſi modo ſit, aut quicunque ſit, *non ex rhetorum officinis, ſed ex academiæ ſpatiis* extitiſſe; ac inprimis ponendum ſtatuit, *ſine philoſophia non poſſe effici eloquentem*: idem *eloquentiam ſine ſapientia nimium obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam*, pronuntiat. † Verſantur ergo in verbis & negligunt res ipſas, quibus verba ſervire debent: ſunt imperatores, reges, duces & ſummi præfecti vocularum & particularum latinarum; ac cruentiſſima ſæpe prælia ſine profuſione ſanguinis ineunt. Hujuſmodi ingeniorum tria genera ſunt: nonnulla latinitatis ſtabiliunt regulas grammatices, a quibus ſi diſcedunt quidam, grammatici ſceleris accuſantur, ut ſi non capite, aut tergo, infamiæ tamen nota ſua expient errata. Verum quis in lingua, ab ætate & natione noſtra adeo remota, ita inſtitutus & obſirmatus eſt contra corruptionem conſuetudinis, ut non aliquando a regulis grammaticorum recedat? *Ger. Jo. Voſſius*: ††
„ nunquam magis rideo, dicam, an indignor,
„ quam ſi etiam in editis mihi videam, pravo
„ loquendi more abrepto, excidiſſe, quod
„ ſerio ipſe damnem: adeo a teneris conſueſce-
„ re multum eſt; atque hæc de me ipſo luben-
„ tius

† In *oratore* cap. 3. & 4. de *invent. rhetor.*
†† *Præfat. de vitiis lat. ſerm.*

„ tius conſigno, ne quis forte arbitretur, quia „ tam multa reiiciam, quæ in hominum do- „ ctiſſimorum libris occurrunt, eo detrahere „ cujusquam nomini voluiſſe„. Quid aliud eſt grammatice, aliud romane loqui. Alii eorum, qui nimio latinitatis ſtudio ſe conſecrant, ſunt perverſi purioris ſtili cultores, quum modo in lectione, modo in obſervatione atque imitatione eam ſequuntur rationem, quæ ſtilum interdum magis corrumpit, quam ornat: nihil legunt, niſi quod aurea ætate ſit excluſum, & Ciceronem ſuum ita imitantur, ut etiam, ſi quid vitioſum eſt, id ad uſum ſuum transferant: verba Tulliana anxie conquirant & illis ſpecioſe & ſcrupuloſe captatis res accomodent: quorum quidam eo adhæc vitio laborant, ut delectentur imitatione rariorum, aut quæ inter criticos nondum conveniunt, aut ab analogia & uſitata conſtructionis regula diſcedunt; quæ fortaſſe cuidam bono viro exciderunt, vel amanuenſium inſcitia depravata ſunt. Tertium genus eſt illorum, qui ad philologiam latinam, quæ illis omnium diſciplinarum fundamentum eſt, ſuam doctrinam, operam, laborem, ſua omnia, vires & corporis & animi uſque ad extremum ſpiritum revocant. Hi incipiunt a littera & diſputant, num ſcribendum ſit *æ*, an *ae*; *œ*, an *oe*; *i*, an *j*; *Æ*, an *AE*; *U*, an *V*. progrediuntur ad accentus & apices latinorum, & ponunt quæſtionem: num hujusmodi ſigna atque notæ ſupra litteras, caſus auferendi, adverbia, & alias voculas, conjunctiones præſertim, debeant collocari? pergunt ad diſtinctiones, diacritica puncta, quæ diſſolutioni ſyllabæ, aut diphthongi imponuntur, &

alia

alia puncta, quibus ſententia concluditur ac terminatur: num poſt illa litteræ majores, an minores ponendæ ſint? propius ad philologiæ ſuæ myſteria accedunt & ad ſyllabas litterarum perveniunt, in quo curſu in magnam difficultatem delabuntur de ſcriptura vocum quarumdam: num ſcribendum ſit *obficium*, an *officium*; *inlumino*, *inluſtro*, an *illumino*, *illuſtro*: denique ad faſtigium ſummi philologi ac polyhiſtoris evehuntur, quum de integris vocibus, earum auctoritate & ſignificationibus magna volumina perficere poſſunt. In hanc rem eleganter *Sam. Werenfelſius* † ita diſſerit: „ aliquando tamen lites plane in verbis terminantur, quales ſunt grammaticorum & „ philologorum de vocum in qualibet lingua „ pronuntiatione, ſcriptione, flexione, ſigni- „ ficatione, conſtructione diſſenſiones; quas „ uti lubenter ferimus, ita optaremus, ut ne- „ que nimium in iis temporis conſumeretur, „ neque tanta inter diſſentientes animorum „ contentione agitarentur. Sed eo res proceſ- „ ſit, ut grammaticorum rixæ pene in pro- „ verbium abierint: utere vocabulo, aut lo- „ quendi forma, quæ parum latina Ariſtarcho „ cuidam videatur, ſtatim infamia te notabit „ & forte librum in te hoc titulo emittet, &c. Hi religioſi cultores latinæ linguæ duplici ratione in veram eruditionis indolem, præſertim in regulas juſtitiæ †† peccant: primum

† Diſſert. de *logomachiis eruditorum* c. 1. §. 5. p. 12.

†† Vide *Sam. Puſendorfium* de *jure nat. & gent.* lib. II. cap. 4. n. 13. *Chr. Thomaſii juriſprud. divin.* I. 1. 2. 64.

mum, quod alias litteras, ex quibus uberior fructus in felicitatem noſtram redundat, plane incultas relinquant, nec cum latinitate ſua, quæ ſine illis parum valet, conjungant: deinde quod omne vitæ tempus in hoc doctrinarum cultu conſumant, & majorem curam & operam ſuſcipiant, quam ratio & cultura earum poſtulat.

Qui contemnunt latinam linguam & pro nihilo putant, parum, quid ſani coloris ſermo latinus ſit, animadvertunt, nec curant, quid poſcat oratio, ut naturali pulcritudine exſurgat, caſtitate niteat, ſucci & ſanguinis plena ſit, habeatque vim & ſuavitatem. Sequi nolunt normam loquendi optimam & certiſſimam, quæ vetuſta illa latinitatis lege conſtituitur, nec ſpecie nobiliſſimæ libertatis ad exemplar veterum corpus orationis accurate adornare habituque eleganti conveſtire. Præcipue ſunt ex ſcholarum magiſtris, qui multum ad malum hoc adferunt, quod ad ornatum dicendi adſpirent hodie pauci oppido. Alii horum formatorum ipſi haud tenent, qua diſcipulos inſtituere debeant, incorrupte dicendi rationem, quum in adoleſcentia per ambages & anfractus inſtituti, neque poſtea meliora docti ſunt, quæ etiam non expetiere. Alii recentiores latine dicendi laude claros ſcriptores antiquis anteponunt, ut ſe religionem intueri & moribus juventutis ad evolvenda paganorum monimenta temere admiſſæ metuere videantur. Nec melius commodis diſcentium conſulitur, ſi præceptores patrio ſermone propoſita latine reddere diſcentes cogunt, qua exercitatione male cum tironibus & candidatis ſtili agitur:

ver-

verba ex lexicis petita componuntur, nec oratio a grammaticorum regulis diſcedere debet; magiſtri autem labor emendandi ſæpe in hoc uno verſatur, ut exercitia ſtili grammatice corrigat. Alii adhuc ſcriptores cujuſcunque ætatis, Ciceronem & Arriagam, Livium & Vaſquezium, Cæſarem & Barclajum, Salluſtium & Pexenfelderum conjungunt, ut prodeat curioſa & pulcra latinitas: quemadmodum enim diſſimilitudo colorum bene conjuncta & temperata multa ad illorum pulcritudinem confert; ſic ſcriptorum quoque varietatem eamdem vim & copiam habere, exiſtimant. Vera ſunt, quæ diſputat *G.N.Kriegkius* † dicendo: „ neque pauci horũ in ſcholis ſunt, qui ultra „ communes lineas in eloquentia jam ſe pro„ greſſos ſibi perſuadent, uſi potiſſimum ſcri„ ptoribus, ex quibus condidiciſſe arbitran„ tur: quando attendimus, qui illi ſint, prole„ tariæ notæ cognoſcimus. Horum gaudent „ floſculis & lætantur, ſi ſui hos diſcipuli car„ punt etiam, cum obſoletis, horridis, & incul„ tis vocabulis Pacuvii, Ennii, Plauti, Terentii, „ Apuleii, Baptiſtæ Pii, Pexenfelderi, Crucii „ aliorumque, & his ſua, quæ vel ſcribunt, vel „ loquuntur, exornant„. Horum alumnorum fortunam dolere decet, quod non ducti ad meliora in adoleſcentia fuerunt, nec eas litteras diligenter cognoverunt, quæ gratiam addunt ſeverioribus diſciplinis & juventutem alunt. Namque muſis in academiam translatis, aut multos hæc opinio invaſit, inutiles eſſe prælectiones latinæ linguæ homini ſuperioribus ſtudiis intento; aut ſi ſint, qui omnia utilia

& ho-

† Præfat. *roſeti ſtili latini Jo.Lud.Praſchii.*

& bona exercitationis ſtili in uſum ſuum exceperint;deſunt tamen ductores, qui adparatum veræ latinitatis honeſtarum artium candidatis oſtendant. Communis Germanorum præceptor *Ph. Melanchthon* †,„video pleroſque „ intempeſtive accedere ad graviores, ut vo- „ cant diſciplinas:quoſdam ad jura diſcenda, „ ad medicinam ſpes quæſtus rapit: alii ad „ theologiam contendunt, priusquam robur „ aliquod fecerint in ſtudio artium dicendi; „ qui ſi ſuo quæque ordine aggrederentur, „ bone Deus,quanto rē facilius gererēt,„Sane plena ſunt omnia vocum barbararum in academiis,ſive theologorum,ſive juris doctorum, ſive medicorum,ſive philoſophorum,ſive ipſorum oratorum ſcholas frequentes, quorum munus ſit,pure & emendate ſcribere: amant inane ſtudium dicendi,quod verbis barbaris, turgidis & ſesquipedalibus conglomeratur. Qui pro nihilo itaque caſtitatem latinæ linguæ faciunt,regulas & præcepta prudentiæ,uti priores juſtitiæ violant,quoniam Plinii †† verbo *ſtultiſſimum eſt,ad imitandum non optima quæque proponere*.

Medium obſervari debet: latina lingua non eſt fundamentum eruditionis, nec natura ſua ad illam aliquid confert;ſed manet inſtrumētum magnæ utilitatis: cumque colenda eſt, ita debet coli, ut ad nativam ejus caſtitatem & elegantiam perveniamus,maxime neceſſaria & utilia ſectemur, nugas abjiciamus plane,reliquum temporis aliis gravioribus ſcientiis con-

† Eleganti oratione de *ſtudio artium dicendi* tom.1.*declamat*.p.416.

†† Lib.1.*epiſt*.5.n.13.

conſecrantes. Quid elegans ſit & optimum in ſtilo latino, & qua ratione id candidati bonarum litterarum adſequi poſſint, illud opere hoc *hiſtoriæ criticæ latinæ linguæ* demonſtravi. Si non omnia; tamen ſumma & præcipua momenta, quæ indoles & cultura latinæ linguæ complectitur, ita perſecutus ſum, ut illorum non ſolum hiſtoriam variæ ætatis tradiderim; ſed obſervationes quoque, quæ omnia partim illuſtrant, partim confirmant, ſubjecerim. Summa integri operis hæc eſt: explanavi latinæ linguæ *hiſtoriam* ejusdemque *culturam*: ratione culturæ conſideravi, quid ſit colendum, id eſt *elegans & purus ſtilus*, & quomodo cultura hæc debeat inſtitui. Commendavi duplex adminiculum: alterum præparat iter ad vetus Latium, id eſt *grammaticæ & lexici* uſus: alterum illud perficit, id eſt *lectio, obſervatio*, & *imitatio*, quo de nomine conſignavi *hiſtoriam grammaticarum & lexicorum latinorum*. Diſputavi de *lectione generatim*, & de *editionibus veterum auctorum*: item ſpeciatim de *ſcriptoribus ſolutis, poetis, chriſtianis, recentioribus*, qui legendi ſunt, & eorum vitam, editiones, præcipue ſtilum adtigi; quibus accedunt præcepta de *obſervatione*, & *imitatione*. Ut pateat, quomodo latina lingua & philoſophia ſint conjunctæ, extremo diatriben de *litteris humanioribus* adjunxi, qua illarum indolem, dignitatem, & utilitatem ex veritatis ſententia declaravi: tuque lector benevole, vale & fave muſis meis.

PROLE-

PROLEGOMENA

DE

PHILOLOGIÆ INDOLE, STUDIISQUE illius rite inſtituendis.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Quæ eruditionis ſit ratio §. I.
Et quæ illius ſint partes, generatim oſtenditur §. II.
Speciatim vero, quid ſit philologia §. III.
Ac quæ diſciplinæ ad iſtam pertineant, grammatica quippe §. IV.
Rhetorica, & ars poëtica §. V.
Philologia ſtrictiori ſententia dicta §. VI.
Et ars critica §. VII.
Quibus expoſitis, Auctores recenſentur, qui rationem philologiæ ſtudia colendi tradiderunt §. VIII.

MAgnum Dei munus eſt, eum ita hominem conſtituiſſe, ut non ſolum valeat facultate res intelligendi, cognoſcendi, & de iis judicandi; ſed & ſignis ea, quæ in mente ſunt, aliis proponere poſſit, ac declarare. Quo duplici Dei beneficio omnis, cui ſtudemus, eruditio nititur, quæ vel in ipſis rebus, earumque cogitationibus occupata eſt; vel ſignis illarum, ac vocabulis: cujus prior ſpecies *ſapientia*, item *philoſophia*; poſterior vero *philologia* adpellari poteſt.

§. II.

Sapientia, ſive philoſophia rationem monſtrat, quo modo debeamus felicitatem noſtram promovere, quæ modo eſt animæ; modo corporis; modo ſtatus. Curamus, ut anima noſtra valeat, ac felix ſit per *philoſophiam* ſpeciatim ſic dictam, ac *theologiam*, quæ ita conjunctæ ſunt, ut ſine detrimento divelli ac ſeparari nequeant. Medetur quidem philoſophia morbis animæ noſtræ; ſed vulnera, quæ graviora ſunt, artem ejus ſuperant, nec poteſt efficere, ut priſtina ſalus recuperari poſſit: quo nomine Deus, quæ ſingularis ejus clementia eſt, indicavit nobis per oracula divina viam ad hanc felicitatem, cujus doctrinam adpellamus *theologiam* eamque *revelatam*. Præter animam nobis ſunt divini fati beneficio & *corpus*, & *bona*, quæ homines *fortunæ* cuidam adtribuunt, quamvis hæc, ſi rite ſentire velimus, de ipſa cœleſti providentia ſit interpretanda. Ad *corporis* ſalutem, ejusque ſanitatem, ſive ſit conſervanda, ſive reparanda, *medicina* eſt comparata: ad *ſtatus* vero, ad quem bona illa fortunæ, uti dicuntur, pertinent, felicitatem viam parat *jurisprudentia*, quæ facit, ut in humana ſocietate ſecure vitam noſtram degamus. Eruditio igitur noſtra eſt vel *realis*, vel *verbalis*, ut ita dicam: illa dividitur in philoſophiam, theologiam, medicinam, & jurisprudentiam; hæc dicitur philologia. †

§. III.

† *Aliæ dividendi eruditionem rationes ſunt, quando propter ipſas res, de quibus agit, dividitur in* generalem & ſpecialem: *illa modo inſtrumentū eſt, quo pertinent litteræ humaniores, id eſt, philologia, & hiſtoria; modo ibi tenet principatum, hoc*

eſt

§. III.

Philologia veteribus Romanis erat ſtudium humaniorum litterarum, ac φιλόλογοι dicebantur hiſtoriarum, ac variæ eruditionis ſtudioſi. *Svetonius Auguſt.* cap. LXXXIX. adpellat philologiam *eruditionem variam*, & *Caligul.* cap. LIII. *eruditionem* abſolute: illi, qui ſectabantur litteras linguarum, adpellati ſunt λογόφιλοι, etiam *grammatici*, ut *Jo: Wovverius* de *polymath*.cap.XV.p.148.,& *Caſpar Scioppius arte critic.* cap. 2. monſtrant. philologiæ oppoſuerunt philoſophiam. *Seneca epiſt.* CVIII. *quæ philoſophia fuit, facta philologia eſt*.Nunc vocis hujus is uſus eſt, ut tantum partem litterarum humaniorum ſignificet, eam quippe, quæ linguarum naturam,earumque culturam docet, ac declarat, quomodo ea, quæ cogitamus, ope illarum varia ratione, & ſcribendo, & loquendo, aliis aperire queamus.Dividi poteſt in philologiam *generalem*,ac *ſpecialem*:illa generatim linguarum naturam, illarumque cultum demonſtrat; hæc partes ejusdem interpretatur, quæ ſunt grammatica, rhetorica, philologia ſtricte ſic dicta,& critiees ars: † utraque vel *theoretica*

eſt philoſophia: hæc ſpecialis complectitur theologiam, medicinam & jurisprudentiam. Item propter finem in veram, *ſive principalem,& inſtru*mentalem, *ſive litteras humaniores; & propter medium cognoſcendi in* divinā *&* humanā: *vide* diatriben *noſtrā* de litteris humanioribus *c.I.*

† *Has philologiæ partes veteres Romani coluerunt, ita ut philologiam ſtricte dictam,& criticam nomine* grammatices *concluſerint: eloquentiæ vero,atque poëſi multum dederunt tempus.*

vel *practica* eſt, ut ajunt: illa viam & rationem oſtendit, qua philologiæ ſtudium coli poſſit: per hanc ipſa præcepta transferimus ad uſum noſtrum; quod cum ſcribendo, tum loquendo poteſt fieri.

§. IV.

Grammatica eſt doctrina, quæ docet, quomodo cogitata mentis noſtræ verbis recte & ad uſum loquendi accōmodate conjunctis ita proponere debeamus, ut alii illa percipiant atque intelligant, ſive id fiat ſcribendo, ſive dicendo. Ipſa vox grammatices ponitur duplici modo: altero complectitur, & demonſtrat linguarum culturam generatim, hac ratione, ut ibi de omnibus colendi illas ſubſidiis diſſerator, de ſtilo, lexicis, lectione, obſervatione, & imitatione auctorum; altero exhibet tantum præcepta recte loquendi, & ſcribendi. Ut quædam de ipſa linguarum cultura tradamus, primum diſputandum eſt de momento hoc: num linguæ felicius uſu, quam præceptis & lectione ſcriptorum cognoſcantur, nec ne? Sunt, qui priori ſententiæ favent, ſpecioſis, ut ſibi videntur, rationibus adducti, de quibus legi poteſt *Daniel Georgius Morhofius polyhiſtor.* p. 1. lib. 11. cap. 9., ad quorum opinionem haud accedimus. Opponunt primum exempla eorum, qui uſu linguas didicerunt; ſed contingit ſæpe, ut alios quoq; lingua debeamus imbuere, quod hujuscemodi homines præſtare nequeunt: conſtat, natione Gallos linguam ſuam alios non commode ac feliciter docere poſſe: deinde ſæpe numero in orthographia labuntur, quod exempla generis feminei abunde teſtantur; & ſi tertium accedit lectio, parit illa multum difficultatis,

quo-

quoniam rationes ſunt ignotæ, & maxime obſcuræ. Quumque porro difficultates regularum grammaticarum objiciunt; reſpondemus, quod præcepta tradenda ſint, quæ perſpicua, ac brevia, quod commode fieri poteſt: nec melius uſu vocum puritas, ac ſignificationes percipiuntur, ut ajunt, quia loquens ſermonis caſtitatis non ſtudioſus eſt: multo minus pueri tenera adhuc ætate de locutionum innocentia, ac notionibus poſſunt ferre ſententiam. Ingenia igitur præceptis primum ad linguas præparanda ſunt, quibus lectio, item obſervatio ſcriptorum ſuperſtrui poteſt; ſtudium vero loquendi juſto tempori reſervandum eſt: immo qui a colloquiis dependent, diſruptis formulis adſueſcunt, nec ad ſtructuram & membrorum connexionem poſſunt reſpicere. Adhæc diſpiciendum eſt: num ſine magiſtrorum opera ad cognitionem linguarum poſſimus pervenire? Illi, qui tenera ſunt ætate, præceptorum inſtitutis heic neutiquam carere poſſunt; aliter vero res ſeſe habet in adultioribus: nec in his omnis res expedita eſt: magiſtri ope poſſunt carere, ſi linguarum intelligentiæ cupidi tantum ſunt; quodſi autem eas proferre ac pronuntiare volunt, id res eſt, quæ vivam vocem præceptoris cujusdam poſtulat: exemplo ſit lingua gallica, italica, ceteræ: ſi opes ferant, litteris bene conſulitur, quum linguarum magiſtris ingenia noſtra tradamus, quoniam felicius proficere poſſumus.

§. V.

Subſidia, per quæ in linguis ingenia exerceri poſſunt, ſunt vel *præparantia*; vel *confirmantia* & perficientia: ea, quæ *præparant* ingenium, ut optimos progreſſus faciat, ſunt partim præ-

cepta grammaticæ; partim uſus lexicorum. *Grammatica* fundamenta ponit rectæ loquendi,& ſcribendi rationis, quam intelligere debemus, antequam ad ſermonis elegantiam & nitorem accedere velimus: cujus recti uſus cognitio licet per ſolam exercitationem comparari poſſit; iſta tamen firmior redditur, ubi præcepta, quæ grammaticorum libri tradunt, adhibentur: ejuſmodi autem præcepta grammaticæ ſunt explicanda, quæ utilitatem adferunt, atq; cum ad indolem linguæ, quæ cognoſcenda eſt, tum ad ingenia diſcentium ſunt adcommodata. Dignitatem hanc præ ſe habent, quando I. *ad rationem cogitationum eoque nomine ad normam, atq; ordinem artis logicæ ſunt compoſita*: vocum enim fundamenta ſunt cogitationes: dantur ideæ ſimplices, dantur quoque voces ſimplices: ſunt ideæ ſubſtantiarum, hinc nomina ſubſtantiva: ideæ accidentium, hinc nomina adjectiva, uti dicuntur: porro tradunt doctrinam de junctura: idearum & propoſitionibus, cui reſpondere debet ſyntaxis: id tantum obſervandum, quod homines finxerint voces, quæ per ſe in mente noſtra nullam concitant ideam, quo pertinent multa ex præverbiis,& aliis particulis. II. *præcepta grammaticæ debent eſſe brevia*, quoniam tantum ingenium præparant, non confirmant; quod lectio, & obſervatio Scriptorum præſtant. III. *debent eſſe conſcripta vernacula ejus, qui ſtudet linguis perdiſcendis*. IV. debent perſpicue declarare, *quomodo ea lingua, quam docent, cum illa, qua docent, conveniat*; *aut ab illa diſcedat*: legi poſſunt *Franciſcus Sanctius Minerv. p.* 8. *Andr. Rudiger* de *ſenſu veri & falſi p.*277. & præfatio noſtra ad *Jacobi Facciolati oration. de*

gram-

grammatic. libris. Cum grammaticorum libris conjungenda ſunt lexica, ex quibus vocum ac locutionum auctoritas, uſus, ac ſignificationes ſunt cognoſcendæ: iſta conſcribendi ratio varia eſt. laudabilia ſunt, atque utilia, quando non ſunt copioſa: ordinem in ſignificationibus ſervant curatius: ſignificationes nativas a translatis diſtinguunt: ſignificationes, quæ momenti cujuſdam ſunt, omnes attingunt, eaſque teſtimoniis & exemplis perſpicuis illuſtrant, confirmantque: ordinem, quo ſub primitivis derivata locare ſolent, prætermittunt: nihil admiſcent, niſi quæ ad ipſam linguam pertineant: voces & locutiones puriores per ſigna ab impuris ac barbaris bene diſtinguunt. Ex lexicis lingua ipſa non perdiſcitur; ſed levant laboris ſtudia, quæ in cultura illius collocanda ſunt, ut facilius ſignificationes vocum, eaſque illuſtratas queamus deprehendere: quæ a nobis obſervantur, colligi poſſunt & ad lexica noſtra transferri, quod ſtudium, quando haud abrumpitur, ſenſim ac ſenſim magno erit adjumento. Sed in ſolis lexicis, & grammaticorum libris non adquieſcendum eſt: accedere debent ſubſidia, quæ linguarum ſtudium perficiunt & confirmant: proinde primum *legendi ſunt ſcriptores*: quorum ſcribendi modus elegans eſt, perſpicuus & purus: hi auctores multi generis ſunt, ac differunt ratione *ætatis*: alii floruerunt ætate vetuſtiori; alii media; alii recentiori, quos interdum conjungendos eſſe cenſeo, inprimis quod ad linguas pertinet, quarum perpetuus uſus & conſuetudo exſpiraſſe videtur: eſt quoque inter illos diſcrimen in *dicendi generibus*, *atque argumentis*, quum non ſolum dantur auctores epiſto-

ſtolarum, hiſtoriarum atque orationum; verum etiam modo res naturales, modo ſacras, forenſes, atque alia argumentorum genera proſequuntur, in qua ſcriptorum diverſitate auctor ſum & ſuaſor, ut initium linguæ cujuſdam perdiſcendæ capiamus ab hiſtorico, cujus ſermo purus eſt & caſtus, item perſpicuus atque elegans; quo abſoluto, epiſtolæ, orationes & alia hujuſcemodi monimenta addi poſſunt: multi auſpicium a colloquiis faciunt, & in his exponendis terunt pueritiam; ſed mature videndum, ut nexum partium, qui abeſt a disruptis illis formulis, cognoſcant, & ſenſim ac ſenſim ad periodorum artificia adducantur: ad diſcrimen hoc etiam referri debet, quod alii ligato; alii ſoluto utantur ſermone: poëtæ multum faciunt ad culturam, & conſervationem linguæ cujusdam, quam ornant maximopere: lectio vero poëtarum ætati maturiori, eorumque inprimis, quorum ingenia bene jam præparata ſunt, reſervanda eſt. Denique ſcriptorum diverſitas eſt in ipſo *ſtilo*: alii exprimunt caracterem ſublimem: alii medium: alii humilem; item alii circumductas; alii mediocres; alii conciſas habent periodos: porro aliorum ſtilus eſt purus, perſpicuus, ſuavis & elegans; aliorum vero impurus ac barbarus, obſcurus, quive omni elegantia caret: de quo momento id generatim obſervari decet, ut eos ſcriptores ſtudio noſtro perlegendos eligamus, quorum ſermo caſtitate, elegantia & perſpicuitate commendabilis eſt: quod autem ad caracterem adtinet, illius ratio in auctoribus evolvendis habenda eſt, quum magiſtri harum litterarum doctrinam ſtili tradant juventu-

tu-

tuti, & iſtam ad varias dicendi figuras exprimendas adducant. Præter ipſam lectionem *ſedulo ea, quæ bona ſunt atque elegantia, obſervari atque ad imitationem transferri debent*: equidem conſequi quis poteſt laudem & famam philologiæ, quamvis ſcribendi modus quem ſequatur, non ſit elegans, purus ac perſpicuus; ſed tamen decet decora ingenia, ea præcipue, quæ animum philologiæ litteris addicunt, ut ſe puriori linguæ indoli, quæ omnia monimenta exornat, adſuefaciant ſtudioſe. Ita autem ſcriptores, qui ſermonis laude florent, debemus imitari, ut formam periodorum, locutionum caſtitatem, ſuavitatem atque elegantiam adſequamur: voces tantum atque locutiones exprimere, non veræ imitationis eſt, quæ adeo late patet, ut omnia, quæ ad ſtilum pertineant, complectatur.

§. VI.

Rhetorica eſt ea pars philologiæ, quæ tradit præcepta dicendi ſolide, diſtincte, ſuaviter atque eleganter, qua arte qui præditus eſt, eloquentiæ laudem merito ſibi vindicare poteſt. Finis illius neutiquam ſola perſuaſione, ut plerique doctrinæ hujus magiſtri exiſtimant, abſolvitur; ſed oratoris propoſitum ad id referri debet, ut auditores, confirmatis illorum animis, adſenſione ſua quæ differit, amplectantur. Tres artis hujus partes conſtitui poſſunt: prima agit de *meditatione*, ad quam orator mentem ſuam inventionis & diſpoſitionis cauſſa dirigere debet: ſecunda de *prudentia*, quæ regulas præſcribit, quomodo orationi gratia & dignitas ſit concilianda: & tertia de *elocutione*, ſive de ratione accurate atque eleganter dicendi. Ex his patet

tet, quod philoſophia ab eloquentiæ litteris haud debeat ſeparari, nec conſultius agant, qui juvenes haud maturiori ingenio, multo minus philoſophiæ litteris exculto, ad eloquentiæ ſtudia, ejuſdemque exercitia perducant: proinde *Cicero* libro, quem *oratorem ad M. Brutum* inſcripſit cap. III. *fateor, me oratorem ſi modo ſim, aut etiam, quicunque ſim, non ex rhetorum officinis; ſed ex academiæ ſpatiis exſtitiſſe*. Romani veteres ſæpe philoſophis prius ſe dederunt, quam rhetoribus: legantur *Jo: Clericus Parrhaſ.* tom. I. p. 72. *obſ. Hallenſ.* tom. I. p. 17. *Sam. Vuerenſelſius* de *meteor. orat.* quam diſſertationem adjecit politiſſimo libro de *logomachiis eruditorum*, *Chr. Thomaſius Cautel. circa præcogn. jurispr.* cap. IX. p. 110. Ad rhetoricam pertinet quoque *poëſis*, quæ eſt ars, ſenſus mentis per varias imaginum ſpecies & fictiones, etiam interdum certa menſura vocum proponendi, de qua videas *Tanaquill. Fabrum* de *futilitate poëtices*, Amſt. MDCXCVII. & *Jo: Franc. Buddeum ſelect. juris naturæ & gentium* p. 315.

§. VII.

Philologia ſtrictiori ſententia dicta ea eſt doctrina, quæ viam monſtrat, qua ejuſmodi linguarum cognitionem ſibi quis comparare poteſt, ut vocum locutionumque fata, auctoritatem, diverſas ſignificationes, aliaque momenta accurate intelligat. Ex quo patet, quod hæc diſciplina a grammatica, & rhetorica omnino differat, quodque ad ſcientiam illius multa ſubſidia ſint neceſſaria, ſi quis laudem illius rite tueri velit: iſte enim I. neceſſe habet, *hiſtoriam philologiæ cognitam ſibi reddere*, exempli cauſſa romanæ, cujus origo, progreſſus & alia fata debent

bent conſiderari; qua hiſtoria muniti, facile de auctoritate vocum ſe expedire poſſunt, & quid ad imitationem trahendum ſit, quidve fugiendum, judicare. II. *antiquitatum debet eſſe peritus*, quia ex illis multæ dictiones petitæ ſunt: Romani dicunt *ſaga ſumere*, pro ad bellum ſe præparare, *Cicero Philipp*. v. 12., *Livius epitom*.72. *ad ſaga ire*, *Cic.philipp*.xiv., 1.*Vell.Paterculus* 11. 16.ſagum enim,veſtis Romanorum non ampla & ad nates uſque demiſſa, proprie erat militum,atq; armatorum:*zonam ſolvere* dicitur pro pudicitiam mulieris imminuere, apud *Theocritum* idyll. xxvii., 54. *Ovidium epiſt. Phyll*.v.115.& alios græcos, ac latinos ſcriptores, quorum exempla collegit *Philippus Caroli animadverſ. ad Gellium* lib.ix. cap.10. p.391. formulæ hujus ea eſt ratio, quia cingulum laneum quo ſponſa cingebatur, ſponſus in lecto nuptiali ſolvebat:non eſt,quod plura adferamus exempla,quum in ſe ſint nota & ſæpe occurrant, non ſolum apud auctores profanos, ſed etiam ſcriptores divinos, de quibus legi poſſunt *Guilielmus Budaeus commentar.linguæ græcæ*, *Salomon Glaſſius philolog.ſacra*, *Jo:Clericus arte critica*,atque alii lexicorum ac proverbiorum,item antiquitatum ſcriptores. III. *nec ſtudium aliarum linguarum*,*earum in primis*, *quæ lucem adferunt*, *negligendum*: ſic multa in Romanorum monimentis ſunt ad Græcorum loquendi rationem compoſita, quocirca philologiæ romanæ cultor græcam quoque linguam intelligere debet. IV. *philoſophia quoque jungenda eſt philologiæ*, quoniam vocum fundamenta ſunt cogitationes, in quibus verſatur præcipue ars logices: ſunt ideæ ſimplices, compoſitæ: ſunt ſubſtan-

tiæ

tiæ & accidentia, hinc & nomina idearum ſimplicium & compoſitarum, ſubſtantiarum, collectionum: lege *Jo: Clericum art. critic.* p.11. p.390. V. *nec a philologo ſtudium critices negligendum eſt*, ut de ſcribendi generibus, veris & falſis ſcripturis poſſit judicare, & linguarum puritati, earumque amplitudini interdum conſulere; qua ratione autem critices ars cum philologia ſit conjuncta, id facile patet. VI. *accedat ſtudioſa lectio ſcriptorum linguæ ejus quæ colitur*, ut cognoſcantur idiotiſmi, barbariſmi, ſoloeciſmi, & nativæ elegantiæ & proprietates: ea eſt linguarum conditio, ut illis barbara admiſceantur, & habeant dictiones proprias, quæ candide proponere, atque interpretari, philologi eſt. His præparato animo, atque ingenio inſtructus philologus explicat veteres auctores claſſicos: differit de ſtilo ejuſque caracteribus, & de natura linguarum earumque caſtitate: tradit præcepta linguæ facilius perdiſcendæ & quæ alia ſunt; has philologi partes alii critico adtribuunt; vide *C. A. Heumanni parerg. critic.* p.9.

§. VIII.

Vox *critices* & latiori & ſtrictiori ſententia poteſt uſurpari: illa & philologiam ſpeciatim dictam comprehendit: hæc vero tradit præcepta, loca auctorum male ſana emendandi ope ſcriptorum, librorum, atque ingenii: *Jo: Clericus* duo alia munera criticis adtribuit, quorum alterum eſt, ut faciliimam viam diſcendi linguas monſtrent, alterum ut obſcuræ orationi lucem accendant: ſed illud pertinet ad prudentiam litterariam & philologi proprium eſt; hoc etiam majori jure ſpectat ad philologiam ſtricte ſic dictam:

ctam:

ctam. Ex quibus apparet, quod multa in illo ineſſe debeant, qui munus critici adminiſtrare, eique ſatisfacere vult: conſule *Caſp. Scioppium de arte critica* Amſtel. MDCLXII., *Franciſc. Robortelli diſput. de arte critica*, tom. II. *theſ. critic. p.* 14.2 S., *Jo: Clerici artem criticam* Amſtel. MDCCXII. etiam Lipſiæ MDCCXIII., *C. A. Heumanni parerga critica*, *Jen.* MDCCXII., *Honor. De S. Maria reflexions ſur les regles & ſur l'uſage de la critique*, Pariſ. MDCCXIII. †

§. IX.

Qui generatim de philologiæ hujus, prout ad litteras elegantiæ atque humanitatis pertinet, indole expoſuerunt, ex illis laudandi ſunt:

Jo: a Wovver de *polymathia*, de qua tractatio prodiit MDCIV., & iterum edita cum præfatione *Jacobi Thomaſii* MDCLXV., & a *Jacobo Gronovio* tom. X. pag. 985. *theſauri antiquitatum græcarum*. Dictus *Thomaſius* auctorem hunc cum in præfatione, tum diſſertatione de *plagio litterario* §. DXCIV. ab accuſatione plagii, quam *Philippus Jacobus Mauſſacus* fecerat, defendit: equidem liber hic res litterarias veterum præcipue illuſtrat; multa tamen continet, quæ ad rectam philologiæ colendæ rationem pertinent:

Ger. Jo: Voſſius, cujus liber de *philologia* exſtat Amſtelod. MDCLX., in quo agit gene-

† *Sunt, qui hanc critices artem ad philoſophiæ diſciplinas referunt; ſed quum præcipue de verbis tractat, recte in philologia locum ſuum occupat.*

ratim de artibus liberalibus,deque illis, qui admitti debeant ad ſtudia:de polymathiæ diviſione in philologiam, matheſin, & logicam; de philologiæ partibus, ſpeciatim de grammatica, rhetorica, arte metrica, hiſtoria, ejusque diſciplinis:

Guilielmus Budæus libris duobus de philologia editis a *Thoma Crenio* in collectione *tractat. de philologia, ſtudiis liberalis doctrinæ, &c.* MDCXCVI. p.62.

Henricus Julius Scheurlius in *ſtatua Mercuriali* part.1., ubi tribus capitibus agit de *fine philologiæ, ſubjecto ſeu materia, & mediis.*

Bohuslaus Aloyſius Balbinus, qui edidit *veriſimilia humaniorum diſciplinarum* Prag. MDCLXVI., & Aug. Vindelicor. MDCCX., atque in illis rationem litteras illas, quæ & philologiam complectuntur, diſcendi monſtravit:

Auguſtin. Griſchovv, cujus *introductio in philologiam generalem* Jenæ MDCCXV. prodiit, in qua multos auctores, qui ad philologiæ cum ſacræ, tum profanæ ſtudia pertinent, diligenter recenſuit:

Chriſtian. Falſterus, qui MDCCXIX. *cogitationes varias philologicas tripartitas* edidit: pars prima oſtendit uſum philologiæ profanæ in ſtudiis theologicis: ſecunda labores præcipuos complectitur, qui in re philologica vel deſiderantur, vel redundant: tertia controverſias graviſſimas philologorum, & criticorum componit.

Hiſce addi poſſunt, qui introductiones in litterarum ſcientias, præſertim elegantiores atque humaniores ſcripſerunt; & modo hiſtoriam, modo præcepta de cultura illarum tradiderunt.

legi

legi poſſunt *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario*: auctores, quos in ſummam redactos tribus partibus edidit *Thomas Crenius*, quarum prima inſcripta: *conſilia, & methodi aureæ ſtudiorum bene inſtituendorum*, Roterodami MDCXCII. ſecunda: de *philologia, ſtudiis liberalis doctrinæ, informatione & educatione litteraria generoſorum adoleſcentum, comparanda prudentia, juxta & eloquentia civili, libris & ſcriptoribus ad eam rem maxime aptis, quoque ordine ſcriptorum hiſtoriæ romanæ monumenta ſint legenda*, Lugd. Batavor. MDCXCVI. & tertia: de *eruditione comparanda in humanioribus, vita, ſtudio politico, cognitione auctorum eccleſiaſticorum, hiſtoricorum, politicorum, ac militarium, item peregrinatione tractatus*, Lugd. Batavor. MDCXCIX. prodiit: *Jo: Ludovicus Vives* de *diſciplinis libris* XX. in *tres tomos diſtinctis* MDXXXVI.: *Adamus Rechenbergius* de *ſtudiis academicis* ſect. IV. cap. I. p. 80.: *Jo: Clericus*, qui præter ea, quæ in *Parrhaſianis* egregie de quibuſdam elegantioris doctrinæ diſciplinis obſervavit, in *artis criticæ* parte prima præcepit de *ordine in lectione veterum ſcriptorum obſervando*, & in *ſilvarum philologic. Æſchinis ſocratici dialog.* lib. I. cap. I. de litteris humanioribus diſſeruit: *Gothofredus Vockerodt* in *conſultationibus de litterarum ſtudiis* Gothæ MDCCV., qui in primis oſtendit, quomodo iſta religioſe ſint inſtituenda, cujusmodi ſalutares præceptiones in chriſtianorum ſcholis omnino ſunt commendandæ, ne juvenes animos per harum litterarum ſuavitatem a rerum cœleſtium ſtudiis abduci patiantur: *Jo: Franciſcus Buddeus* in *ſelectis juris naturæ, &*

gentium pag. 327., & in *iſag. in univerſ. theol.* lib. 1. cap. 4. §. 7. pag. 143.; *Io: Matthias Geſnerus*, vir clariſſimus & harum litterarum periti ſſimus, in *inſtitutionibus rei ſcholaſticæ* cap. 11. ſect. 2. & ſequentibus pag. 39. Sunt alii methodorum ſcriptores, qui jam alio loco a nobis fuerunt recenſiti: ſed tamen orationes celeberrimi *Petri Burmanni* de *publici humanioris diſciplinæ profeſſoris proprio officio & munere*, Lugd. Batavor. MDCCXV., quæ quamvis ex humaniori doctrina elegantiam ſermonis præ ſe habeant, oratoris tamen animum erga gentem noſtram humanitatis expertē monſtrant; & doctiſſimorum virorum *Io: Chr. Coleri* de *multiplici litterarum humaniorum abuſu* Jen. MDCCXXV., & *Friderici Gotthilf Freytagii* de *compendiaria linguas docendi ratione* Lip. MDCCXXII., ſilentio haud præterire poſſumus: hiſce jungenda eſt politioris ac priſcæ doctrinæ laude clariſſimi *Georgii Nicolai Kriegk conſtitutio rei ſcholaſticæ Ilefeldenſis*, Northuſæ MDCCXVI. qui liber muſarum elegantium cultoribus egregia præcipit. De ſcriptoribus philologiæ ſacræ, *Buxtorffio Capello*, *Morino*, *Hottingero*, *Glaſſio*, *Pfeiffero* aliiſque non eſt, quod dicamus: id enim ab argumento ſcriptionis hujus eſſet alienum: diſſerimus de philologia, quæ pertinet ad literas humaniores, eoque nomine tantum ad linguam latinam, ac græcam veterum auctorum referenda eſt.

CA-

CAPUT I.

De Origine, & Fatis Latinæ Linguæ.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Recenſentur auctores, qui ad hiſtoriam latinæ linguæ, & notitiam ſcriptorum illius pertinent §. I. II.

Quorum indice exhibito, illuſtrantur nomina linguæ hujus §. III.

Explicatur origo illius, §. IV. V.

Ac monſtratur, qualis ejus fuerit progreſſus, generatim §. VI.

Speciatim, quomodò fata ejuſdem per varias ætates ſint diſtinguenda §. VII. VIII.

Proinde agitur de ætate latinæ linguæ barbara & inculta §. IX.

De ætate media inter barbaram, & auream §. X. XI.

De aurea auctorum romanorum ætate §. XII.

Hujuſque indole §. XIII.

De argenteo latini ſermonis ævo §. XIV. XV.

Item de ætate ænea §. XVI. XVII.

Ubi ſimul agitur de latinitate doctorum veteris eccleſiæ §. XVIII.

Et antiquiorum jureconſultorum §. XIX.

Neque non de diſcrimine latinitatis doctæ, & plebejæ §. XX.

Quibus expoſitis, illuſtratur ferreum latinæ linguæ ævum §. XXI. XXII.

Ubi ſpeciatim barbaries latinitatis media ætate adſeritur §. XXIII.

Ac ſcriptores ævi hujus recenſentur §. XXIV.

Denique diſſeritur de reſtitutione latinæ linguæ §.XXV. Ac quomodo hiſtoria latinæ linguæ neceſſaria ſit ac utilis, monſtratur §.XXVI.

QUum hiſtoriam criticam latinę linguę conſcribere, modumque colēdi iſtam commonſtrare, ſit animus, merito cōmentationis hujus initium ducimus ab ipſa linguæ hujus hiſtoria. Argumentū hoc amplum eſt ac copioſum: quodſi enim reputamus, quid ad hujuſmodi hiſtoriam ſpectet, commemoratio ſcriptorum omnis ætatis: fata vocum & locutionum in auctoritate, ac caſtitate, in orthographia, etymologia, ſignificatione, litterarum pronunciatione; facili negotio intelligemus, longiores commentarios ab eo ſcribendos eſſe, qui argumento huic juſta ratione explanando ſatisfacere vu lt. Sed hujuſmodi copioſa explanatio ab inſtituto noſtro aliena eſt: ea tantum de linguæ hujus fatis attingamus, quorum cognitio in cultura illius neceſſaria, & utilis, pro qua commentandi voluntate ſtrictim referre volumus, quæ ſit linguæ hujus origo, quæ ſint fata illius, præcipue inter ipſos antiquiores Romanos. Antequam ad ipſum opus adgrediamur, non ab re erit, illos recenſere, qui hiſtoriæ huic præclaram operam addixerunt, ea de cauſſa, ut qui plura deſiderant, illos adire poſſint: ex vetuſtiori ævo lucem adferunt

M. Terentius Varro, qui ſcripſit libros XXIV. de *lingua latina*, ex quibus multi perierunt: differit in illis, qui ſuperſunt, de originibus verborum latinorum, deque analogia, quæ licet ad grammaticam ſpectare videantur, hiſto-

riam

riam tamen latini ſermonis illuſtrare poſſunt: proinde & reliqui antiquiores grammatici; *Pompejus Feſtus*, *M. Verrius Flaccus*, *Nonnius Marcellus*, *Iſidorus*, aliique ad hos auctores referri poſſunt, de quibus diſſerendi infra habebimus occaſionem:

M. Tullius Cicero, qui in libro de *claris oratoribus* ſæpe illorum ſcribendi indolem modumque attingit, ac qualis latinitatis facies fuerit, commonſtrat:

A. Gellius, qui in opere, quod *noctes Atticas* inſcripſit, multa diſputat ac refert, quæ ad philologiam romanam pertinent, ejusque hiſtoriam egregie illuſtrant, ſive ad ſcriptores, ſive ad ipſarum vocum fata reſpiciamus.

Recentiori ætate meritorum laude præſtantiſſimi, ac doctiſſimi viri majus ſtudium in hiſtoria linguæ romanæ deſcribenda collocarunt, cujuſmodi operam præſtiterunt

M. Anton. Coccius, qui cognomen habuit *Sabellici*, auctor dialogi de *latinæ linguæ reparatione*, qui editus MDCXVII. etiam extat tomo quarto operum *Coccii*, quæ Baſileæ MDLX. *Caelius Secundus Curio* edidit:

Hadrianus, cardinalis, qui libello de *ſermone latino & modis latine loquendi* commentationem breviorem de ſermone latino præmiſit, atque in iſta fata linguæ hujus recenſuit: quatuor propemodum poſt Romam conditam ipſi videntur fuiſſe tempora: antiquiſſimum, antiquum, perfectum, & imperfectum; de quo libro infra plura dicemus.

Caſpar Barthius commentat. de latina lingua & ſcriptoribus latinis, quæ extat in *Io: Michaëlis Dilherri apparatu philologiæ* edito Norim-

rimbergæ MDCLX. pag.365., ubi p.444.& ipſius *Dilherri* reperimus *commentationem de periodis & ætatibus auctorum latinæ linguæ*:

Caſpar Scioppius, qui edidit *conſultationes de ſcholarum & ſtudiorum ratione, deque prudentiæ, & eloquentiæ parandæ modis* Amſtel. MDCLX., atque in ſecunda illarum p.45. auctores linguæ latinæ, grammaticos & criticos, veteres & recentiores recenſet:

Obertus Giſanius, cujus *obſervationibus ſingularibus in latinam linguam*, Francof. MDCXXIV. addita ſunt varia opuſcula, quæ hiſtoriam hanc illuſtrant: p.383. de *latinæ linguæ reparatione dialogus*, qui eſt *Coccii*, cujus paullo ante fecimus mentionem: p.428. de *quinque ætatibus romanæ linguæ*: p.436. diſſertatio de *periodis linguæ latinæ*, quæ eſt commentatio *Hadriani* cardinalis, a nobis jam memorata: p.454. *apologia in Marci Accii Plauti aliorumque poëtarum & linguæ latinæ obtrectatores*, de qua *Chriſtianus Gryphius* ad exemplum meum obſervavit, eſſe *Franciſci Floridi Sabini*, & provocavit hanc in cauſſam ad epiſtolam *Thomaſii* ad *Daumium* manuſcriptam:

Melchior Inchoferus in *hiſtoria ſacræ latinitatis*, libris VI. MDCXXXVIII., qui per nimium linguæ hujus ſtudium ſententias, quæ contra omnem rationem ſunt, amplexus eſt: atque inter alia adfirmavit, ſervatorem generis humani ſæpe latine locutum fuiſſe, ea maxime de cauſſa, quod vero ſit ſimile, eum legibus romanis, quæ linguæ hujus uſum imperabant, obtemperaſſe:

Jo: Nieſs de *ortu & occaſu linguæ latinæ* lib. II. Diling. MDCXXVII. cujus mentionem

fa-

ſacit *Philippus Labbeus biblioth. bibliothecar.* p.209. ac refert, quod in illis *multa de antiquis, moderniſque ſcriptoribus, latinæ linguæ parentibus, propagatoribus, & altoribus commemorentur*:

Gerardus Io: Voſſius, cujus præfatio præmiſſa libris de *vitiis ſermonis & gloſſematis latino-barbaris*, de variis latinæ linguæ ætatibus diſſerit, quamvis omnia breviter ibi ſint tradita:

Io: Henricus Boeclerus, qui in *diſſertatione de comparanda latinæ linguæ facultate*, quæ extat tom. III. ipſius operum editorum Argentorati MDCCXII. cum præfatione *Io: Alberti Fabricii*, pag. 532. nonnulla de antiquis ſcriptoribus romanis, eorumque ſcribendi modis monet:

Carolus Du Freſne, cujus præfatio præmiſſa *gloſſario mediæ & infimæ latinitatis* doctiſſima eſt, & lucem argumento huic maximam adfert, quum accurate in cauſſas corrupti ac depravati latini ſermonis inquirit:

Henricus Julius Scheurlius, qui in *ſtatua mercuriali ad optimos quoſque ſcriptores certiſſimam viam demonſtrante* ſect. II. cap. I. pag. 74. eos auctores recenſet, qui inſerviunt ſtilo puriori:

Olaus Borrichius, graviſſimus litterarũ romanarũ cultor, ac vindex, qui edidit MDCLXXV. *cogitationes de variis latinæ linguæ ætatibus, & ſcripto illuſtris viri Ger. Joann. Voſſii de vitiis ſermonis: accedit ejuſdem defenſio nomine Voſſii & Stradæ adverſus Gaſp. Scioppium*: eodem anno *diſſertationem de cauſſis diverſitatis linguarum*: MDCLXXXII. *analecta ad cogitationes de*

lin-

lingua latina, & *conſpectum præſtantiorum ſcriptorum latinæ linguæ*, omnino elegantiſſimum, qui iterum MDCCV. prodiit:

Andreas Borrichius, qui edidit *vindicias purioris latinitatis* MDCCVI., atque in illis fata linguæ romanæ enarravit, deque illius ſcriptoribus diſſeruit:

Chriſtophorus Cellarius, cujus in hanc linguam merita ſunt ampliſſima, hiſtoriam ejus illuſtravit, cum in *prolegomenis curarum poſteriorum de barbariſmis & idiotiſmis*, tum diſſertatione de *fatis latinæ linguæ*, quæ extat in *diſſertationibus academicis* ejus a nobis editis p.455.; præter quam & iſtæ, quæ de *ſtudiis romanorum litterariis in urbe & provinciis* p. 341., de *poëtis ſcholę publicę utilioribus* p.670., ac de *ſolutæ orationis ſcriptoribus ſcholarum uſui publico commendandis* p.695. exponunt, ad hanc claſſem referri poſſunt:

Daniel Georgius Morhofius in *polyhiſtore litterario* lib.IV. cap.11. ſeqq., ubi agit de linguæ latinæ auctoribus ætatis aureæ, argenteæ, æneæ, & ferreæ, qui & alia capita proſequitur, quæ cum hiſtoria hac ſunt conjuncta:

Io: Clericus, qui ubi in *arte critica* part. 1. cap. 2. volum.1. p. 42. exponit de ordine in lectione latinorum ſcriptorum obſervando, erudite de auctoribus ſoluti, ac ligati ſermonis diſſerit:

Ioachimus Langius, qui in *inſtitutionibus ſtili latini* cap.VIII.ſeqq. p.107. diverſas romanæ linguæ ætates enarravit, ac ſcriptores, qui in iſtis nituerunt, recenſuit:

Andreas Goepelius, cujus induſtria in lucem publicam prodiit Ienaci MDCCX. *cenſura*

de

de auctoribus eloquentiæ romanæ, qui vixerunt in adulta, ſive aurea ætate:eodem anno anonymi *notitia auctorum veterum aureæ præſertim & argenteæ ætatis* edita fuit:

Cyriacus Guntherus, qui priori parti *latinitatis reſtitutæ* appendicem adjecit, atque in iſta auctores latinæ linguæ ſecundum diverſas ætates,quæ conſtitui ſolent, recenſuit,aliorumque de illis judicia,ac ſententias collegit:

Jacobus Facciolatus, caſti latini ſermonis peritiſſimus, qui MDCCXIII. Patavii orationem de *latina lingua ex grammaticorum libris non comparanda*, juris publici fecit: ei acceſſit ſyntagma de *latinæ linguæ ortu,interitu,ac reparatione,deque ejus ſcriptoribus ad ſeculum uſque* XVII.:ſermo hic maxime nitidus,non ſolum Lipſiæ MDCCXIV. cura noſtra iterum prodiit; verum etiam primo loco adparet inter *orationes* X. *de optimis ſtudiis*,quas in ſummam redactas laudatus *Facciolatus* Patavii MDCCXXIII.edidit:

Jacobus Burckardus, vir clariſſimus, ac de melioribus litteris maxime meritus,qui eruditiſſimos *commentarios de linguæ latinæ in Germania per* XVII. *ſecula amplius fatis* MDCCXIII., & *novos commentarios, quibus priores illuſtrantur & ſupplentur*, MDCCXXI. edidit, hocque ſtudio nobiliſſimam hiſtoriæ hujus partem egregie illuſtravit:

Beniamin Hederich, qui *notitiam auctorum antiquam & mediam* MDCCXIV.lingua teutonica uſus publici fecit,atque in introductione, quam præmiſit, varia monuit, quæ ad hiſtoriam hanc pertinent:

Chriſtianus Falſterus,vir antiquæ eruditionis romanæ maxime gnarus,libro primo *quæſtio-*

ſtionum romanarum, quo erudite agit de diverſitate linguæ priſcæ, latinæ, romanæ, & mixtæ: de origine linguæ latinæ: de auctore litterarum apud Romanos, ac ratione ſcribendi apud eoſdem diſſerit: prodierunt *quæſtiones romanæ, ſive idea hiſtoriæ litterariæ Romanorum* MDCCXVIII.

Jo: Nicolaus Funccius, qui tanto ſtudio, tamque præclara opera hiſtoriam romanæ linguæ conſcribere cœpit, ut induſtriam ejus omnium aliorum labores, qui ante ipſum in hoc argumento fuerunt collocati, ſuperare ſit dicendum: ipſum inſtitutum ſignificavit programmate, quo de diverſa ratione latinæ linguæ ætates, ac fata definiendi expoſuit: id ſubſecutus eſt MDCCXX. *tractatus de origine latinæ linguæ*: eodem anno alius de *pueritia* illius: MDCCXXIII. de *adoleſcentia* ejuſdem, quod opus, ubi ad finem perductum, plane abſolutum erit. Præter hoſce auctores, quos jam memoravimus, ſunt alii, qui ad hiſtoriam hanc, aut partem illius illuſtrandam acceſſerunt: habemus enim

Jo: Henrici Florini orationem de *quatuor latinæ linguæ ſeculis* MDCXCIV., *Clauderi* orat. de *horrida ſuperioris pontificiæ, & exculta & florida noſtræ Lutheranæ ætatis latinitate*, cujus mentionem habet *Gothofr. Ludovici* in *hiſtoria ſcholarum* part. IV. p. 150., *Jo: Friderici Krebſii* diſſertat. de *linguæ latinæ ante & poſt tempora Caroli M. admodum corruptæ aliquot exemplis & cauſſis* MDCLXXXII., *Georg. Caſparis Kirchmaier* diſſertationē, quæ inſcripta eſt: *elogia, & elegantiæ latin. jur. conſult. veterum ad digeſta* Wittenb. MDCLXXXVII., & aliam: *amœnita-*

ta-

tates atque veneres latinitatis in dictionibus & formulis ex pandectar. jur. voluminibus MDCLXXXVIII. de quibus infra plura dicemus; *Daniel.Georgii Morhofii* epiſtolam de *latinitate in digeſtis*, quæ extat pag. 606. *diſſertat. academicar.*, quem celeberrimum auctorem quũ nominamus, non poſſumus, quin ejus elegantiſſimũ librum de *Patavinitate Liviana* omnibus, qui hiſtoriam, ac rationẽ romanarum vocum & locutionum rimantur, commendemus: accurate atque erudite, non ſolum de latinitate Livii, verum etiam generatim de urbanitate, & peregrinitate ſermonis latini agit, eoque nomine uberiorem materiam, hiſtoriam hanc illuſtrandi adfert: prodiit liber hic Kilon. MDCLXXXIV., qui & additus fuit *diſſertationibus academicis* ejus, Hamburg. MDCXCIX. ubi pag. 471. reperitur. Quum nonnullos auctores de latinitate veterum juriſconſultorum memoravimus, merito illis adjungimus *Guilielmũ Hieronymum Brucknerum* publicum in hac academia legum interpretem, eruditione & pietate inſignem, qui MDCCXIX. in proluſione commentatus eſt de *latinitate corporis juris civilis, an pura ſatiſque probata ſit?* Nec ſilentio præterire poſſumus *Chriſt. Gottl. Schwarzii*, viri laude humanioris doctrinæ graviſſimi, *exercitationem philologicã de fatis vocũ quarundam Altorf.* MDCCXIV., quam ea de cauſſa commendamus, ut ex iſta poſſit intelligi, multis mutationibus linguas eſſe ſubjectas, quod momentum etiam in hiſtoria ſermonis romani diligenter obſervandum eſt, cujus multa exempla in exercitatione hac reperimus: neque non doctiſſimus *Jo: Doppertus de ſcriptoribus, qui doctrinæ theſauris & ſtili* or-

*ornatu ſæc.*VII. *& ſequentia ſicque ipſam barbariem illuſtrarunt*, commentari cœpit, qui & de *linguæ latinæ uſu in curia* tom.III. *miſcell. Lipſienſ.* p.206. egit.

§. II.

Quos recenſuimus auctores, præcipue ipſius latinitatis fata explanarunt: ut autem cognoſcamus, qui fuerint ſermonis hujus ſcriptores, præter illos legendi ſunt, qui de illorum vita, atque ingenii monimentis expoſuerunt; qua opera in gratiam hiſtoriæ litterariæ, alii generatim, alii ſpeciatim ſunt perfuncti. Ad priorem claſſem, prçter auctores lexicorum hiſtoricorum, ac judiciorum, quæ de eruditis, atque illorum ſcriptis collegerunt, uti *Thomas Pope-blountius*, *Tobias Magirus*, *Adrianus Bailletus*, atque alii fecerunt, referri poſſunt *Jo: Henricus Boeclerus* cum in libro de *ſcriptoribus græcis & latinis*, qui ſæpe editus fuit, etiam a *Jacobo Gronov. theſauro antiquitatum græcarum* tom.x. pag.905. additus; tum in *bibliographia critica*, quæ cura clariſſimi *Jo: Gottl. Krauſii* emendata Lipſiæ MDCCXV. prodiit: *Jo: Albertus Fabricius* in elegantiſſima *bibliotheca latina*, cujus nunc tria ſunt volumina Hamb. MDCCXXII., & laudatus *Beni. Hederichius* in *notitia auctorum antiqua & media*. Poſterioris claſſis ſunt, qui ſpeciatim ad quoddam horum auctorum genus ſtudia ſua contulerunt, quum modo de poëtis, modo de oratoribus, modo de hiſtoricis, atque antiquioribus legum interpretibus expoſuerint: habemus igitur ſcriptores

I. *de poëtis latinis*, *Petrum Crinitum* in libris quinque de *poëtis latinis*, qui cum ipſius libris XXV. de *honeſta diſciplina*, & libris II. *poëma-*

matum MDCXLIII. Lugduni prodierunt *Gyraldum*, cujus *hiſtoria*, ſive *dialogi decem de poëtis græcis & latinis* inter opera ejus Lugdun. Batavor. MDCXCVI. extant: *Ger. Jo: Voſſium* libr. II. de *veterum poëtarum temporibus*, *qui ſunt de poëtis græcis & latinis*, Amſtelod. MDCLXII. & tomo tertio operum: *Jo: Petrum Lotichium* in *bibliotheca poëtica*, quamvis in iſta nō ſolum veteres, ſed etiam recentiores poëtas breviter recenſeat: *Olaum Borrichium*, cujus *diſſertationes academicæ de poëtis publicis diſputationibus in regio Hafnienſi lyceo aſſertæ* prodierunt Francofurti MDCLXXXIII., ad quas *ſpecimen analectorum* Lipſiæ MDCXCIV. edidit *Michaël Filitzius*; quod autem, cum recentiores tantum poëtas commemoret, ad inſtitutum noſtrum haud pertinet:

II. de *oratoribus latinis*, quorum notitia comparanda eſt ex *Ger. Jo: Voſſii* libro de *rhetoricæ natura & conſtitutione* cap. XIV. ſeqq., & *Giberti* libro lingua gallica ſcripto, quo exhibet *judicia eruditorum de auctoribus, qui de rhetorica ſcripſerunt*, quibus addi poteſt *Ludovicus Creſollius* in *theatro veterum rhetorum, oratorum, & declamatorum* Pariſ. MDCX., & tom. X. cap. I. *theſauri antiquitatum græcarum Jacobi Gronovii*, licet opus hoc magis ad ipſius eloquentiæ, inprimis græcæ, quam ad oratorum notitiam ſpectet:

III. de *hiſtoricis latinis*, de quibus ſcripſerunt *Ger. Jo: Voſſius* libr. III. de *hiſtoricis latinis* Lugd. Bat. MDLI., *Martinus Hankius* lib. de *romanarum rerum ſcriptoribus* Lipſiæ MDCLXIX., & *Degoreus Whear* in *relectionibus hyemalibus de ratione & methodo legendi utraſque hi-*

ſtorias civiles & eccleſiaſticas Tubing. MDCC. cum *Jo: Chriſtiani Neu* acceſſionibus ib. MDCCIV.

IV. de *jureconſultis*, iis præcipue, quorum mentio fit in commentariis legum romanarum, quibus nomen eſt pandectarum: vitas illorum deſcripſerunt *Guil. Grotius*, *Jo: Bertrandus*, *Nicol. Hoenelius*, atque alii, de quibus videri poteſt celeberrimus *Burc. Gotth. Struvius introduction. ad rem litterariam* cap. VII. & VIII.

§. III.

Horum auctorum indice præmiſſo, ad rem ipſam accedimus: lingua hæc dicitur & *latina*, & *romana*; *latina* a veteri Latio, Italiæ parte, ſive tractu inter Tiberim, & Campaniam. *Latii* nomen deducunt *a latendo*, quoniam Saturnus, fugiens Jovis arma, in hanc regionem fuit delatus, quam *Latium* vocari voluit,

His quoniam latuiſſet tutus in oris,

ut *Virgilius* lib. VIII. v. 322. tradit. idem refert, hanc gentem latinam denominatam fuiſſe a Latio lib. I. v. 6. de Ænea dicens:

dum conderet urbem,

Inſerretque Deos Latio, genus unde latinum.

Verum *Dionyſius Halicarnaſſenſis* lib. I. pag. 8. Aborigines ἐπὶ λατίνυ βασιλέως, ὃς κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐδυνάστευσε, λατῖνοι ἀρξάμενοι καλεῖσθαι, *a Latino rege, qui Trojani belli temporibus regnavit, coeperunt latini adpellari*: adde *Chriſt. Cellarii notit. orb. antiq.* lib. II. cap. 9. p. 786. 787. Dicitur quoque *lingua latia*: *Naſo* lib. II. *pont. epiſt.* 3. v. 75.

Me tuus ille pater, latiæ facundia linguæ.

Romana adpellatur a Roma, quæ non ſolum regionis latii; ſed orbis quoque terrarum lux, at-

que

que omnium gentium arx exiſtimabatur, *Cic. in Catilin.* IV., *& pro Sulla*. Roma *Herodiano*, *Euſeb.*& aliis dicitur πόλις Βασιλὶς & Βασιλέυουσα, vide *Ez. Spanhemium* de *uſu & præſtantia numiſm.*p.687. & 880.*Athenæo* lib.1. cap.17. eſt *caput mundi*, *compendium totius habitatæ terræ*, ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης. *Lactant.* lib.VII.cap. 25. de Roma:*at vero quum caput illud orbis occiderit*, *& ῥύμη eſſe coeperit*; adde obſervationes noſtras pag.879. Ipſi Romani elegantiæ,& puritati ſermonis ſtudebant, & caſtitati illius, quæ miſero deinde caſu exſpiravit, ſervandæ operam dabant ampliſſimam. *Cicero* lib.III. de *oratore*:*quare quum ſit quædam certa vox Romani generis*, *urbiſque propria*, *in qua nihil offendi*, *nihil diſplicere*, *nihil animadverti poſſit*, *nihil ſonare*, *aut olere peregrinum*, *hanc ſequamur*: *neque ſolum ruſticam aſperitatem*, *ſed etiam peregrinam inſolentiam fugere diſcamus*; & Aſinius Pollio, vir clariſſimus Ciceronis & Auguſti temporibus, in T. Livii libris hiſtoricis patavinitatem notavit, id eſt loquendi figuram, quæ magis Patavium, quam Romam redoleat, *Quinctilianus* lib.1. cap.10.

§.IV.

A qua gente origo latinæ linguæ ſit deducenda? in eo diſcrepant auctores ſententiis ſuis. Sunt,qui exiſtimant, natam eſſe linguam hanc a teutonica: ita putavit *Jo.Ludovic.Praſchius*, qui MDCLXXXVI. edidit diſſertationem priorem, MDCLXXXIX. vero poſteriorem de *origine germanica latinæ linguæ* atque in iſtis propoſuit ſibi oſtendere, quod Germania veras radices latinæ linguæ habeat, quam in rem ſancte adfirmat, ſe nullum adhuc vocabulum latinum te-

tėtaviſſe, quin radice teutonica repererit: ſcripſerat *onomaſticum latino-germanicum*, ex illis tantum vocabulis compoſitum, quæ ſono, ſenſu, atque origine cum germanicis conveniunt, cui diſſertationes has præmittere voluit. Auctores *actorum eruditorum* MDCLXXXVI. pag. 325. ubi priorem recenſent, enim veſtigia legiſſe *Cornelii Giſelberti Plempii* in *orthographia Belgica*, obſervant: idem ſenſerunt de linguæ hujus origine *Philippus Cluverius germania antiqu.* lib. 1. c. 7. & 8., *Pezron* de *lingua Celtarum*, & plures alii, ad quos etiam acceſſit clariſſimus *Jo. Nicolaus Funccius*: hic enim in *tractat. de origine latinæ linguæ* id demonſtrandum ſuſcepit, quod avia latinæ linguæ ſit incerta, mater germanica, ac magiſtra græca ſit. Argumēta ſua auctores ſententiæ hujus petunt partim a bellis, & commerciis italorum cum germanis; partim a ſimilitudine, quæ ſit inter multas voces linguæ latinæ, & germanicæ. Sed hæc aliis non ſatis firma videntur: proinde exiſtimant, quod origo linguæ hujus majori jure ex Græcia ſit derivanda, de qua ſententia, atque rationibus, quibus confirmatur, legi poteſt doctiſſimus *Chriſtianus Falſterus* in *quæſtionibus romanis* lib. 1. cap. 2. pag. 27.: dantur aliæ opiniones, quas non eſt, quod omnes recenſeamus, præcipue quum in memorandis illis diligens fuerit laudatus *Funccius*. Nec inter harum rerum ſcriptores conſenſio eſt: num Romulus condiderit Romam, an condita ſit iſta ante Romulum? quod poſterius adfirmavit *Barthol. Chriſtian. Richard.* diſſertatione de *Roma ante Romulum condita* Jenæ MDCCVI. item: num Romulus aliam invexerit linguam? *Jacobus Granovius* diſ-

diſſertat. de origine Romuli p.25. dicit: *Sic ergo illos non Romanos loquutos audimus, quum Romulus nonniſi ea lingua, quæ mox latina dicta eſt, fuerit loquutus, hoc eſt, eam ſimul cum urbe condiderit: unde habuit illam linguam Romulus? ſecumne ex Alba attuliſſe credimus? videlicet ut in itinere* XX. *millium paſſuum ſic ſubito & ipſe & os ejus transformaretur, ac neſcio quæ aëris mutatio repente eum adflans, totum eum retexuerit, adeo ut ex Albanis portis egrediens & Albano ſermoni, qui multum ab græcis traxiſſe fertur, imo ubi, quippe apud non Romanos, græce Feſto teſte loquebantur, adſuefactus, ut Romæ locum tenuit, oblitus priorum inauditas inuſitataſque voces protulerit.*

§. V.

Id veroſimile eſt, quod prima migratione, quum mare trajicerent ex Aſia homines, & pars veniret in Græciam, auctore Javan, pars eodem tempore venerit ad Italiam, ut obſervat *Chr. Cellarius* de *fatis lat. n. linguæ* pag. 457. *diſſertat. academ.* Hoc demonſtrant antiquiſſimi Italiæ populi: Aborigines, de quibus *Livius* lib. 1. c. 1., *Salluſtius bell. Catil.* cap. 6., auctor libelli de *origine romana*: Oenotri, qui inferiorem Italiæ partē occuparunt; vide *And. Torrichium* de *fatis & ætatibus variis latinæ linguæ* p. 2. , quibus acceſſerunt Oſci, Auſones, & alii. *Plinius* lib. III. cap. 5. *ultra Circejos Volſci, Oſci, Auſones, unde nomen Latii proceſſit ad Lirim amnem*: Lydi quoque Tyrrheno duce invecti ſunt in partem, quæ ſupra Tiberim, & Alpes eſt, vide *obſerv. noſtr.* ad lib. 1. cap. 1. *Velleji Paterculi*: namque Atys habuit duos filios Lydum, & Tyrrhenum: ille domi manſit ſucceſ-

for

ſor in paternum regnum, a quo dicta eſt terra Lydia; hic patria relicta perveniſſe dicitur in Italiam, cujus migrationis cauſſam *Herodotus* prodit annonæ difficultatem, qua de re legi poteſt *Andr. Jul. Dornmeyeri diatr. de regn. Lyd. r.* p. 8. His populis fuiſſe diſtinctas linguas, non dubitandum eſt: ex illis vero prævaluit maxime, quæ in tractu partis erat, quam Tiberis finit, & Latium poſtea vocatum eſt, de quo pluribus diſſerit *Chr. Cellarius* d. l. p. 459. Lingua hæc primum mixta fuit & barbara, *Quinctilianus* lib. 1. *inſtit. orat.* c. 5. quumque Romulus aperuit aſylum, convenerunt in una mœnia homines diſpari genere, diſſimili lingua; coaluerunt tamen illi facile in unam gentem: acceſſerunt alii populi, lingua, & moribus haud pares, quæ tamen ſucceſſu temporis in latinam mutata eſt: lege *Andr. Borrichium* d. l. p. 2. 3. Latinos de græca lingua multa admiſcuiſſe, non difficile ad credendum eſt, quoniam non pauca græcitatis veſtigia in latino ſermone reperiuntur, cui accedere poſſet, ſi verum eſſet, Æneam fatis ductum in Italiam veniſſe: namque *Dionyſius* p. 49. conatur perſuadere: τὸ τῶν Τρώων ἔθνος ἑλληνικὸν ἐν τοῖς μάλιστα εἶναι. *Trojanorum gentem maxima parte græcanicam fuiſſe*. Equidem ſunt, qui negant, Æneam veniſſe in Italiam, id quod fecit *Samuel Bochartus* in epiſtola, quam miſit ad dominum de Segrais de quæſtione: *num Æneas unquam fuerit in Italia?* quam ex gallico ſermone in latinum tranſtulit *Jo. Schefferus* Hamburg. MDCLXXII. præter inconſtantiam Scriptorum, & incertitudinem ſepulcri Æneæ, adhibet

duo

duo argumenta, quibus ſententiam hanc corroborari putat: alterum petit a religionis diverſitate, quod Venus, Apollo, Cybele, aliaque numina a Trojanis culta ab initio a Romanis non fuerint recepta; ſed longe poſt urbem conditam demum introducta: alterum a lingua Phrygia, quæ cum latina nihil habeat commune, nec credendum ſit, ſi Romani Trojanis originem ſuam deberent, quod in latino ſermone nulla veſtigia linguæ illius adpareant: ante *Bochartum* in ſententiam hanc venerat *Philippus Cluver. Italia antiq.* p.832., qui non ſolum Æneæ in Italiã adventum negat; verum etiam omnem antiquorum regum hiſtoriam fabuloſam eſſe cenſet. Utriuſque opinionem, atque illius argumenta confutavit *Theodor. Ryckius* diſſertatione de *primis Italiæ colonis & Æneæ adventu*, quæ addita eſt *Lucæ Holſtenii notis & caſtigationibus poſtumis in Stephanum Byzantium* de *urbibus* Lugduni Batavor. MDCLXXXIV., adde *obſervationes Halenſ.* tom.III. obſ.3. p.58.

§. VI.

Linguæ romanæ tardior progreſſus fuit, nec niſi aucto romanorum imperio, cepit incrementa. Verum quum Romani Italiam ſibi ſubjicere inciperent, quod primo Punico bello, tribus aut quatuor ſeculis præterlapſis, factum eſt, aliæ quoque linguæ ſenſim exſpirarunt, ſermone romano ubique inducto. *Polybius hiſtor.* lib.III. p.177. teſtatur, quod *veteris ſane linguæ etiam latinæ tanta diverſitas ſit ab illa, qua hodie utantur, ut vel peritiſſimi nonnulla ægre, ubi animum attenderint, explanare queant. Dionyſius Halicarnaſſenſis*

au-

auctor eſt, ſub rege Tullio uſos adhuc eſſe latinos litteris græcanicis, lib. IV. p. 230. Ipſa litterarum ſtudia ſero coli & exerceri in urbe cœperunt, nec quiſquam clarus illis diſciplinis ante bella Punica commemoratur: immo ſermo romanus poſtea emanavit in ipſas provincias extra latium poſitas, prout cultiſſimi facti ſunt Hiſpani, quod utriuſque Senecæ, Lucani, & Martialis exemplo notum eſt. Ciceronis ætate Corduba ſtudiis litterarum etiam dedita fuit, verum non admodum feliciter, uti *Cicero* pro *Archia* cap. X. ejus poëtas dicit, *pingue quiddam atque peregrinum ſonare*, poſt feraciſſima bonorum ingeniorum facta eſt. *Martialis* lib. I. *epigr.* 62.

Duoſque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Auguſtodunum *Tacitus* lib. III. cap. 43. n. 2. *ann.* prædicat, ubi *Galliarum ſoboles liberalibus ſtudiis operata fuerit*. Tiberii temporibus Durocortori Remorum ita liberalia ſtudia, & latina eloquentia florebant, ut Athenarum nomen acceperit. Cornelius Fronto ex ſeculo Adriani rhetor & grammaticus apud P. Conſentium, itidem veterem grammaticum dixit, illæ *veſtræ Athenæ Durocortoro*: adde doctiſſimum *Georg. Nic. Kriegkium* de *peregrin. roman. acad.* p. 71. 72.

§. VII.

Verum non eadem, & æqualis ſingulorum temporum latinitas fuit: propagata eſt: reſtitit barbariei, & ſumſit ſibi elegantiam & puritatem, quo faſtigio quum pura & culta per tempus aliquod illuxerit, amiſit ornatum, & de culmine ſuo dejecta eſt: quo nomine ope-

ræ pretium fuit, auctores latinæ linguæ in claſſes & ordines dividere, ut pateat, quantum quiſque valeat in probanda latinitate. Varia ratione Scriptores latinæ linguæ incrementa, ac diminutiones illius ſignificare voluerunt. *Iſidorus orig.* lib.IX. cap.I. dicit: *Latinas linguas quatuor eſſe, quidam dixere, priſcam, latinam, romanam, & mixtam: priſca ſit, qua vetuſtiſſimi Italiæ ſub Jano & Saturno ſint uſi incondita, ut ſe habeant carmina ſaliorum; latina* vero, *qua ſub Latino & regibus Tuſciæ ceteri in Latio ſint locuti, ex qua fuerint duodecim tabulæ ſcriptæ: Romana ſit, quæ poſt reges exactos a populo romano ſit geſta, quam Nævius, Plautus, Ennius, Virgilius, poëtæ; ex oratoribus Gracchus, & Cicero, vel ceteri effuderint*: denique mixtam adpellat, *quæ poſt imperium latius promotum ſimul cum moribus & hominibus in Romanam civitatem irruperit, integritatem verbi per ſolœciſmos & barbariſmos corrumpens*; hanc dividendi rationem commendat, atque erudite illuſtrat *Chr. Falſterus* in *quæſtionibus romanis* lib.I. cap.I. Recentiorum diviſiones ſunt variæ: alii rem ſimpliciter pronuntiant, quando *Adrianus* cardinalis tempora latinæ linguæ diſtribuit in *antiquiſſimum, antiquum, perfectum, & imperfectum, in comment. de latino ſermone*, præmiſſa libro de *modis latine loquendi*; & *Jo: Clericus* in lingua hac diſtinguit *initia, perfectionem, & corruptionem, arte crit.* part.I. cap. 2. §. 1. 2. Alii metaphoram uſurpant, quorum dividendi modus duplex eſt: alter a fabellis poëtarum petitus, quibus diverſa rerum humanarum tempora notant,

aureum, argenteum, æneum, & ferreum, ut patet ex *Heſiodo ἔργ.* lib. I. v. 109., & *Ovidio metamorph.* lib. I. v. 89.; alter modus deſumptus eſt ab ætate humana, & diſtribuit latinitatem in pueritiam, adoleſcentiam, virile robur, ſenectutem, eamque tum vegetam, tum inertem. Eundem modum obſervarunt veteres ſcriptores, qui expoſuerunt rerum Romanarum ortum, atque incrementa: *Lactantius inſtit. div.* lib. VII. cap. 15. *non inſcite Seneca* (locus hic in Senecæ operibus non extat) *Romanæ urbis tempora diſtribuit in ætates: primam enim dixit infantiam ſub rege Romulo fuiſſe, a quo & genita & quaſi educata ſit Roma: deinde pueritiam ſub ceteris regibus, a quibus & aucta ſit, & diſciplinis pluribus inſtitutisque formata; at vero Tarquinio regnante, quum jam quaſi adulta eſſe cœpiſſet, ſervitium non tuliſſe & rejecto ſuperbæ dominationis jugo, maluiſſe legibus obtemperare, quã regibus: quumq; eſſet adoleſcẽtia ejus fine Punici belli terminata, tum deniq; confirmatis viribus capiſſe juveneſcere* = *Florus in hiſtor. prologo, ſi quis ergo populum Romanum quaſi hominem conſideret, totamque ejus ętatem percenſeat, ut cœperit, utque adoleverit, ut quaſi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut poſtea velut conſenuerit, quatuor gradus, proceſſusque ejus inveniet*: adde *Ger. Jo: Voſſium* de *hiſtoric. latin.* pr., & *Jo: Freinshemii notas ad Florum* pag. 5. Prout auctores hi in dividendis latinæ linguæ ætatibus diſcrepant; ita haud conveniunt in terminis harum ætatum, atque in ipſis ſcriptoribus, num ad hanc, an ad illam ætatem ſint referendi? auctores de quorum ætate diſputant,

tant, ſunt Juſtinus, Hyginus, Curtius, Dictys Cretenſis, Petronius, Cornelius Gallus, Manilius, atque alii, de qua controverſia bene judicat laudatus *Chr. Falſterus* in *cogitationibus variis philologicis* p. 157.

§. VIII.

Sequamur celeberrimos viros, *Caſparem Scioppium*, *Olaum* & *Andream Borrichios*, *Chr. Cellarium*, *Dan. Georg. Morhofium*, atque alios, ac retineamus dividendi latinæ linguæ tempora rationem, cujus materiam dederunt poëtarum fabulæ: in eo tantum ab hoc diviſionis genere diſcedere liceat, ut ætati aureæ duas alias periodos præmittamus, quarum altera eſt *barbara*, atque *inculta*; altera *media* inter barbaram, atque auream. Id quoque præfari decet, quod hujuſmodi ætates latinæ linguæ haud ita ſint intelligendæ, ac ſi quævis ætas accurate determinet latini ſermonis fata, ſitque firma regula, ſecundum quam rite de latinitate auctoris cujuſdam poſſemus judicare: licet quis ætate aurea floruerit, ex eo tamen haud conſequitur, ut omnia, quæ dixerit latine, optima ſint, atque aurea: id quod etiam indicandum eſt de illis, qui ætate argentea, aut ænea vixerunt: ipſi ætatum termini haud accurate poſſunt conſtitui. Quod ſi omnia veterum auctorum monimenta eſſent conſervata, fortaſſe aliam latinæ linguæ faciem videre poſſemus, ſimulque aliam ætates illius definiendi rationem conſtituere: ſed tamen judicamus de illis, qui ſuperſunt, quumque certæ ætates ſcriptorum, ac latinitatis ponantur, id ea de cauſſa fit, ut generatim, quæ fata illius fuerint, cognoſcamus.

§. IX.

Ætas igitur *barbara* & *inculta* extendit ſe ab origine Romuli uſque ad tempora Livii Andronici, id eſt ab V. C. uſque ad DXIV. *Coſſ.* C. Clodio & M. Tuditano: hujus ætatis varias periodos notamus. Prima eſt ab origine Romuli uſque ad Numam Pompilium, quo tempore græca lingua magis, quam latina viguit, quoniam primi urbis incolæ græci fuerunt, & Romulus ipſe ἐπιγράφας, teſte *Dionyſio antiqu. rom.* II. ἑλληνικοῖς γράμμασι τὰς ἑαυτοῦ πράξεις, græcum ſermonem populo commendavit. Aperto vero aſylo, de quo *Livius* 1.86., *Dionyſius* II. 25. & alii, ſemina poſita ſunt linguæ romanæ; ſed ſub illud tempus barbara adhuc erat, atque inculta: tempore Numæ Pompilii aliquid de barbarie videtur amiſiſſe, conſtitutis Saliis, & Pontificibus. Salii erant Martis ſacerdotes, quos inſtituerat Numa: *Livius* lib. I. cap. 20. *Numa Salios* XII. *Marti legit, cæleſtiaque arma (quæ ancilia appellãtur) ferre, ac per urbem ire canentes carmina cũ tripudiis ſolennique ſaltatu, juſſit. Quintilianus* lib. I. cap. 17. *verſus quoque Saliorum habent carmen: quæ quum ſint a Numa rege inſtituta, faciunt manifeſtum, ne illis quidem, qui rudes ac bellicoſi videntur, curam muſices, quantam illa recipiebat ætas, defuiſſe*: vide *Ger. Jo: Voſſium* de *poëtis latinis p. 2., inſtit. orat.* lib. IV. cap. 1. ſect. 7. *præfat. operis de vitiis ſermon.* & *Carol. Dufreſne præfat. gloſſarii mediæ latinitatis*: illa carmina ſequuntur priſcæ leges regiæ, ac decemvirales. & alia monimenta. Qualis autem ætatis illius ſermo fuerit, id declarat *Cicero* de *orat.* lib. I. cap. 9. *quid enim?*

in

in Numa Pompilio quid? in Serv. Tullio quid? in ceteris regibus, quorum multa ſunt eximia ad conſtituendam rempublicam, num quod eloquentiæ veſtigium apparet? quid exactis regibus? tametſi ipſam exactionem mente, non lingua perfectam L. Bruti eſſe cernimus: ſed deinceps omnia nonne plena conſiliorum, inania verborum videmus? adde *Andream Borrichium* de *fatis & ætat. lat. lingu.* p. 7. Non dubium eſt, quin ſenſim ac ſenſim lingua hæc aliquid elegantiæ acceperit, quod etiam *Tullius* in *Bruto* fatetur; adhuc tamen erat inculta & horrida, confer *Senecam epiſt.* cxiv., & *Gellium* lib. 1. cap. 10. *noct. atticar.*: exempla linguam hanc clarius nobis repræſentabunt, quæ ex *Iacobi Facciolati ſyntagm. de ortu & interitu latin. ling.* p. 14. transferamus.

Lex Romuli & Tatii apud *Feſtum* in voce *Plorare*, ex *Fulvio Urſino* in notis ad leges, & S.C.

Sei. nurus —— ploraſit. ſacra. Deiveis. parentom. eſtod.

Lex Servii Tullii ſexti Romanorum regis apud *Feſtum* ibidem, ex F. *Urſino* in notis:

Sei. puer parentem. verberit aſt. ole. ploraſit. puer. Deiveis. parentom. ſacer. eſtod.

Has duas leges in unam concinnavit *Ioſephus Scaliger*, & emendavit hoc modo:

Sei. parentem. puer. verberit. aſt. oloe. ploraſſint. puer. Diveis. parentum. ſacer. eſto. ſei. nurus. ſacra. Diveis. parentum. eſto.

hoc eſt:

Si parentem puer verberet, aſt illi parentes clamarint, puer Divis parentum ſacer ſit, hoc eſt tanquam maleficii damnatus impune occi-

datur · *Si nurus, ſacra Divis parentum ſit.*

Anno ab urbe condita CCLXI. lex tribunicia apud *Feſtum* in voce *Sacer* ex *F. Urſino* ibidem:

Si. quis. a liuta. ſaxſit. cum. pequnia. ſamiliaq. ſacer. eſtod. ſei. quis. im. occiſit. paricida. nec. eſtod.

ex emendatione *Scaligeri*:

Quei. aliter. ſaxit. cum. pequnia. familiaque. ſacer. eſto. ſei. quis. em. occiſit. pariceida. nec eſto.

hoc eſt:

Qui aliter fecerit, cum pecunia & familia ſua ſacer ſit: ſi quis eum occiderit, parricida ne ſit.

Anno ab urbe condita CCCIV. ex XII. tabulis lex prima de jure privato, quemadmodum eam *F. Urſinus* ex Porphyrione, Feſto, & Gellio concinnavit, atque edidit:

Sei. in. jous. vocat. nei. eat. ſtatim. encapito. anteſtarier. Sei. calvitor. pedemve. ſtruit. manom. endo. jacito. Sei. in. jous. vocato. morbos. ævitasve. vitiom. eſcit. quei. in jous. vocaſit. jumentom. dato. Sei. nolet. arcerem. nei. ſternito.

hoc eſt:

Si in jus vocat, niſi vocatus eat ſtatim, incipe teſtem appellare. Si moratur, vel pedem fugiendo refert, manum injicito. Si in jus vocato morbus, vel ætatis vitium erit, qui in jus vocat, vehiculum det. Si nihilominus ire nolet, lecticam ne illi ſternas.

Addit laudatus *Iac. Facciolatus*: *novi ſane, viros præſtantiſſimos & Romuli leges, & tribunicias, & ex XII. tabulis multo nitidiores*

ediſ-

ediſſe, ut ſeculo pene aureo ſcriptæ videantur, nihil veritos affirmare, ſe illas antiquiſſimis tabulis deſcripſiſſe. Verum ſit earum fides penes ipſos: ego enim ſcriptores ſequutus vel pares, vel pene pares, non ſolum elegantiora monimenta illiteratiſſimæ antiquitati convenire non puto; ſed ne illa ipſa quidem, quæ modo attuli, ſatis mihi rudia & obſcura videntur, ut in ea jurare paratus ſim. Quod ut confirmem, non Ciceronem appellabo, non Quintilianum, non Gellium, non Polybium, qui ejus ætatis ſtilum ita inconditum & obſcurum dixerunt, ut quædam vix peritiſſimi interpretes intelligerent; ſed inſcriptionem afferam ævi multo poſterioris, & ad linguæ adoleſcentiam proxime accedentis, quæ tamen ruditate verborum allata monimenta, niſi fallor, longiſſime ſuperat; ut ſi quis velit utraque tueri, eum neceſſe ſit affirmare, linguam latinam ad annos usque CCCCXCIV. *non modo nihil profeciſſe, ſed etiam declinaſſe:* inſcriptio, cujus mentionem facit, eſt L. Scipionis, qui anno ab urbe condita CCCCXCIV. conſul fuit.

HOINC OINO. PLOIRUME. CONSENTIONT. R.
DUONORO. OPTUMO. FUISE. VIRO.
LUCIOM. SCIPIONE. FILIOS. BARBATI
CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC FUETA
HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQUE. URBE.
DEDET. TEMPESTATEBUS. AIDE. MERETO.

hoc eſt, ut *Iacobus Sirmondus* interpretatur:

Hunc unum plurimi conſentiunt Romæ
Bonorum optimum fuiſſe virum
Lucium Scipionem. Filius barbati,
Conſul, cenſor, ædilis hic fuit.
Hic cepit Corſicam, Aleriamque urbem,
Dedit tempeſtatibus ædem merito.

confer quæ *Antonius Auguſtinus*, & *Paulus Merula* commentati ſunt ad fragmenta legum XII. tabularum.

§. X.

Secundum ſeculum latinitatis nobis videtur eſſe *medium* inter barbarum, & aureum, quod *Sam. Bochartus epiſt. de Æneæ in Italiam adventu* p.56. ſemibarbarum dixit; hoc extendimus ab ætate Livii Andronici uſque ad Ciceronem: poëtæ primi fuerunt, qui cultum latinitatis tentarunt, in quibus facile primus eſt

Livius Andronicus, de quo *Cicero de claris oratoribus* cap.XVIII. dicit: *hic Livius primus fabulam C. Clodio, Cæci filio, & M. Tuditano* coss. *docuit, anno ipſo, antequam natus eſt Ennius, h.e.anno* DXIV. *A. Gellius* lib. XVII.cap.21.*pace cum Pœnis facta*, coss. *Claudio Centone, Apii Cæci filio, & M. Sempronio Tuditano, primus omnium L. Livius poëta fabulas docere Romæ cœpit, poſt Sophoclis & Euripidis mortem annis plus fere centum & ſexaginta, poſt Menandri annis circiter quinquaginta duobus*: adde *Livium* Patavinum lib.VII. cap.2., & *Svetonium de clar.grammatic.*cap.1.; hunc ſequutus eſt

Nævius quinquennio poſt Livium eadem ar-

arte ſe proferens: Gellius lib. 1. cap. 24. profert epigramma, quod ipſe Nævius fecit, & ſepulcro ſuo incidendum reliquit:

Mortalis immortalis flere ſi foret fas,
Flerent divæ Camænæ Nævium poëtam.
Itaque poſtquam eſt orcino traditus theſauro,
Oblitei ſunt Romæ loquier latina lingua.

quo patet, eo tempore Romanos cœpiſſe ſermonem reddere cultiorem, licet verba illius ævi ſint aſpera atque obſcura, quæ ad orationem eleganter componendam haud adferri poſſunt, quæve etiam ætas cultior merito reſpuit. Bello Punico ſecundo colendæ linguæ huic operam dederunt. Porcinius Licinius, vetus poëta, apud A. *Gellium* lib. XVII. extr. id prodit his verſibus:

Poenico bello ſecundo muſa pinnato gradu
Intulit ſeſe bellicoſam in Romuli gentem feram;

quod etiam Plauti, Ennii, Cæcilii, Terentii, Pacuvii, Accii, Afranii, Lucilii, aliorumque ſcripta & fragmenta teſtantur; quorum fractas tabulas ex Cicerone, Varrone, Gellio, Macrobio, Feſto, Nonio, Priſciano, aliisque grammaticis collegit *Rob. Stephanus*, easque vulgavit *Henricus* filius: quod ad *Plauti* latinitatem adtinet, refert *Quinctilianus inſtit. orat.* X. 1. *Varronem dicere, muſas Ælii Stolonis ſententia Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi latine loqui vellent*; & *Horatius* de *arte poët.* v. 270. *at noſtri proavi Plautinos & numeros, & laudavere ſales. Juſtus Lipſius* quoque, atque alii Plautum ob elegantes urbanoſque ſales inprimis amarunt. *Jo. Guilielmus Bergerus diſſertation. acad.* p. 204. ob-

obſervat *Plautum latinitatis parentem rectius, quam principem, appellatum fuiſſe, & imitationis circumſpectæ judicium ſibi poſtulare, propterea quod multa pronuntiet, extra ſcenam jocumque haud probanda, multa ex abrogato dicendi genere uſurpet, quæ orationis expolitæ lex non admittat* :

Ennius Calaber fuit genere, Rudiis ortus, inter arma belli Punici ſecundi ductor ordinum & centurio: linguam quidem vario carminum genere coluit, quorum fragmenta non pauca habemus: attamen non ab re eſt, dixiſſe *Ovidium* lib. II. *triſt*. v. 424.

Ennius ingenio maximus, arte rudis. quum græcam linguam, oſcam, & latinam calleret, ſolitus eſt dicere: *ſibi eſſe tria corda*, auctore *Gellio* lib. XVII. cap. 17. præter comœdias, tragœdias, ſatiras, ſcripſit quoque annales, & hiſtoriam belli Punici ſecundi verſibus hexametris, fragmenta reperiuntur apud Ciceronem, Gellium, Macrobium, & grammaticos, qui eum magnis laudibus ornant: ſequitur

Cæcilius, de quo *Cicero* in *Bruto*: *mitto C. Lælium, P. Scipionem; ætatis illius iſta fuit laus tanquam innocentiæ, ſic latine loquendi; non omnium tamen: nam illorum æquales Cæcilium, & Pacuvium male locutos videmus*. Vulgatius Sedigitus præponit Cæcilium aliis comicis apud *Gellium* XV. 24. adde IV. 20.

Terentius præ aliis ſtuduit puriori ſtilo, licet etiam archaiſmos ſuos, & propria veterum comicorum habeat: *Cicero* ad *Atticum* lib. VII. *epiſt*. 3. *Terentii*, inquit, *fabellæ propter elegantiam ſermonis putabantur a Cajo Lælio*

ſcri-

ſcribi; *Vellejus hiſt.*1. 17. *dulces latini lepo-ris facetiæ per Cæcilium, Terentiumque, & Afranium ſub pari ætate nituerunt*: adde *Quin-ctilianum* lib.x. c.1. *declam.*IX., *Plinium* lib.VI. *epiſt.*16., *Gellium* VII. 14. XVII. 21. habemus Terentianæ imitationis veſtigia apud veteres exquiſitiſſimos ſcriptores Ciceronem, Nepo-tem, Livium:

Tragœdiarum ſcriptores *Pacuvius*, & *Ac-cius*, judicante *Fabio* x. 1. fuerunt *clariſſimi gravitate ſententiarum, verborum pondere, au-ctoritate perſonarum*. Pacuvii verſus *ornatos*, *& elaboratos* dicit *Cicero* in *orat*. c.11. Accium inter clariſſimos poëtas ponit *Columella* lib.1. *præf.*; addi debet

Afranius, de quo *Cicero* in *Bruto*: *quem (L.Titium) ſtudebat imitari L.Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut ſcitis, diſertus*. *Quinctilianus* x.1. *togatis ex-cellit Afranius*:

Lucilius clarus fuit in ſatira, vide *Vellejum Paterculum* lib.11. 9.4., & *Quinctilian.* lib.XVII. cap.21.; his addo

T. Lucretium proximum ante Ciceronem, & auctorem ſex librorum de *rerum natura*: habet Lucretius aurea ætate digna, ſed ab illis haud plane immunis eſt, quæ veluti impura, & durius dicta ævum aureum poſthæc abroga-vit: hinc *Olaus Borrichius cogit. de variis la-tin. lingu. ætatibus* p. 4. *in Plauto & Lucretio plura, in Varrone & Terentio nonnulla occur-runt obſoleta, quæ hodie verius pro metallo adorandæ rubiginis, ut Juvenalis loqui amat, quam puro, putoque obryzo habenda, utcun-que fuerint id temporis ſatis elegantia, ſatis*

au-

aurea. † Nec vero ſoli poëtæ temporibus illis latinum ſermonem coluerunt; verum etiam hiſtorici, & oratores, qui æmulati ſunt carminum auctores. *Fabius Pictor* primus romanorum ſoluta oratione hiſtoriam ſcripſiſſe fertur: *Catonis origines* etiam notæ ſunt, ut de aliis pluribus taceam, de quibus multa apud *Ger. Io: Voſ.ium* videas de *hiſtoricis latinis* opere lib.1. cap.2. Oratores, qui ante Punica bella dixerunt orationes, veluti Menenius Agrippa, Appius Claudius Cæcus, M. Popilius, de quibus Livius II.cap.32., *Silius Italicus* lib.XIII.725., *Cicero* in *Bruto* cap.XIV., inter oratores non ponendi ſunt, quia naturali vi, & ſine arte dicendi perſuaſerunt populo: neque ante bella Punica inveniemus, quos in numero ponamus eloquentium oratorum. *Cicero* primum cap.XV. ponit M.Corne-

† *de Lucretio monet quædam Andr.Borrichius de* ætatibus latinæ linguæ *p.*30 *ſeq. contra Chr.Cellarium, quod eum aureo ævo excluſerit: provocat primum ad Lucretii ætatem, qui teſte Hieronymo in* chronico *natus ſit anno poſt Ciceronem undecimo: ſed dixerim, id quidem patere, æqualem eſſe Lucretium Ciceronis ætate; verum quum latinæ linguæ puriori colendæ non eam operam addixerit, quam ſcriptores aureæ latinitatis, recte refertur ad auctores latinitatis mediæ, quæ neque puriſſima, neque maxime barbara. Deinde opinatur Borrichius, ob archaiſmos Lucretium ex cenſu aurei ævi non poſſe exterminari, alioquin Salluſtius idem fatum ſubire deberet: ſed alia ratio eſt archaiſmorum Salluſtii, alia Lucretii.*

nelium Cethegum, quem Ennius audivit, & his laudibus in nono *annali* ornavit: *additur orator Corneliu' ſuavi loquenti ore Cethegus Marcu' Tuditano collega, Marci Filius*: poſt hunc clarus eſt Cato, & alii majori numero ſe protulerunt, C. Lælius, & P. Scipio Æmilianus, uterque Gracchus, Tiberius, & Cajus, Servius Galba, C. Carbo, de quibus copioſe *Cicero de clar is oratoribus*. †

§.XI.

Inter auctores diſputatur: in quo cenſu latinitatis hæ tres claſſes poëtarum, hiſtoricorum, & oratorum habendæ ſint, qui a Punicis bellis ad tempora Ciceronis clari fuerunt? *Caſpar Scioppius*, & *Olaus Borrichius* arceſſunt ætatem auream a bello Punico ſecundo, quia tum cœperint Romani ſcribere, & loqui elegantius: præclara ſunt, quæ de controverſia hac *Cellarius de ſatis latinæ linguæ*, §.XIX.

† *Vellejus Paterculus* II. 19. eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Æmilianus, Leliuſque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius: nec prætereundus Metellus Numidicus, & Scaurus; & ante omnes L. Craſſus, & M. Antonius, quorum ætati ingeniiſque ſucceſſere C. Cæſar; Strabo P. Sulpicius: *addantur Ger. Io. Voſſius de* natura & conſtit. rhetoric., *interpretes Ciceronis de* clar. orat. *in primis Iacobus Prouſt, qui librum iſtum illuſtravit notis in* uſum Delphini *Pariſ.* MDCLXXXVII. *Chr. Cellarius de* ſtudiis Romanorum p. 347. diſſert. academic. *& quæ diximus in præfatione de* fatis orat. inter rom. *præmiſſa laudati Cellarii* orat. p. 41. *ſeq.*

§. xix.ſeq.monet:*Præclaras quidem laudes, ſed tamen ita moderandas, ut genium latinæ linguæ, qui in ſcriptoribus obſervatur, magni faciamus; alia vero in iis horrida, aſpera & inculta, & omnes archaiſmos, ac quidquid poſtea in meliorem rationem converſum fuit, notemus, fugiamus: nam primum fuerunt in ipſis etiam, qui male loquuti fuerunt: quum enim dicto loco ſub Attici perſona dixiſſet Tullius*, ætatis illius laudem fuiſſe, latine loqui; *adjicit ſtatim*, nec omnium tamen, nam illorum æquales, Cæcilium & Pacuvium, male loquutos videmus. *Quid vero de Galba, Catone, Cælio? ejusdem libri* cap. LXXXVI. *pergit in perſona cenſoris*: Galbam laudas? ſi ut illius ætatis principem, adſentior; ſic enim accepimus: ſin ut oratorem, cedo, quæſo, orationes, & dic, hunc quem tu plus quam te amas, Brutum velle te illo modo dicere? probas Lepidi orationes? paulum hic tibi adſentior, modo ita laudes, ut antiquas: quod item de Africano, de Lælio ſentio, cujus tu oratione negas, fieri quidquam poſſe dulcius. *paullo ante de Catone idem ita cenſuit*: riſum vix tenebam, quum Attico Lyſiæ Catonem noſtrum comparabas: magnum mehercule hominem, vel potius ſummum & ſingularem virum: nemo dicet ſecus: ſed oratorem? ſed etiam Lyſiæ ſimilem, quo nihil poteſt eſſe pictius? bella ironia, ſi jocaremur: ſin adſeveramus, vide, ne religio nobis tam adhibenda ſit, quam ſi teſtimonium diceremus: ego enim Catonem tuum ut civem, ut ſenatorem, ut imperatorem, ut virum denique cum prudentia & diligentia, tum omni virtute excellentem probo:

bo: orationes autem ejus, ut illis temporibus, non valde laudo; ſignificat enim quandam formam ingenii, ſed admodum impolitam, & plane rudem. *Et quid opus eſt teſtimoniis, ubi res, quod ipſa eſt, aperte loquitur? ex Catonianis ſolus liber de re ruſtica ſupereſt, non quidem contemnendus, neque vero comparandus ornatiſſimis libris Moderati Columellæ, qui in eodem argumento; ſed felicius, & faventiore muſa, ac applaudente, verſatus eſt. Ne vero ſolius Ciceronis teſtimonio ſtemus, Quintilianum adjungimus, magiſtrum artis & cenſorem æquiſſimum: hic* lib. XII. cap. 10. fuere, *inquit*, quædam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioquin ingenii magnam vim præ ſe ferentia: hinc ſunt Lælii, Africani, Catones, Gracchique: *& de principe poëtarum ita ſentit libro* X. cap. I. Ennium ſicut ſacros vetuſtate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora jam non tantam habent ſpeciem, quantam religionem: *& auctor dialogi de oratoribus* cap. XVIII. *idem cenſuit*: ſi qua, *inquit*, ex oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eandem dicerem in medio ſitam, & propiorem nobis, quam Galbæ, C. Carboni, quosque alios *Antiquos* merito vocaremus: ſunt enim horridi & impoliti, & rudes & informes. *Sed Terentius nobis, & Plautus objiciuntur, tanquam præſtantiſſimi artifices latinitatis, quaſi aurea ex illorum fabulis omnino repetantur; ideoque injuriam fieri, ſi excludantur ab ætate aurea: diximus autem ſupra, Plautina plura eſſe, quæ archaiſmos teneant, ſicut nec ab illis plane liberatus eſt elegantior Terentius: præterea abun-*

dare ſæpe iis verbis atque formulis, quæ poſtmodum in obſoletorum cenſum rejecta fuerunt: unde Ciceronis ætas & omnis inſequuta elegantior, ab illis ſibi ſummo ſtudio & induſtria temperavit: ipſe Borrichius in analectis pag. 3. *inter multas laudes, etiam quod vituperet, non poteſt præterire*: non ſunt, *inquit*, ab aureo ſeculo excludendi Cato, Plautus, Terentius, Lucretius, quorum dictio prorſus latina, prorſus elegans; ſed circumcidendæ tantum obſoletę eorundem fimbriæ. *Deinde non negamus, aurum latini ſermonis ex Terentio, & Plauto peti poſſe: verum totos illos aureos eſſe, & illorum ætatem æque auream, ut Ciceronis, & Auguſti Cęſaris; non poſſumus adduci, ut credamus: non enim omne aureum eſt, unde aurum eruitur, quod in ſordibus etiam, & lutulenta materia invenitur: nec omnes ejuſdem temporis auctores in hoc cenſu pares ſunt; ſed Terentius omnino ceteris longe anteferendus, quia ingenio, & induſtria profecit ſupra id, quod ſuorum erat temporum, ut pauciores fimbrias (liceat cum Olao loqui) in ipſo cicumcidendas inveniamus*: hactenus *Cellarius*.

§. XII.

Auream latinæ linguæ ætatem a Ciceronis ætate ad exceſſum Auguſti Cæſaris deducimus, † intra quod temporis ſpatium implerunt

† *Cicero quippe natus eſt in villa Arpinate V.C.* DCXLVIII. *adoleſcens ſcripſit* Marium, *hoc eſt res geſtas C. Marii, de legibus I. ineunte: & de* inventione rethorica *libros duos,* quos adoleſcenti elapſos *Quintilianus lib.* III. *cap.* I.

runt orbem terrarum nominis ſui, ingeniique gloria,& multa contulerunt ad puritatem & elegantiam linguæ romanæ *Varro*, *Cicero*, *Cæſar*, *Hirtius*, *Nepos*, *Virgilius*, *Horatius*, *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, *Livius*, *Ovidius*, *Salluſtius*, *Vitruvius*, *Laberius*, *P. Syrus*, *Severus*, *Manilius*, *Gratius*, *Albinovanus*, *Hyginus*, *Germanicus*, *Verrius Flaccus*, ut taceamus de oratoribus, quos ætas hæc vidit, Ciceronis æquales, aut paullo juniores, Hortenſiis, Cæſaribus, Calvis, Cæliis, Brutis, Aſiniis: de hiſtoricis Pomponio Attico, Pollione Aſinio, L. Luccejo, Ælio Tuberone, Trogo Pompejo, aliiſque horum æqualibus, quorum monimenta perierunt.

M. Terentius Varro æqualis Ciceronis, magno ſtudio in eo elaboravit, ut patrium ſer-

E 2 mo-

cap. I. *dicit. Auguſtus vero lucem publicam adſpexit teſte Svetonio in* Auguſt. v. *Cicerone, & Antonio Coſſ.* IX. *calendis octobris, ſeu V. C.* DCXCI. *poſt adminiſtratam reipublicæ curam per* LVII. *annos, obiit Nolæ in Campania, quum natus eſſet* LXXVI. *annos: lege Petavium lib.* X. *de* doct. temp. *cap.*64., *&* ration. tempor. *p.* 11. *lib.*III. *cap.* 15. *p.* 565. *Nolæ Auguſtum mortem obiiſſe, teſtantur Svetonius, Vellejus Paterculus; ſed Eutropius* VII. 5. 1. *adfirmat, expiraſſe in oppido Campaniæ Atella, cui accedit Euſebius* in chronic. *Hieronymo interprete. Quod ad ipſos auctores latinæ linguæ, quorum ætatem auream eſſe putamus, adtinet, iſtos ita commemoravimus, ut non accurate temporis ratio fuerit obſervata.*

monem ad id, quod ſummum eſt, perduceret, quod clare teſtantur libri XXIV. de *lingua latina*, e quibus ſex tantum ſuperſunt: fragmenta collegit *Antonius Auguſtinus*, quæ leguntur in editione *Vertranii Mauri*;& additis nonnullis in Varrone *Auſonii Popmæ*, item *Dionyſii Gothofredi auctoribus latinæ linguæ*: ad hæc ſcripſit plurima, quæ præter libros de *re ruſtica* interierunt.

M. Tullius Cicero latinam linguam ad id nitoris perduxit, ut nihil poſtea ad perfectionem ejus addi potuerit ab inſequentibus. *Vellejus Paterculus* lib. 1. cap. 17. *oratio & vis forenſis perfectumque proſæ eloquentiæ decus, ut idem ſeparetur Cato, (pace L. Craſſi Scipioniſque, & Lælii, & Gracchorum, & Fannii, & Seru. Galbæ dixerim) ita univerſa ſub principe operis ſui erupit Tullio, ut delectari ante eum pauciſſimis, admirari vero neminem poſſis, niſi ab illo viſum, aut qui illum viderit*. *Fabius inſtit.* orat. X. 1. *ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit*. Cicero tanquam regula & norma habendus eſt, ad quam latini ſermonis cum caſtitas, tum elegantia referatur: ſtuduit mirifica cura puro ſermoni, ut neque ante eum, neque poſt eum videamus, qui ei ſit æqualis: elegantia ſtili ejus adeo dulcis eſt ac ſuavis, ut quum puri, atque elegantis ſermonis amatores perlegant illius monimenta, tanta capiantur voluptate, ut vix animum a perlegendi ſtudio retrahere poſſint:

C. Julii Cæſaris commentarios habemus de *bello gallico & civili*, de quibus *Cicero* in *Bruto* cap. LXXV. *commentarios ſcripſit valde quidem probandos: nudi ſunt, recti, & venuſti,*

omni ornatu orationis, tanquam veſte, detracto: ſed dum voluit, alios habere parata, unde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam; ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa calamiſtris inurere: ſanos quidem homines a ſcribendo deterruit. & *Hirtius præfat.* lib.VIII.de *Cæſaris bello gallico: adeo probantur omnium judicio, ut prærepta, non præbita facultas ſcriptoribus videatur: cujus tamen rei major noſtra, quam reliquorum eſt admiratio; ceteri enim, qui bene, atque emendate, nos etiam, quam facile, atque celeriter eos confecerit, ſcimus.* Licet Cæſar maximis intentus rebus, & totus in republica,& cura bellorum; nihilominus grammaticis litteris ſtudium ſuum minus negavit, & in eo argumento compoſuit duos libros de *analogia*, eoſdemque Ciceroni dedicavit; de quibus *Cicero* ſub alterius perſona cap.LXXII.in *Bruto* ita judicat:*quin etiam ex maximis occupationibus quum ad te ipſum, inquit, in me intuens, de ratione latine loquendi accuratiſſime ſcripſerit, primoque libro dixerit, verborum delectum originem eſſe eloquentiæ:* cetera *Gellius* lib.x. ſervavit ex his hoc ſaluberrimum, *ut tanquam ſcopulum ſic fugiamus inauditum atque inſolens verbum*. *Svidas* libros hos in Γαϊος Ιούλιος vocare videtur τέχνην γραμματικήν.

Hirtius, qui Romæ conſul fuit cum Panſa, librum octavum *de bello Cæſaris* ſcripſit, ex cujus præfatione etiam conſtat, eundem eſſe auctorem libellorum de *bello Alexandrino*, & *Africano*: quamquam *Svetonius Cæſare* cap. LVI. tradat, dubitatum fuiſſe, Oppiine, an Hirtii eſſent: vide *Iuſt. Lipſium electorum* II.

22.ſti-

22. ſtilus, quo commentarii hi conſcripti ſunt, purus eſt & perſpicuus, quamvis interdum habeat, quæ ex cenſu purioris ſermonis debeant ejici: *Lipſius not. in Tacit. an.*11. adpellat librum de bello Africano *terſiſſimum commentariolum*; ſed *Goduino* liber ultimus de bello Hiſpanico *barbariem redolere* videtur:

Cornelius Nepos Ciceroni elegantia nihil cedit, qui pura, & eleganti oratione maxime ſuavis eſt: *A. Gellius* lib.xv. c.28. *Cornelius Nepos & rerum memoriæ non indiligens, & M. Ciceronis, ut qui maxime amicus familiariſque fuit. Olaus Borrichius conſpect. auct. lat.ling.* p.21. *dictio Nepotis munda eſt, lecta; ſed ſimplex, & nativa quaquam proprietate, ſine ulla adfectatione, ſponte fluens, unde pueri germanam illam pure loquendi latine conſuetudinem haurient, maturiores etiam plura civilis & militaris prudentiæ monita variis ſententioſe dictis temperata.*

Virgilio qui in poëtis latinis præferatur, nullus eſt, ideoque eum *Vellejus Paterculus* lib.11. cap.36. dixit *principem carminum*; qui etiam apud latinos magnam gloriam adſecutus eſt: *Silius Italicus* lib.viii. v.594.

Mantua muſarum domus, atque ad ſidera cantu
Evecta Andino, & Smyrneis æmula plectris;

Horatius pro hoc lib.1. *od.*3. votum fecit. hunc *Seneca* in epiſtolis & alibi allegavit: de dictione ejus *Olaus Borrichius* d.l.p.27. *dictio ejus in Bucolicis humilior; ſed pura: in Georgicis floridior lætiorque: in Æneide magnifica & ſine adjectatione cothurnata, imo ita miri-*

rifice expicta digreſſionibus, comparationibus, veriſimili eventum varietate; ut licet in argumento ficto occupetur, propemodum tamen legentibus fidem exprimat: accedit, quod res verbis æquet, actiones tardas graveſque ſpondæo convenienter imitatus, celeres volubilis dactylo, qua parte omnes hactenus poëtas anteiit:

Horatius Flaccus excellit in lyricis, quamvis ſit parum caſtus: epici libri præſtant & argumento,& acumine; propter metrum autem non adeo ſuaves ſunt,ut Lyrici.*Borrichius* d.l.p.29. *Dictio ejus genuina facilitate ſe commendat, & tamen coloribus rhetorum pulcherrime diſtincta cernitur: in lyricis a nemine latinorum vincitur: ſermones ejus, & epiſtolæ,ut ſapientiæ monitis & phraſi electa abundant, ita numeris ut amabili rotunditate carent.*Clari quoque ſunt ingenio C. Valerius Catullus paullo ante Virgilium, Albius Tibullus Panſa & Hirtio *Coſſ.*,& Sextus Aurelius Propertius:

Catullus reliquit nobis librum *epigrammatum*, variorumque poëmatum, diverſo genere carminis ſcriptorum, Cornelio Nepoti ſacratum: præter hæc multa ſcripſit; ſed pauca ad nos pervenere: *elegantiſſimus poëtarum* dicitur a *Gellio* VII. 20. *Iulius Cæſar Scaliger poëtic.* lib. VI. qui eſt *hypercriticus* cap. VII. p.798. de eo dicit: *Multa impudica, quorum pudet: multa languida, quorum miſeret: multa coacta, quorum piget: nam invitum tractum eſſe, & multum & ſæpe conſtat, a ſuis verſibus. Franciſcus Vavaſſor* de *dictione ludicra* p.231. 232. *Meum judicium ſemper fuit, ita Catullum cum Martiale comparari poſſe, uterque ut vincat*

eat, & vincatur : illum quidem puro ac ſimplici candore, & nativa quadam minimeque adſcita excellere venuſtate formæ, quæ accedat quam proxime ad græcos ; hunc acumine, quod proprium latinorum & peculiare tunc fieri cœpit, valere: adeoque Catullum toto corpore epigrammatis eſſe conſpicuum, Martialem clauſula præcipue, atque ultimo fine, in quo relinquit cum delectatione aculeum, ſpectari. Quod ſi verſum & numeros attendimus, Martialis hendecaſyllabos, ſcazontas, jambos, præ Catullianis agreſtes & invenuſtos, elegiacos Catulli duriuſculos & ſcabros & parum, ut ita loquar, enodes : ſi expendimus elocutionem, tantum videri alterum ſcriptorem alteri præſtare, quanto ex duobus, quibus latina lingua maxime floruit, temporibus, præſtantior Julii Cæſaris ætas, quam Veſpaſianorum, & Nervæ, Trajanique fuit:

Tibullus æqualis fuit Ovidii, &, quamvis minus caſte, ſcripſit libros *elegiarum* IV. cum panegyrico heroico ad Meſſalam. *Quinctilianus* x. 1. *elegia græcos quoque provocamus, cujus mihi terſus, atque elegans maxime videtur auctor Tibullus: ſunt, qui Propertium malint. Rolandus Mareſius epiſt.* II. 6. *durum mihi quidem eſt, ab acris judicii critico (Quinctiliano) diſcedere, qui Tibullum videtur præferre ; ſed tamen in iis me eſſe fateor, qui Propertium malint: quamvis enim Tibullus ſit mire jucundus & elegans ; latinæ enim proprietatis amantior, quam alter, qui ſepe græciſſat, & in carmine exactior & rotundior: tamen Propertius illum eruditione, & ingenii ſuavitate videtur ſuperare, blandus omnino & lenis in adfe-*

ſectibus, in quibus etiam exprimendis nonnunquam tanquam calidus amator, & amore deperditus, vehementior fuit:

Propertius floruit poſt Tibullum tempore Ovidii: exſtant lib. IV. *elegiarum*, quarum verſus ſunt laſcivi. *Olaus Borrichius cogit.* p. 262. dicit eum *incorruptiſſimum latinæ linguæ auctorem*. *Adrianus Turnebus adv.* lib. XII. c. 15. *tanta verſuum Propertii jucunditas & amœnitas eſt, ut eos dictantibus gratiis a poëta exceptos cenſeas: tantum optarem, ad aliam potius, quam amatoriam materiam, beatam illam, & candidam ingenii venam contuliſſet, ut juventuti tutius legi poſſet*.

T. Livius Patavinus in hiſtoricis enituit, cui *Quinctilianus* lib. X. cap. I. *lacteam ubertatem* tribuit, eumque Herodoto comparatum, dicit, *cum in narrando miræ jucunditatis clariſſimique candoris; tum in concionibus, ſupra quam enarrari poteſt, eloquentem: ſic enim dicere omnia cum rebus, tum perſonis accommodata; & adfectus, præcipue eos, qui ſunt dulciores, neminem hiſtoricorum commendare magis*; ideoque lib. II. cap. V. Livium ab adoleſcentibus magis, quam Salluſtium legendum eſſe judicat:

P. Ovidius Naſo ex ordine equeſtri natus Sulmone in Pelignis v. c. DCCXI. multa ſcripſit, in quibus puritatem ſermonis latini ſectatus eſt. *Caſpar Scioppius conſult.* p. 51. *Ovidius quoque magna in verbis novandis licentia utitur, ac neque humilia & a plebe petita faſtidit, eaque re non nemini viſus eſt argenteæ potius ætati accenſendus*: & de *ſtilo* p. 176. Ovidius ſcripſit *latinitatis auro in argentum degeneran-*

rante. *Jo. Henricus Boeclerus* diſſert. de *comparanda latinæ linguæ facultate*, cap.1.§.15. tom. III. oper. 538. *admiranda eſt in Ovidio orationis puritas, agilitas, facilitas, tam in verbis, quam in ſenſibus contextuque; & quando copia & argumenti varietate abundat, valde propagari poteſt cognitio latinitatis ex illo auctore*:

C.Salluſtius Criſpus natus Amiterni oppido Sabinorum, auctor eſt *belli Iugurthini*; *belli Catilinarii*; *orationum de republica ordinanda*, & *declamationis in Ciceronem*: de latinitate ejus diſputatur in utramque partem, de qua, ut & Livii & Ovidii, pluribus infra diſſeremus.

M. Vitruvius Pollio auctor eſt libr.x.de *architectura*: melior vero eſt architecturæ, quam latinitatis magiſter, quoniam habet ſuos idiotiſmos. *Ol.Borrichius* de *var.lat.linguæ ætatibus p.5. is ſcriptor* (Vitruvius) *ſuæ licet artis, architecturæ videlicet, intelligentiſſimus, multa e vulgo haurit, quæ elegantiores omnes reſugerunt*, *inquit Ger.Ioann. Voſſius*: *in eandem pene ſententiam Scioppius*, Vitruvius, *inquit*, orationem peregrinitate, & plebitate infuſcat: *at peregrinitatem excuſat, immo imperat argumenti novitas, quod ex græcis pene omnia fontibus haurienda: plebitas ut cum Catone loquar, ipſi neceſſaria & ſine vitio, quod plebejorum manibus, & lingua uti cogatur architectus: quid? quod plebs ſæpe de rebus quotidiano opere ſibi cognitis magis proprie pureque (præſertim optimo illo ſeculo) loquatur, quam in ſchola philologus*: †

De-

† *Hujus enim Uitruvii ſunt* nullibi, *quod ſo-*

Decimus Laberius præcipui nominis auctor eſt inter mimorum ſcriptores, cujus, item Publii Syri mentionem faciunt *Gellius* & *Macrobius*. Laberius *verborum novator* dicitur a *Goclenio obſerv.* VIII. p.16., & *obſerv.* IX. p.21. *is præ quovis alio vocabulorum innovator habitus fuit*:

Publius Syrus, de cujus mimis fragmenta ſuperſunt, de quibus *Macrobius ſaturn.* lib. II. c.7. *Publii ſententiæ feruntur lepidæ, & ad communem uſum accommodatiſſimæ*:

Cornelius Severus, poëta epicus ætate Auguſti, de quo *Quinctilianus* x. I. *C. Severus etſi verſificator, quam poëta melior, ſi tamen ad exempla primi libri bellum Siculum perſcripſiſſet, vendicaret ſibi jure ſecundum locum*. *Olaus Borrichius cogit. de ætat. latin. linguæ* p.11. *nec ab hac claſſe removendus Cornelius Severus, cujus Ætnam adhuc legimus, Virgilio per errorem attributam, & circa poſtremos Auguſti annos perfectam: hujus enim Severi eſſe Ætnam hanc, ex epiſt.* LXXIX. *Senecæ colligimus*: morbo enim tuo, *inquit*, daturus eras, etiamſi nemo mandaret tibi, donec Æt-

*ſolus dixit lib.*VII .I. *nec adparet, quis veterum hoc uſurpaverit*; faciliter *lib.*I.*cap.*I.; aëres *numero multitudinis l.cap.*I.; reſponſus *ſubſt. pro harmonia, convenientia cap.*I. magnificenter *cap.*6.; commenſus *hoc eſt* συμμετρία III. I. *& alibi, vide Andream Borrich.* vindic.lat. lingu. *p.*171.; calefaciuntur IV. 7., V. 10., deformatio, conſonatiſſime, officinator, *ut de aliis idiotiſmis taceam, quos plures habet Vitruvius*.

Ætnam deſcribas in tuo carmine, & hunc ſolennem omnibus poëtis locum attingas, quem quo minus Ovidius tractaret, nihil obſtitit, quod jam Virgilius impleverat: ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit.

Manilii ingenio debemus libr. v. *aſtron.* multa habet de Chaldæorum, & Ægyptiorum ſuperſtitione. *Ol. Borrichius* de *poët. latin.* diſſ. 1. n.26. p.54.55. *opus Manilii aſtronomicon eſt, & genethliacon libris* v. *verſu epico expreſſum, & ab Ægyptiorum diſciplinis magnam partem decerptum: dictio terſa, genus dicendi mediocre, judicium exquiſitum, promtum & facile eloquium in argumento latinis verſibus antea intentato: quin & philoſophatur identidem non ſiniſtre.* idem *cogit. de ætat. lat. ling.* p.10. *in Manilium paullo mihi obliquior videtur Scioppius, quod in argenteæ ætatis claſſem eum retulerit, quum aureæ locum mereatur; etenim & argumentum difficillimum culto, meditatoque expreſſit carmine, & ſcripſit aliquot annis ante exceſſum Oct. Auguſti, recenti nimirum adhuc vulnere Varianæ cladis, ut ex libro ejus primo notamus:*

Gratius ſcripſit *cynegeticon*, genere heroico. *Caſp. Barthius adverſ.* 1. 16. *feliciſſimum latinorum ſeculum facile in Gratio agnoſcas: nihil enim vulgare, aut ineptum ineſt: omnia eodem filo gravitatem, & elegantiam ſervant. Ol. Borrichius* de *poëtis lat.* diſſ. 1. §.25. p.54 *notamus in hoc ſcriptore eruditionem non pœnitendam, judicium acre, lectam dictionem; ſed humiliorem ſubinde caractere epico, neque id injuria, quum argumentum operis id depoſcat. Jul. Cæſ. Scaliger. poët.* lib.VI. cap.7. *duo*

ele-

elegantes poëtæ venationis præcepta poëmate tractarunt, Gratius & Nemeſianus. Nemeſiani ſtylus candidus, nec vulgare ſonans; Gratii vero caſtigatior:

Pedo *Albinovanus* ſcripſit *elegiam in mortem Druſi*: alia adhuc iſti adſcribitur in mortem Druſi: fragmentum quoque ſupereſt de Druſi Germanici navigatione, quæ edidit *Theod. Gorallus*, ſive *Jo: Clericus*, Amſtel. MDCC.III. S. †

C. Iulius Hyginus a Julio Cæſare Romam ductus, ab Auguſto vero manumiſſus fuit, de quo habemus *ſabellas*, *libr. aſtronomic. Svetonius de illuſtr. grammatic. C. Iulius Hyginus, Auguſti libertus, natione Hiſpanus, etſi nonnulli Alexandrinum putant, & a Cæſare Romam advectum Alexandria capta; ſtudioſe, & avide imitatus eſt Cornelium Alexandrum, grammaticum græcum: quem propter antiquitatis notitiam polyhiſtorem multi, quidam hiſtorium vocabant: præfuit Palatinæ bibliothecæ; nec eo ſecius plurimos docuit: fuitque familiariſſimus Ovidio poëtæ, & C. Licinio, conſulari hiſtorico. Olaus Borrichius*

F *con-*

† *Quod Theodorus Gorallus ſit clariſſimus Io. Clericus, notum eſt, vide ejus* bibl. ſelect. *tom.* I. *artic.* VI. *p.* 139. artem criticam *volum.* I. *p.* 55. act. erudit. MDCCIV. *p.* 217. Fabricii bibliot. latin. *lib.* II. *cap.* 17. *p.* 441. & *Heumanni* ſchediaſma de libris anonymis & pſeudon. *p.* I. *cap.* III. §. 23. *p.* 55. *idem Clericus nomine* Goralli *edidit* Ætnam P. Cornelii Severi, *quod carmen ipſe recenſet* bibl. ſelect. I. *p.* 201. *ſeqq.*

conſpect. auct. lat. ling. p. 74. *& quidem ſatis conſtat, Jul. Hyginum ſcriptorem fuiſſe Octav. Auguſti ævo; ſed an poëticon illud aſtronomicum, & fabulæ, quæ nomine ejus circumferuntur, antiqui illius Hygini ſint, an recentioris, juſte dubitatur: certe dictio ejus humilis eſt, tenuis & fere plebeja, nec ſatis hinc inde a barbariſmis libera, quem ideo Schefferus, recens editor, in ævum Antoninorum rejicit, & Th. Munckerus Prudentio facit poſteriorem.*

Germanico Ceſari Tiberii F. Auguſt. nep. adtribuunt multi translationē illam *arateorum*, partim propter conſenſionem librorum, qui Germanici nomen habent præſcriptum: partim propter nitorem & elegantiā carminis: vide *Chr. Cellarium diſſert. acad.* p. 651. & 676.

M. *Verrius Flaccus* ſcripſit opus de *verborum ſignificatione*, cui etiam quidam *faſ'o capitolinos* adſcribunt, qui Romæ MDXLVII. lucem adſpexerunt.

§. XIII.

Sed hæc de ipſis auctoribus ætatis aureæ ſufficianti pauca addamus de indole hujus latini aurei ævi: hanc ætatem dicimus *auream*, ſecuti exempla clariſſimi nominis virorum: diſſerit contra illos *Andreas Borrichius de fatis & ætat. var. latin. ling.* p. 32. ſeq., & exiſtimat appellandam eſſe ætatem *virilem*, quia auream ex puritate tantum æſtimemus: dicat *Borrichius* ætatem virilem; nos dicamus auream, & ipſa re ab illo haud diſcedamus: intelligimus quippe per auream ætatem ævum illud, quo ſermo latinus tam puritate, quam elegantia & vi ita expolitus eſt opera aucto-

rum

rum clariſſimi ingenii, ut in ſummo faſtigio floris ſteterit. Sed ut accurate ac diſtinte ediſſeramus, quænam in hoc ævo, quod aureum adpellare ſolent, latinitatis fuerit ratio; quatuor rei hujus capita notanda, breviterque illuſtranda ſunt. *Primum* eſt, quo præcipue præſtantia hujus latinitatis, quæ aurea dicitur, abſolvatur? omnes quippe virtutes, quę ſermonem ornant, eumque reddunt cultiorem, in monimentis ſcriptorum, quorum ætas ad tempus hoc pertinet, deprehendimus, ac quamvis non omnes in ſcribendi ratione eandem elegantiam ſint ſectati, quod patet, ſi Ciceronem cum Salluſtio, aut Vitruvio velimus comparare; id tamen de ævi hujus dignitate nihil detrahit: ab eo enim, quod apud pleroſque invenimus, illud ſolemus determinare, ſimulque animum ad illos, qui & ætate & latinitate fuerunt inferiores, advertere. Princeps virtutum, quæ orationi decus conciliant, caſtitas eſt, cujus laude ſcriptores in hac ætate ita floruerunt, ut neque ante, neque poſt illam in auctoribus hujusmodi purum caſtumque ſermonem obſervemus: dicat clariſſimus *Borrichius*, pure ſcripſiſſe Plautum, Terentium, Ennium; multo ſane præſtantior eſt latinitas Ciceronis, Ceſaris, Nepotis, Salluſtii, ad quorum nitorem atque elegantiam illi minime accedunt: rei hujus teſtes ipſos antiquiores habemus auctores, qui latinitati, quæ ante ætatem Auguſti viguit, pretium ſtatuunt: *A. Gellius* lib. XIII. cap. 6. *id vocabulum, quod dicitur vulgo barbariſmus, qui ante divi Auguſti ætatem pure atque integre loquuti ſunt, an dixerint, nondum*

 equi-

equidem inveni, qui & ubi veterum teſtimoniis opus eſt, eorum utitur auctoritate, qui ante Auguſtum integre ſunt locuti: idem patet ex *Seneca, Quinctiliano*, atque auctore *dialogi de oratoribus*, quorum teſtimonia clariſſimus *Chr. Falſterus* in *quæſtionibus Romanis* p.17. diligenter memorat: præter caſtitatis virtutem perſpicuitas, & ſuavitas ſtilum, in quo formando ſcriptores ætatis hujus elaborarunt, egregia orationis ornamenta commendant. *Deinde* & hujus latinitatis, quæ aurea æſtimatur, diſcrimen ponendum eſt: alia enim eſt oratorum, alia poëtarum, quarum prior dignitate ſua poſteriorem multum antecedit; poëtis enim, quum metro ſervire, eoque nomine in verborum ordine adſtricti eſſe debeant, atque involucris imaginum ac fabularum utantur, multa licere conſtat, quæ ab auctoribus ſolutæ orationis ſedulo ſunt devitanda: idcirco auctoritas ſcriptorum ætatis hujus, qui libere ſcripſerunt, hiſtoricorum quippe, rhetorum, oratorum, philoſophorum, aliorumque gravior eſt, ac poëtarum. Sed quum carminum auctores proprium habent dicendi genus, nec hoc ab omnibus eadem ratione fuit expreſſum: latinitas poëtica habuit quoque converſiones ſuas, quod facile cognoſcitur, ſi poëtæ, quos ætas diſiunxit, inter ſe comparantur: quocirca illi, qui tempore aureo clari extiterunt, omnino præferendi ſunt poëtis, quos poſterior tulit ætas. *Tum* ſpatium ætatis hujus explicandum eſt: cur igitur extendimus iſtam uſque ad Octaviani Auguſti obitum? nonne conſtat ex utroque *Seneca*, *Svetonio*, *Quinctiliano*, & Adria-

ni

ni imperatoris apud *Chariſium* verbis, extremis Auguſti temporibus linguam corrumpi cœpiſſe? obſervandum eſt, quod vulgus, & pauci alii loquuti ſint ruſticius, id quod ingenio doctis vitio nequaquam vertendum erit: confer *Ol. Borrichium cogitat*. p. 6.7. *Denique* in cauſſas inquirere decet, quæ hanc dignitatem latini ſermonis effecerunt, ac promoverunt: quod hac ætate latinitas invenerit patronos ſuos, qui illi ejuſque elegantiæ colendæ ac conſervandæ proſpexerunt, non eſt, quod miremur: res enim Romanorum adhuc florebant, & litterarum cultores habebantur in honore, ingeniis hominum atque moribus non adeo corruptis: ſtudia ſequuta ſunt præmia, quibus excitantur, provehuntur; ſubtractis jacent, nec facile poſſunt erigi: ſic enim eſt, ut ad Flaccum *Martialis* libro VIII. *epigrammate* 51. ſcripſit:

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones; præclaris vero alimentis litteræ in altitudinem prolatæ fuerunt: multos itaque oratores hæc ætas vidit Ciceronis æquales, aut paullo juniores: auctor *dialogi de oratoribus* cap. XXV. *ſtrictior Calvus, numeroſior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Cælius, gravior Brutus, vehementior & plenior & valentior Cicero, omnes tamen eandem ſanitatem eloquentiæ ferunt, ut ſi omnium pariter libros in manum ſumſeris, ſcias, quamvis in diverſis ingeniis, eſſe quandam judicii ac voluntatis ſimilitudinem & cognationem*: nec ſolum abundavit oratoribus; ſed hiſtoricis quoque, ac poëtis: ipſorum imperatorum ſtudia linguæ hujus dignitatem auxerunt; de Cæſare

legi poſſunt *Cicero* de *claris orator*. cap. LXXV., *Sveton.*in *vita* ejus cap.LVI., & *Quinctilianus* X.I. neque non Auguſtus deditus fuit litteris, quem C.Cæſar *pacatis bellis civilibus ad erudiendum liberalibus diſciplinis Apolloniam in ſtudia miſit*, *Vell. Paterc.*II. 59. adde *Svetonium* cap.VII. in *vit.* hic opera Apollodori ad bonæ mentis artes adſuefactus eſt,*Lucianus* in *macrobiis* p.475.,*Strabo* lib.XIII. p.430. legitur,duas bibliothecas conſtituiſſe, Octaviam in Octaviæ porticu, in ſororis honorem nominatam; & Palatinam juxta ædes ſuas & Apollinis templum in monte Palatino, ut *Dio Caſſius* lib. XLIX.p. 417., *Svetonius* de *grammatic.* cap. XXI. teſtantur: hoc alimento opus eſt præclaris ſtudiis in faſtigium proferendis. Mæcenas Auguſti Cæſaris familiaris, ipſe bene doctus, & doctorum hominum fautor graviſſimus fuit. In libera republica uſus linguæ hujus non fuit ampliſſimus, quando *latina exiguis finibus contenta erant; græca in omnibus fere gentibus legebantur*, ut *Cicero* pro *Archia* cap. X. dixit: at ſub Cæſaribus ubi in provincias fuerit illata, uſum ſuum ita diſſeminavit, ut in Hiſpania, Gallia, Africa, Britannia,non minus latinitas, quam in ipſo Latio & Italia floreret, quamvis non omnibus, nec omni tempore idem genius linguæ hujus fuerit, immo ampliſſimus hic uſus materiam mutationis non exiguæ dederit, ut ex illis patebit, quæ poſthæc dicemus: crevit autem lingua hæc iiſdem artibus, quibus ipſum imperium romanum: non obſcure id ſignificat *Auguſtinus* de *civitate Dei* lib. XIX.cap. 7. *data eſt opera, ut civitas imperioſa non ſolum jugum*

gum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus per pacem ſocietatis imponeret: diſerte id enarrat *Olaus Borrichius orat.* XIV. tom. II. p. 152. *initio cenſuit ita olim populi rom. majeſtas, ut imperat ix natio, quo arma ſua proferebat, eo quoque linguæ dominatricis porrigeret auctoritatem: hinc ſubactis paſſim gentibus imperatum, ut in adminiſtranda publice juſtitia, in contractibus gravioris momenti, in herciſcundis purpuratorum hereditatibus non niſi latine ſe expedirent: imperatum legatis Quiritium, ut gentium nationumque aulas non adſarentur, niſi romuleo hoc ſpiritu; quidt quod ex Valerio Maximo conſtet, magiſtratum rom. ne quidem græcorum vicinorum legatis niſi latine dediſſe reſponſa, utcunque arcana omnia Grajorum linguę & haberent exploratiſſima, & linguam ſuam e fontibus Graiis tanquam ſuavi genitrice manaſſe non poſſent non agnoſcere: quin & beneficii loco conceſſum quandoque municipiis, ut liceret in publicis privatiſque congreſſibus latiali ſermone uti.*

§. XIV.

Argenteum latinæ linguæ ævum ab Auguſti exceſſu ad tempora Antonini Pii extendimus, intra quod tempus multa fuerunt ingenia, quæ ſtudio & induſtria ſe & ſcripta ſua poſteritati commendarunt; *Phædrus, Curtius, Paterculus, Valerius Maximus, Celſus, Scrib. Largus, Seneca uterque, Perſius, Lucanus, Pedianus, Columella, Palladius, Mela, Petronius, Quinctilianus, Plinius uterque, Iuvenalis, Svetonius, Tacitus, Frontinus, Statius, Florus, Valerius*

Flac-

Flaccus, *Silius Italicus*, *Martialis*, *Juſtinus*, *Gellius*, *Terentianus*, *Sulpitia*: floruerunt igitur hac ætate

Phædrus natione Thrax, Auguſti & Tiberii æqualis: ſcripſit Æſopias fabulas, in quibus dictionum puritas, & elegantia adparent. *Caſpar Barthius adverſ.* lib. xxxv. c. 21. de *Phædri fabulis ita judicant doctorum plerique eſſe ingenuæ latinitatis, neque mentiri eum ævum Tiberii: in quorum ego prorſus opinione ſum, licet unam & alteram ſubdititiam, & inſititiam eſſe, jam olim notarim*:

Q. Curtius Rufus, de cujus ætate infra pluribus diſſeremus; de dictione autem obſervandum, quod interdum nimis ſit translata, & accedat prope ad poëtarum dicendi morem. *Jo: Andr. Boſius diſſ. iſagog. de comparanda eloq. civili*, p. 81. *primas Q. Curtio tribuerim ob ſingularem ſuavitatem, elegantiam, accurationem; verba illius pura, ſelecta, & rebus exprimendis apta. Ol. Borrichius conſp. auct. lat. linguæ* p. 55. *dictio ejus terſa, nativa, inadfectata, verbo, emendatiſſima; lactea illi eloquentiæ ubertas, ſententiæ opportunæ, nec nimiæ, nec diffluentes, nec tenebroſæ; digreſſiones raræ, orationes facundæ, judicium ſagax*:

C. Vellejus Paterculus, natus videtur *V. C.* DCCXXXV. cujus pater erat præfectus equitum: ſcripſit hiſtoriam Romanam ad M. Vicinium *Coſ.* cujus libri primi principium, & ſecundi finis, etiam quædam medii operis deſunt: ſtilus ejus ſapit oratoris ingenium, quo nomine *Io. Henr. Boeclerus hiſt. univ. ſecul.* 1. ſect. v. n. 10. *Vellejus ſcriptor eſt elegans terſi-*

que

que oris, qui non tam quidem ad leges artis hiſtoricæ reſpexit: ſed ab eloquentia aliquid mutuatus eſt. Ger. Io. Voſſius *de hiſt. lat.* lib. 1. c.24. *librorum Velleii bona pars deperiit: dictio ejus plane Romana atque elegans: quædam etiam habet, quæ haud alibi invenias: ſed in ſui ævi rebus nimis domui Auguſti, & Sejano adulatur:*

Valerius Maximus qui ſcripſit lib IX. *dictorum factorumque memorabilium*. *Chr. Cellarius prol. cur. poſter.* p.21. *Valerius Maximus, exempla virtutum & vitiorum enarrans: qui licet aliquando moliri gravius, quam felicius exhibere videatur figuras ſententiasque: abunde tamen eloquentiam ſuam, prudentiamque æquis judicibus approbare poteſt, inter quos cum primis acutiſſimus Boeclerus eſt, cujus hæc verba fuerunt comment. ad Velleii* lib.II. cap.III.

A. Cornelius Celſus, qui proximus Auguſti temporibus fuit, ediditque libros octo de *re medica*: qui a *Columella*, & *Quinctiliano* XI. cap. ult. laudatus eſt; ſunt, qui eum aureo ſeculo inſerunt & ſententia *Jo: Antonid.* van der *Lindenii* eſt, quod ætas ejus incidat in tempora Ceſaris dictatoris, ſaltem in initia imperii auguſtei: ſed *Chr. Cellarius* d. l. p. 20. cenſet, quod licet ſtilus Celſi ita floridus ſit, ut aurea ætate non indignus videatur; in argentea tamen ſit collocandus, quia *Columella* lib. I. cap. I. ſcribat: *non minorem laudem meruerunt noſtrorum temporum viri, Cornelius Celſus, & Julius Atticus*; adde *And. Borrichium* de *ſat. & ætat.*

ætat. latin. lingu. p. 45. †

Scribonius Largus, qui Tiberii, & Claudii temporibus proximus, ſcripſit librum de *compoſitione medicamentorum*, quem ediderunt *Aldus Manutius*, *Henricus Stephanus*, & *Jo: Rhodius* cum *obſervationibus*, *& lexico. Ol. Borrichius conſp. auct. lat.ling.* p.75.*Scribonium Largum principatu Tiberii, & Claudii floruiſſe, certum eſt; an tamen dictio compoſitionum medicarum priſci illius Scribonii ſit, ambigunt, quum oppido humili & inficeta deprehendatur: in gratiam tamen illuſtris Jo: Rhodii noſtri credemus, ſtilum quidem eſſe veteris illius Scribonii; ſed vitio librariorum hinc inde contaminatum, dum nobis iterum largiatur, pure loquendi leges ab illo ſcriptore non poſſe quendam hodie ſatis fidenter mutuari.* idem *cogit. de æt. lat. linguæ* p.15. *certum eſt, opus, quod hodie Scribonii nomine extat, magnam partem humili plebejoque, & aliquando vix a barbariſmi vitiis immuni ſtilo exaratum, ut æſtimari queat, ab imperita Sciolorum manu labem hinc inde contraxiſſe. Andr. Borrichius append. ad Cellarii curas poſteriores* c.XI. *adverterit facillime, qui diligentius*

† *Lindenius quem Almeloveenius ſecutus eſt, multa bona contulit in Celſum, qui cura Lindenii adjuti a celeberrimo Patino, caſtigatus, emendatus atque illuſtratus ſæpius prodiit: dictio ejus ſatis pura eſt, quæ illi hanc peperit gloriã, ut latinus Hippocrates, & medicorum Cicero appellatus ſit: confer Rhodium ad* Scribonium *p.*156., *& doctiſſimi Danielis Clerici* hiſtoriam medicinæ *p.*II. *p.*218.

tius legerit Scribonium familiarium vulgariumque verborum, quam elegantiæ ſtudioſiorem fuiſſe, dum ita ſcribere laboraverit, ut ab omnibus cognitiſſimis verbis intelligeretur: †

M. Annæus Seneca, rhetor auctor eſt *controverſiarum & ſuaſionum*; Ciceronem per ætatem potuiſſet videre, ut ipſe proœm. 1. *contr.* teſtatur: *nec Ciceronem quidem ætas mihi eripuerat, ſed bellorum civilium furor, qui tunc totum orbem pervagabatur, intra coloniam meam me continuit*: ſtilus eſt conciſus & ſatis purus, quamvis habeat, quæ ætate aurea non digna ſint. Filius *Lucius Seneca*, ut traditur, maxime ſub Claudiano, & Nerone clarus fuit, vitiorum acerrimus inſectator, quive præfuit juventuti Neronis: de ſcriptis ejus ſe poſteritati vindicarunt de *ira* libri III. ad Novatum fratrem: de *providentia* liber I., de *animi tranquillitate* lib. I., de *conſtantia* lib. I., de *clementia* liber primus & pars ſecundi: de *brevitate vitæ* lib. I., de *vita beata* lib. I., de *beneficiis* lib. VII., *naturalium quæſtionum* lib. VII., *epiſt.* CXXIV. cetera: *Quinctilianus* lib. X. cap. I., & *Gellius* lib. XII. cap. II. ſtilum ejus carpunt, quos *Juſtus Lipſius* de *Senecę judicio* voluit confutare: quanquam non negamus, non ubique dictionem Senecæ hujus eſſe elegantem, & puram. Sunt, qui numerant alium Senecam, diverſum a Seneca rhetore & philoſopho, quem dicunt *Tragicum*, quamvis *Petrarcha*, *Crini-*

tus

† *Scribonius Largus auctor eſt epiſtolæ ad Cajum Julium Calliſtum, quæ Cornelii Celſi nomine præfigitur Marcelli empirici libro de* medicamentis.

tus, *Daniel Cajetanus*, *Delrio* & alii eum eundem eſſe cum Seneca philoſopho affirment: vide *Io. Alb. Fabricium bibl. latin.* lib. II. cap. 9. n. 11.

Aulus Perſius Flaccus, quem haud confundas cum C. Perſio Flacco, cujuſve patria dubia eſt; auctor extat celeberrimus *ſatirarum*, quarum ſex libros habemus, qui adeo obſcuri ſunt, ut nemini, niſi litteris latinis doctiſſimo debeant commendari: hinc bene *Jul. Cæſar Scaliger poët.* p. 838. *Perſii ſtilus moroſus & ille ineptus, qui quum legi vellet, quæ ſcripſiſſet, intelligi noluit, quæ legerentur: & Dan. Georg. Morhoſius polyhiſt.* tom. I. lib. IV. c. 12. §. 13. *A. Perſius Flaccus ſatiricus ſæpe plus quam ferreus, immo ſaxeus, nam ſatirica ejus dictio ſupra modum horrida eſt, & Juvenali, ætate licet inferiori, poſtponenda*: addatur *Vavaſſor* de *ludicra dictione* p. 239. ſeq. †

M. An-

† *Perſius eſt graviſſimus morum cenſor, atque magiſter: doctrina moralis, urbanitas, & ſales elucent in ejus monumentis: hoc nomine laudatus eſt a veteribus. Quinctilianus* inſtitut. orator. *lib. x. cap.* 1. multum & veræ gloriæ quamvis uno libro Perſius meruit: *huic ſuffragatur argutiſſimi poëta ingenii Martialis l.* IV. epigr. 28. *ad Pudentem:*

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quam levis in tota Marſus Amazonide;

reſpicit volumen Marſi, quod Amazonis *dicitur, qui Marſus nobilis auctor epigrammatum fuit, quem ipſemet Martialis æmulatus: lege doctiſſimi Caſauboni* obſervationes, *& elegantem diſſertationem Cl. Georgii Nicolai Kriegk*

de

M. Annæus Lucanus Cordubenſis Hiſpanus, qui venis ſolutis vix natus annos XXVII. obiit: exſtat ejus opus dictum *Pharſalia* de bello civili Cæſaris, atque Pompeji, qui victus fuit a Cæſare ad Pharſalum, Theſſaliæ urbem. *Quinctilianus inſtit. orat.* lib. X. c. I. *Lucanus ardens & concitatus & ſententiis clariſſimus, & ut dicam quod ſentio, magis oratoribus, quam poëtis, imitandus. Rolandus Mareſius* I. *epiſt.* 8. *Lucanus poëta eſt, in quo quamvis quædam reprehendantur, longe tamen plura laudanda ſunt: tumidum & adfectatum ſcribendi genus, declamatoria rerum etiam minimarum ad oſtentationem amplificatio, & frequentes a propoſito excurſiones, ut omniſcius eſſe videatur, fortaſſe in illo culpentur; at de rebus acres, & ſanas habet opiniones: de virtute vero non fere aliter, ac Zeno, loquitur, graveſque de ea ſententias ubique inculcat, quæ eo altius hominum mentibus inſident, quod non ſine aliquo acumine inſiguntur.*

Aſconius Pedianus, num claruerit ſub Nerone & Veſpaſiano, diſputant eruditi: alii referunt eum ad ætatem Virgilii, prout *Servius* in *eclog.* 3. *Virgilii*, ubi: *Aſconius Pedianus ait ſe audiviſſe Virgilium dicentem, in hoc loco ſe grammaticis crucem fixiſſe*: adde *Andr. Borrichium* de *ætat. lat. linguæ* p. 50. ab *Hieronymo* dicitur in *chronic.* adhuc ſub Veſpaſianis floruiſſe. *Scaliger* ad *Euſebium* p. 184. com-

de A. Perſio Flacco, poëta ſatirico *Jen.* MDCCI. *ſed dictio, ſtilus Perſii remotus eſt a nativa & ſuavi caſtitate, atque elegantia, quo nomine monimenta ejus haud debent commendari.*

mentus eſt duos Aſconios: exſtant *commentarii*, quamvis mutili, in *orationes quaſdam Ciceronis*, e. g. in Verrem, pro C. Cornelio, contra C. Antonium & L. Catilinam, in L. Calpurnium Piſonem: latinitas ejus habet bona, & mala. *Adrianus* cardinalis de *modis latine loquendi* p. 130. *Aſconius Pedianus, qui, tametſi ſub Auguſto Cæſare floruit, bonaque multa atque elegantia ſcripſit, ſicuti libello, ſive potius fragmento, quod ante hos annos repertum eſt, colligi poteſt; multa fluit, ac ſcatet barbarie: quam tamen barbariem, non ab illo certe, qui bono etiam tunc tempore eruditus eſt, provenire puto; ſed potius ab aliquo inſulſo atque ineleganti grammatico, qui interpretis vice functus, inepta multa conſeruit, quæ poſtea una cum bonis auctoris verbis deſcripta ſunt. Ol. Borrichius conſp. auct. lat. lingu.* p. 54. *dictio ejus perſpicua, brevis, temperata, non inquirit in ſchemata orationis, ſed illuſtrat loca Tullii obſcuriora, adeoque ad intelligendam ejus ævi hiſtoriam oppido conducit: quæ Aſconii ad nos pervenerunt, adhuc mutila hinc inde ſunt; immo adulterina quædam iis permiſta, quæ ſeparare hodie difficillimum:*

L. Junius Moderatus Columella, qui imperio Neronis elucubravit libros XII. de *re ruſtica*, & unum de *arboribus*. *Olaus Borrichius cogitat. de lat. lingu. ætat.* p. 240. *Voſſius quum prius Columellam non magni faciat, ut ſcriptorem ævi Claudii, collabi jam incipiente puritate ſermonis romani; poſtea tamen, re melius expenſa, eundem optimum & terſiſſimum appellat ſcriptorem: enimvero non aliud de Columella judicium formare poteſt, qui inge-

genio ejus ſeſe familiarius applicuerit: omnia in illo caſta, pura, elegantia, quo nomine & a magno Scioppio inter argenteæ ætatis ſcriptores enumeratur:

Palladius Rutilius Taurus Æmilianus, qui ſcripſit *rem ruſticam* libr. XIV. nonnulli contendunt, eum non adnumerandum eſſe ſcriptoribus argenteæ ætatis; & quamvis mentionem habeat *Apuleii*, & *Gargilii Martialis*, non conſtet tamen, quos intelligat, quum plures *Apuleii*, & *Gargilii* fuerint. *Chr. Cellarius* dubitat, ad quam ætatem ſit referendus, qui p.25. *proleg. cur. poſt.* de ſtilo ejus ita judicat: *ſtilus concinnus & elegans, ut Trajani ævo deberi credas, quanquam ſub Hadriano vixiſſe contendit Lud. Vives: ſunt vero in illo, quæ ævum inferius prodiderint*, ut ſummitas lib.1.cap.6., congruus cap.12., recenter cap.26., tribus vicibus cap.28., poſſibilitas III. 14., adunare IV. 9., foſſatum X. 13., poſterare XII. 4., aliquantos dies XIII.5. & *nonnulla alia, quæ ſane inferiori potius, quam argenteo ævo, imputanda ſunt*:

Pomponius Mela, qui clarus eſt libris III. de coſmographia, ſive ut in aliis libris vocantur, *de ſitu orbis*: communis opinio eſt, floruiſſe ſub Claudio, quod primus adfirmavit *Vadianus*, quem ſecuti ſunt *Vinetus*, *Schottus*, *Voſsius*, *Andreas Borrichius*: judicari poteſt de ætate ejus ex ipſius verbis lib.III.c.6. dum *Britanniam diu clauſam aperiri*, dicit, *a principum maximo, qui propriarum rerum fidem ut bello adfectavit, ita triumpho declaraturus portat*: per *principem* illum intelligitur Claudius, qui Britanniam & aperuit, &

de ea triumphavit, teſte *Svetonio*, *Dione*, *Eutropio* & aliis: ſi *Plinius* XIX., 6. de eo locutus eſt, ſub Tiberio ſcripſiſſe utique dicetur: ſed fortaſſe lapſus eſt memoria, & *Tiberium* poſuit pro *Nerone*. *Claudius Verderius cenſ. in auctores* Pomponii dictionem reprehendit, eique objectat, quod dixerit *Britanniam feris ſcatere*; ſed illi ſeſe oppoſuerunt *Voſſius*, *Olaus Borrichius*, & alii graviſſimi viri. Nec minus diſcrepant auctores ſententiis ſuis, quando ingenium

T. Petronii Arbitri illuxerit: *Henric. Valeſius* de *ætate Petronii* rejicit eum ad principatum Gallieni; *Adrianus* autem *Valeſius diſſ. ad Wagenſeilium* ad Antoniorum; *Chriſtophorus Cellarius cur. poſt. proleg.* p. 27. locat illum in ultimo argenteæ ætatis loco, ut cuique integrum ſit, vel revocare ad ſuperiores, vel ad ſequiorem ætatem abjicere. *Andr. Borrich.* de *ætat. lat. ling.* p. 56. vindicat eum ætati huic argenteæ, cujus argumenta, quibus innititur, non levia nobis videntur: † ſcripſit *ſati-*

† *Petrus Burmannus præfat. editionis ſuæ Traj. Bat.* MDCCIX. his omnibus ergo rite penſatis, Tiberii, Caligulæ, & Claudii imperia attigiſſe Petronium puto, immo Auguſti adhuc felicia tempora vidiſſe, qui moderatiſſimus princeps & omni vitæ parte civilis, luxuriæ & lautitiarum maculam nullam ſubiit; ſed a cujus optimo inſtituto, & diſciplina immenſum diſceſſit Tiberius, qui libidine omni impurus, rapinis & crudelitate reipublicæ gravis; *&* *paullo ante de ſtilo ejus*: non tamen diffitemur, pauca quædam hic illic occur-

tiricon:de fragmento *Tragurienſi*, & Petronio integro *Franciſci Nodotii* heic nihil adtinet dicere, vide *Jo: Alb. Fabricii bibl.latin.*lib.II. c.II. p.358. ſtilus Petronii, qui in ipſo ſatirico deprehenditur, exceptis fragmentis, ſatis elegans eſt, quamvis habeat ſibi propria; in ipſo autem fragmento Tragurienſi, etiam ſupplemento dicti *Nodotii* barbaræ, & rariores dictiones largiores occurrunt:

M.Fabius Quinctilianus Hiſpanus, a Galba Romam perductus: docuit per viginti annos artem rhetoricam: extant libri XII. de *oratoria inſtitutione*, *declamationes breviores*, quas nonnulli abjudicant Quinctiliano, ſed immerito: declamationum longiorum auctor incertus, nec dialogus de *cauſſis corruptæ eloquentiæ* ad Quinctilianum pertinet: dicendi ejus genus medium eſt, nec quod ad caſtitatem adtinet, corruptum. *Martialis* II. *epigr.*70.

Quinctiliane, vagæ moderator ſummæ juventæ,
Gloria Romanæ, Quinctiliane, togæ:

C. Plinius Secundus, major, item ſenior di-

G 3 ctus

currere, in illa libri parte, ubi Petronius ipſe ſui ſermonis eſt auctor, quæ ſingularia, & nullo veterum exemplo illuſtrari poſſunt, immo quædam eſſe, communia infimo ævo, ut talia adnotavit ex noſtro Barthius lib. XII. adv. c.I. *Non mirum eſt, apud Petronium legi interdum quædam, quæ in eo genere in quo occupatur, hominibus exſoletis, mulieribus, coquis, ancillis, convivis, famulis mercenariis, nautis, & aliis hujus generis, quos loquentes introducit, uſitata fuerunt.*

ctus, avunculus Plinii junioris, qui vixit Veſpaſiani temporibus, vir acri ingenio, & ſtudio incredibili: de *hiſtoria mundi*, ſeu *hiſtoria naturali* ſuperſunt libri XXXVII. ſtilus ejus medius eſt, quod tam ad genus ſcribendi, quam caſtitatem adtinet, quamvis aliis aliud videatur. *Jo: Henr. Boeclerus* diſſert. de *comparanda latinæ linguæ facultate* cap. 1. §. 33. cenſet, quod ejus *hiſtoria naturalis itidem gravitate ſtili eximia notabilis, quæque nonniſi ab eruditioribus intelligi poſſit*. *Ol. Borrichius conſpect. auct. lat. ling.* p. 57. *excuſat dictionis ſuæ ſterilitatem, quod legentibus non blandiatur, quod via ſcriptoribus Romanis nondum trita incedat: ſed non indiget excuſatione; plane enim cultus eſt ſtilus ejus, lectus & mirificæ induſtriæ: mendacium ipſi ſæpe impingunt hodierni ſcriptores, ſed parum modeſte.*

C. Plinius Cæcilius Secundus minor, ſeu junior dictus, qui ſub Trajano vixit, cujus epiſtolas, & panegyricum ſermonem Trajano dictum habemus; ſtilus conciſus eſt, & ſæpius ſectatur laconiſmum, quo nomine epiſtolæ ejus judicium requirunt: ipſa dictio ſatis pura eſt; in panegyrico ſequitur genus ſublime:

Junius Juvenalis, clariſſimus auctor poëſeos ſatiricæ, de quo ſuperſunt *ſatiræ* XVI. quas alii extollunt, alii reprehendunt: ex illis omnino apparet, quod Juvenalis habuerit acutum judicium, quodve arte ſatirica Horatio parum fuerit inferior: dictio eſt poëtica, impura ſæpe, obſcura & nimis tranſlata, nec raro Juvenalis turpis eſt & obſcœnus, quoniam ad omnia cenſenda ſtilum porrigit:

C. Svetonius Tranquillus, magiſter epiſtola-

larum imperatoris Adriani reliquit *vitas* XII. *imperatorum*, libr. I. de *illuſtribus grammaticis* & libr. I. de *claris rhetoribus*: dictio ejus brevis eſt, nec ita pura, ut hac virtute comparari poſſit cum Cicerone, aut Cæſare. *Juſtus Lipſius elect.* II. cap. 17. *Suetonium Tranquillum non injuria commendo ſæpe juventuti: verba vides? pura, terſa, propria, ſitum totum orationis? breve, nervoſum: rem ipſam? utilis pariter, & jucunda hiſtoria eſt, &, quod mihi caput, plena moris, & doctrinæ antiquæ*:

C. Cornelius Tacitus, qui æqualis fuit Plinii junioris, ex cujus monimentis conſervati ſunt *hiſtoriarum* libri V., ſex priores *annalium*, item undecimus ad XVI. mutilo autē libro quinto & XVI., *vita* soceri ejus *Cn. Julii Agricolæ*; *de ſitu, moribus populiſque Germaniæ*: dialogi de *cauſſis corruptæ eloquentiæ*, & *libri facetiarum* Tacitus non auctor eſt. † ſtilus ejus eſt brevis, non adeo caſtus & purus, quem

† Dialogus de cauſſis corruptæ eloquentiæ *refertur modo ad Quinctilianum, uti a Lipſio, Franciſco Modio, Grævio, Andrea Borrichio, & aliis; modo ad Tacitum, a Gyraldo, Pitthæo, Dodwello: ſed neque Quinctiliani, neque Taciti eſſe videtur: vide* diatrib. noſtram criticam de Tacito *p.* 33. *exiſtimat Borrichius p.* 53. *& dictionem, & argumentum libri hujus convenire Quinctiliano: ipſe Quinctilianus lib.* VI. inſtit. orat. procem. ita forte accidit, ut eum quoque librum, quem de corruptæ eloquentiæ cauſſis emiſi, jam ſcribere aggreſſus, ſimili ictu ferirer. *& lib.* VIII. *c.* 6. ſed hoc ſatis, quia eundem locum plenius in eo libro

quum ſæpe immiſcet locutiones, quæ a pura dicendi indole alienæ ſunt: requirit ingenium, quod diſciplinis latinitatis, & græcæ linguæ bene præparatum eſt, nec eo nomine uſui ſcholarum publico ſemper commendandus videtur:

Sextus Julius Frontinus Domitiani, Nervæ, & Trajani temporibus clarus, collegit exempla virtutis militaris, quæ adpellat *ſtratagemata* lib. IV., ſcripſit etiam lib. II. de *aquæductibus*; lib. I. *de colonis*; de *agrorum qualitate & limitibus*. *Olaus Borrichius cogitat.* p. 15. *Frontinus de ſtratagem., aqu. duct., & colon., ferri aliquatenus in hac claſſe poteſt, ut qui ſecundum Tacitum, prætor urbanus fuit Veſpaſiano II. & Tito Coſſ., ſcripſitque tum Nervæ, tum Trajani principatu, quemadmodum ex opere ipſo, & item Vegetio liquidum. Frontini autem ſcriptum de re militari dictione ignobilius judicatur, eoque a Scioppio in ferream rejicitur ætatem, ſive, quod ab eodem admodum adoleſcente, ut Voſſio perſuaſum, compoſitum ſit; ſive ab infelice ſequioris ævi manu interpolatum:*

P. Papinius Statius Neapolitanus, Domitiano gratus, multa ſcripſit, genere ſublimi,

im-

bro, quo cauſſas corruptæ eloquentiæ reddebamus, tractavimus. *Sed quod ad ſtilum pertinet, plane ille diverſus eſt ab ingenio Quinctiliani, & licet ſcripſerit de eodem argumento, ſubinde tamen nihil certi poteſt definiri: nec adparet in dialogo, qui hodie extat, quidquam de tropis, ad quos provocat c. l. adde Giberti jugem.* ſur les auteurs de la rhetorique *p. 444.*

impuro ſæpe, atque multum obſcuro, ex quibus adhuc hodie V. *ſilvarum*, XII. *Thebaidos*, & *Achilleidos* duos libros numeramus: dictio ſilvarum magis nativa, quam ceterorum; attamen ſcholis haud commendandus eſt:

L. Annæus Florus, qui patria videtur Hiſpanus, clarior exſtitit ſub Trajano; ſcripſit *epitomen de geſtis Romanarum*, ſive rerum romanarum libros IV. a. V. C. ad Jani templum prima vice clauſum ſub Auguſto imperatore.† ſunt, qui exiſtimant, Florum epitomen hanc ex Livio potiſſimum confeciſſe, quamvis a Livio crebro recedat: ſtilus poëticus eſt, nec hiſtoriæ convenit; affectat ſæpius caracterem ſublimem, quãvis vim illius raro adſequatur, ut adeo latinitatis purioris culturæ haud ſervire poſſit. *Jo: Georg. Græuius præfat. ad Flor. diffiteri nemo poteſt, qui quidem in idoneorum latinæ linguæ auctorum, qui nondum a declamatoribus corrupti erant, lectione verſatus eſt, & veram dicendi viam tenet, multa in Floro paſſim occurrere, quæ minime ferent aures teretes & religioſæ, & tam in ſententiis, quam in* ver-

† *Auguſtus quippe Jani templum clauſit primum anno* V. C. DCCXXIV., *ſe* V. *& Sexto Apuleio Coſſ. poſt victum Antonium*, *Livius* I. 19., *Dio* LI. p. 457.; *ſecundum anno* V. C. DCCXXVIII., *ſe* IX. *& M. Junio Silano Coſſ. bello Cantabrico perfecto*, *Oroſ.* VI. 2., *Dio* LIII. p. 515.; *tertium anno* V. C. DCCLII., *Oroſ.* VI. 22., *vide Lipſii elect.* I. 20., *Noriſii* cenot. Piſan. II., *Jo. Pagi* appar. chronol. ad annal. Baron. §. 129. 130., *Maſſon.* Jan. reſer. *ſect.* II. c. I. §. 1. 2., *ſect.* III. c. 8. §. 6.--10.

verbis eſſe multa κακόζηλα, *inſana*, μειρακιώδη: †

C. Valerius Flaccus, qui carmina *Argonautica* tradidit poſteritati ad Flavium Veſpaſianum, quorum extant libri ſeptem,& octavi pars. *Caſp. Barthius adverſ.*lib.xxvi.c.3. *pluris omnino faciendum ego reor in numero latinorum poëtarum Valerium Flaccum, quam vulgo faciunt, immo non vulgo etiam eruditi: ſonus, ſpiritus, eruditio, gravitas in eo ſunt inſignes, nec deeſt judicium: illud obſervavimus, quoties per ſe aliquid canit, longe faciliorem eſſe, quam quum Apollonium preſſo pede imitatur; neſcio enim, quomodo generoſus ille animus flacceſcit, quum ſeipſum ad ſecutuleias leges alienarum inventionum componit & cogit:*

C. Silius Italicus, qui *bellum Punicum*, quod Hannibal contra romanos geſſit, deſcripſit

† *Plura profert Græviüs dicta præfatione, quæ & inter epiſtolas ejus p.72. cura celeberrimi Fabricii collectas extat, quæ latinitatem & ſtilum Flori illuſtrant; digna ſunt, quæ legantur: cauſſam Flori adverſus Grævium peroravit doctiſſimus Laurentius Begerus, quæ* apologia *inter eaſdem Grævii epiſtolas p.87. legitur. Sed dicat Begerus, quæcunque ſint; attamen negare non poteſt, Florum ſectatum eſſe poëtarum ſtilum, qui hiſtoriæ, quam Florus compoſuit, minime convenit. Claudius Verderius reprehendit in illo brevitatem, quum ait:* Florus brevitate ſua ſe implicat potius, quam explicat, cujus opera multi libri periere, ſcelus laqueo dignum.

pſit libris XVII. æmulus & imitator Virgilii: de carmine Silii, *Caſpar Barthius adv.* lib XVIII. cap.3. extremo, & lib.X. cap.24. ineunte, & lib. XIII. cap.7. durius cenſet. *Chr. Cellarius diſſert. acad.* p. 82. *Si quo inferius eſt Italici ingenium, quam Virgilii, aut æqualis; id excuſationem temporis habet, quod poſt Auguſtum deficere cœpit, quamquam perparvo, tamen aliquo modo, ut veteres quoque, Quinctilianus & alii conqueſti ſunt: & ſi quid deeſt antiqui nitoris, id majori utilitate in aliis rebus compenſavit:*

Valerius Martialis, qui vixit & ſcripſit ſub Domitiano *epigrammata*, quorum libros XIX. habemus: ubique non caſtus eſt: laudes ejus & obitum ſcripſit *Plinius* lib. III. *epiſt.* ult. *Juſtus Lipſius quæſit. per epiſt* lib. I. *epiſt.* 5. *quid cenſes tu? non melius de Martiale Scaliger judicavit, qui verſus ejus candidos, numeroſos, plenos, epigrammata multa divina dicit, quam ille, (Muretus) qui ſcurram de trivio adpellat: nollem excidiſſe viro magno hoc judicium judicii diſſimile: nihil ad Catullum Martialis, ſcio; ſed & hoc ſcio, epigrammata illa nec in trivio nata, nec omnia in triclinio: multa fœda, obſcœna in Martiale, & meherculè! in uno Catulli libello non pudiciora, ſed pauciora ignorat ſeculum illud, qui hoc accuſat:*

M. Junianus Juſtinus, qui ſub Antonino Pio floruit, & ex Trogi Pompeji hiſtoria fecit compendium *hiſtoriarum Philippicarum, & totius mundi originum, & terræ ſitus* libr. XLIV. ſtilus non plane inelegans eſt, licet multa admiſerit, quæ non ſunt probatiſſima. *Andr.*

Bor-

Borrichius de fatis & æt.lingu.lat. p.62. *terſam equidem cultamque eſſe Juſtini dictionem fateor; ſed ea laus non tam Juſtino (multoque minus ei, quo vixit ſeculo) tribuenda eſt, quam diſertiſſimo viro Pompejo Trogo, qui aurea ætate floruit, ex cujus libris contractam hiſtoriarum epitomen Juſtinus edidit, alieno & adſcito cultu nitidus, quem tamen ipſemet adſperſis quibuſdam ſui ſeculi fecibus interdum fœdavit.*

Aulus Gellius, qui romanus Romæ, & poſtea Athenis litterarum ſtudia coluit: extant ejus *noctium Atticarum* ad liberos libri xx.: ab aliis rejicitur ad ætatem æneam; recte autem ad argenteam, & quidem extremo illius loco pertinet, qua de re diſputat *Borrichius* junior contra *Chr. Cellarium* de *fatis latinæ linguæ* p.61. *Jo: Ludov. Vives* de *tradendis diſcipl.* lib.III. *Aulus Gellius, homo rhapſodus plane, congeſtor potius, quam digeſtor, & oſtentator, quam peritus, loquaculus ſine eruditione; in verbis, ac ſententiis putidulus: quæ de ſignificatu vocum diſſerit, ſunt frivola, & plerumque imperita, ac falſa: legendus eſt quidem, ſed ita, ut te rem levem ſcias inſpicere. Jo: Henr. Boeclerus de compar. lat. lingu. ſacul.* cap.1.§.38. *A.Gellium quod adtinet, verſatur & is circa particulas antiquitatum & obſervationum, adeoque tam commode iis jungi non poterat, qui ſcriptione magis continua & perpetua ſtilum plenius informant: eſt autem in medio genere, ſive potius in primo & ſimpliciſſimo, hoc potiſſimum nomine legendus, ut nos de facie antiquioris ſtili admoneat; neque ſine cautione interim: non pauca enim ſunt, quæ*

nolim in quovis argumento admittere :

Terentianus Maurus, grammaticus, natione Afer: ſcripſit opus de *litteris*, *ſyllabis*, *pedibus*, *metris* :

Sulpicia, poëtria romana nobilis, quæ carmine ſatirico Domitianum perſtrinxit, quum philoſophos edicto urbe & Italia ejecerit. Præter hæc extant in digeſtis Juſtiniani illuſtrium quorundam juriſconſultorum fragmenta, *Proculi*, *Pegaſi*, *Javoleni*, & aliorum, de quibus Pomponius J.C. digeſt. libr. 1. tit. 2. l. 2. docet, quod floruerint hac latinitatis ætate. *Pegaſus*, a quo jus Pegaſianum, & Sen.conſultum Pegaſianū dicitur, Veſpaſiano imperante præfectus urbi fuit, vide *Ægid. Menagii amœnitates juris* c.XVII. *Javolenus*, ſive *Jabolenus Priſcus* celebris fuit tempore Trajani, & Adriani, quo etiam pertinent *Neratius Priſcus*, *P. Juventius Celſus*, *Salvius Julianus*, *Aburnius Valens* & alii, de quibus videas *Menagium* c.l., & *Jo: Alb. Fabricium biblioteca latina* lib. IV. c. 9.

§. XV.

Hæc de ipſis ſcriptoribus *argenteæ ætatis* ſufficiant, quam auctores haud certis limitibus definiunt. *Caſpar Scioppius* extendit illam uſque ad interitum Neronis; ſed merito opponit ei *Olaus Borrichius cogit.* p. 13. *diverſitas illa inter ſcriptores, qui ab obitu Auguſti ad Neronis exceſſum floruerunt, & quia Nerone ad exceſſum Trajani, adeo eſt tenuis, ut bene nulla cenſeri debeat* : hac ratione eſſet neceſſarium, ut multæ ætates conſtituerentur, & unusquisque ex auctoribus peculiari latinitatis ævo concluderetur. Quinam ſunt illi auctores a tempore Auguſti ad Neronem, quorum ſermo

elegantior & purior eſt, quam illorum; qui a Nerone ad Trajanum orbem terrarum fama nominis implerunt? poſteriores prioribus palmam reddere poſſunt dubiam: habuerunt quoque graviores muſarum patronos. *Borrichii* & *Olaus* & *Andreas* ævum hoc latinitatis definiunt in Trajani morte: ille *analect.* p. 3. *Velim enim*, inquit, *Oſtendi mihi, quinam illi ſint limati politique auctores, qui principatu Adriani cœperint ſcriptis inclareſcere: ego ſane neminem offendo ab obitu Trajani, cujus dictionem tuto liceat tyroni commendare*: & *in conſpect. præſt. ſcriptor.* p. 6. *ideo autem ab ævo Trajani manifeſte degeneraſſe videtur latina lingua, quod Adrianus ſucceſſor, utcunque ipſe doctiſſimus, doctos ſubinde inceſſeret, & quæſtionibus inenodabilibus cruciaret; unde pleriſque faſtidiri cœpit eliminandi diligentia*. *Chriſtoph. Cellarius prol. ad cur. poſt.* 19. hoc ſeculum ab Auguſti exceſſu ad tempora Antonini Pii extendit, quumque in his terminis cenſoribus ſuis laxior juſto & liberalior viſus ſit, ſententiam ſuam *diſcuſ. Danic. append.* p. 26. uberius probat. Hæc quidem *Andreas Borrich.* de *ſat. latinæ ling.* p. 60. deſtruere conatur; ſed arma, quæ contra illum fert, non multum valent: ætas Adriani, & Antoninorum tulit ſane ingenia, quæ poſteritati ſe commendarunt, & quorum ſermonem & curam, quam latinitati poliendæ addixerunt, ipſi laudant *Borrichii*: hujus fortis ſunt *Juſtinus*, *Gellius*, *Cornelius Fronto*: de *Juſtino Ol. Borrichius* p. 15. *Juſtinum, utcunque demum Antoninorum principatu floruerit judice Voſſio, propter cultam terſamque*

di-

dictionem, qua plerumque delectat, huc forſan non inique revocabimus: & quis quæſo ſibi poterit perſuadere, omnem elegantiam latini ſermonis, exſtincto Trajano, exſtinctam eſſe atque intermortuam? unde probent, quod latinitas tam manifeſta intervalla habuerit, ut punctum cadentis, & florentis digito quaſi poſſint monſtrare? referunt ſane auctores ad argenteum ævum, qui iis ſub Adriano & Antoninis ſi non inferiores, ſaltem pares ſunt elegantia: prodeat *Scribonius Largus*, de cujus ætate *Jo. Rhodius* ita ſcribit: *hunc autem* (Scribonium) *Tiberii Cæſaris ætate floruiſſe, liquet ex ipſiusmet verbis, compoſ.* XCVII. *pariter Claudii temporibus, cujus conjugem Meſſalinam advocat, compoſit.* LX., *&* *cui ſe in expeditione Britannica adfuiſſe memorat, compoſ.*CLXIII. de hujus ſtilo autem *Ol. Borrichius cogit.* p.15. *certum tamen eſt, opus quod* (Scribonii) *nomine hodie extat, magnam partem humili, plebejoque, & aliquando vix a barbariſmi vitiis immuni ſtilo exaratum. Et* quamvis hic *Borrichius*, ut ſententiæ ſuæ ſatisfaciat, culpam ad ſcribas relegare adnitatur; pauci tamen erunt, qui ſibi poſſunt perſuadere, integrum opus, tamve multis locis a ſcribis depravato ſtudio fuiſſe corruptum: quo nomine probe notandum, id, quod in latinitate eſt purum, elegans, decorum & venuſtum, ſenſim & pedetentim exſtinctum fuiſſe. De ipſo diſcrimine inter ævum aureum, atque argenteum jam veteres teſtantur. *Seneca* rhetor *præfatione libri* 1. *controverſiarum* filiis ſuis ita ſcribit: *Ut poſſitis æſtimare, in quantum quotidie ingenia decreſcant, & neſcio*

qua iniquitate naturæ, eloquentia ſe retrotulerit; quidquid Romana facundia habet, quod inſolent. Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit: omnia ingenia, quæ lucem noſtris ſtudiis attulerunt, tunc nata ſunt; in deterius deinde quotidie data res eſt. Fabius *Quinctilianus* IX., 3. *inſtit. orat. ſi antiquum ſermonem noſtro comparemus, pene jam quidquid loquimur, figura eſt; utinamque non pejora vincant;* res ipſa teſtatur, quod poſt Auguſti obitum latinus ſermo remiſerit de priſtino vigore, & elegantia. Quod ſi enim quis monimenta illius ætatis evolvat, videbit, quod latinitatis ſeculum, quod ſub Tiberio cœpit, adjecerit nova vocabula, nova dicendi genera, novas notiones, cujusmodi ſunt *adverſitas, adunare, ægritudo*, de corpore, *an, an, confiſcare, corporalis & incorporalis, crucifigere, decollare, favorabiliter, impatienter, nimietas, ſalvator, ſubjugare, verſari circa rem* & alia, quorum ſpecimen dedit *Chr. Cellarius cur. poſter.* cap. IV. Variæ fuerunt cauſſæ mutationis hujus, ac latinitatis ævo hoc leviter inclinatæ: numerari in illis poteſt concurſus hominum ex provinciis, & urbibus remotis civitate donatorum; ob quam cauſſam jam latinitas ſub Cicerone corrumpi cœpit, quippe qui in *Bruto* cap. XIV. ait: *omnes fere, qui nec extra hanc urbem vixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcaverat, recte loquebantur; ſed hanc certe rem deteriorem fecit vetuſtas & Romæ, & in Græcia, confluxerunt, & Athenas, & in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diverſis locis;* & lib. IX.

epiſt.

*epiſt.*15. n. 5. *ad diverſos*: *ego autem mirifice capior facetiis maxime noſtratibus, præſertim quum eas videam primum oblitas Latiorum, quum in urbem noſtram eſt infuſa peregrinitas; nunc vero etiam braccatis & tranſalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis veſtigium appareat*; namque civitas data fuit poſt Marſicum bellum omnibus latinis, atque italis municipiis: vide *Suetonium* in *Cæſare* cap.LXXVI.& LXXXVI., *Dion.Caſsium* lib.XLIII. p. 233., *Tacitum* lib.XI. cap. 23. & ibi *Lipſium*, qui referunt, quod multos peregrinos Cæſar civitate donaverit. † Ad cauſſas hujus mutationis *Seneca* c. l. refert, *quod præmium pulcerrimæ rei cecidiſſet*, id quod veriſſimum eſt, quoniam ſtudia honore & præmiis ex-

† *De bello Marſico vide Vellejum Paterculum* II., 15. *Suetonius de Cæſare* vita *ejus* LXXVI. *dicit*: civitate donatos, & quosdam a ſemibarbaris Gallorum, recepit in curiam. *Sunt Narbonenſes, ſive Braccati, qui induxerant politiores mores. Gallos dixerunt Romani ſuperbia quadam græca elati* barbaros, *unde* barbarici ſoni *Claud.* epigr. I. 8. *ſunt verba gallica, utpote quæ a gravitate latina abhorreant, quod pluribus exemplis probat Barthius* adv. X. 17. *integræ Gaditanæ civitati Cæſar civitatem dedit. Dio Caſsius lib.* XLI. *p.*164. τοῖς γαδειτεῦσι πολιτείαν ἅπασιν ἔδωκεν, Gaditanis omnibus civitatem dedit; *etiam Gallis Transpadanis, quod idem Dio p.*170. *teſtatur. Auguſtus parcior fuit in donanda civitate; tamen & aliquando dedit toti civitatibus, Sueton.* XLVII.

excitantur atque aluntur, quibus ſubtractis, multa ingenia jacent: quid itaque præmii litteræ a Tiberio, Caligula, Claudio, Nerone, Domitiano poterant exſpectare? quæ atrocitas fuit ſcelerum, quæ patravit Nero in viros eruditione & virtute claros? pleni ſunt annales exemplis tragicis, Rubellii Plauti, Cornelii Sullæ, Caſſii Longini celebris juris conſulti, Annæi Melæ fratris Senecæ, Senecæ ipſius, C. Piſonis, Antonii Natalis, Plautii Laterani deſignati conſulis, Claudii Senecionis, Annæi Lucani, & aliorum multorum; quos *Cornelius Tacitus Annal.* xv. quaſi exſequiali officio proſequitur. Domitianus autem edicto philoſophos urbe,& Italia expulit: † libros, clariſſima ingeniorum monimenta comburenda curavit in foro ac comitio: & quamvis egregius eſſet Veſpaſianus, & foveret litterarum profeſſores; attamen breve ejus, etiam Titi imperium, & quod uterque benefecerat, id a Domitiano iterum everſum fuit: neque non in cauſſis hiſce locum habet luxus, & ex bonorum abundantia ortum fa-

† *Vide Suetonium* vita Domit. *cap.*x. *n.* 5., *Gellium N.A.* xv.11., *Philoſtrat.*Apoll.vit. VII. 2., *Euſebium ad a.* 2104. & 2111. *adde Scaligerum in Euſebium p.*186. *immo nonnullos interemiſſe, tradit Xiphilinus* LXVII.*p.*765. Ἄλλοι τε ἐκ τῆς αὐτῆς ταύτης τῆς κατὰ τὴν φιλοσοφίαν αἰτίας συχνοὶ ἀπώλοντο, compluresque alii ex eadem cauſſa,quod ſtudio philoſophiæ operam darent, occiſi fuerunt: *paullo ante mentionem habui Sulpiciæ poëtriæ ſatiræ de hoc Domitiani edicto adverſus philoſophos.*

faſtidium ; quam in rem teſtantur *Auctor dialogi de oratoribus* cap.XXVIII. *quis ignorat eloquentiam, ac ceteras artes deſciviſſe ab iſta vetere gloria? non inopia hominum, ſed deſidia juventutis, & negligentia parentum, & inſcitia præcipientum, & oblivione moris antiqui*; & *Ammianus Marcellinus* lib.XXVIII. cap. 4. *eo res deducta eſt, ut deteſtantes, velut venena, doctrinas Juvenalem & Marium Maximum curatiore ſtudio legant, nulla volumina præter hæc in profundo otio contrectantes*. Poſt mortem Auguſti magna fuit negligentia Tiberii de litterarum ſtudiis, eorumque cultoribus, quibus nullum ſtatuebat pretium: quomodo ipſe omnem latini ſermonis cultum neglexerit, monſtrat *Svetonius*: hic eum exſoletas, & reconditas voces aucupantem reprehendit, in *vita Aug.* LXXXVI.; in ipſius autem vita. cap. LXX. refert, quod obſcurum reddiderit ſtilum: & de *illuſtribus grammaticis* cap. XXII. Marcellus Tiberium arguit ſolœciſmi, addita hac voce: *tu Cæſar civitatem hominibus dare potes, verbis non potes*: adde *Chr. Cellarium diſſert. acad.* p. 479., & *Chr. Falſterum* in *quæſtionibus romanis* p. 25. hunc alii imperatores, paucis exceptis, ſunt ſecuti.

§. XVI.

Æneum latinæ linguæ ævum a temporibus Antonini Pii uſque ad Honorium, & captam a barbaris Romam ſeſe porrigit: intra quod tempus vixerunt *Apicius*, *Dictys Cretenſis*, *Solinus*, *Apulejus*, *Tertullianus*, *Arnobius*, *Marcellinus*, *Vegetius*, *Æmilius Macer*, *Firmicus*, *Lactantius*, *Minucius Felix*, *Cyprianus*, *Macrobius*, *Ulpianus*, &

ce-

ceteri jur. Coſſ., *Cenſorinus*, *Spartianus*, *Lãpridius*, *Capitolinus*, *Trebellius Pollio*, *Vulcatius*, *Topiſcus*, *Serenus Sammonicus*, *Hilarius*, *Prudentius*, *Juvencus*, *Rhemn. Fannius*, *M. Victorinus*, *Claudianus*, *Symmachus*. *Auſonius*, *Avienus*, *Julius Obſequens*, *Aurelius Victor*, *Eutropius*, *Sextus Rufus*, *Ampelius*, *Servius*, *Calphurnius*, *Nemeſianus*, *Pacatus*, *Nazarius*, *Mamertinus*, *Eumenius*, *Damaſus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Rufinus*. ad hanc igitur ætatem pertinent:

Cælius Apicius, qui patria Africanus eſt, & ab aliis auctoribus argenteo tempori adnumeratur. *Chr. Cellarius proleg. curar.* p. 25. exiſtimat, Trajani temporibus, vel Adriani potius ſcripſiſſe Cælium Apicium: adde *antibarbar.* p. 33. idem ſentiunt *Olaus*, & *Andreas Borrichii*; ſed verius pertinet ad tempora Eliogabali, lege *Martini Liſteri præfat. Apic.* qui etiam reſpondit ad locum *Athenæi dipnoſoph.* lib. 1., & alia argumenta: proſtant nomine ejus libri decem de *obſoniis & condimentis*, ſive arte coquinaria, in quibus ſtilus incultus eſt, & multa habet inuſitata: nec ipſum opus ferax eſt alterius emolumenti, quam ut cognoſci poſſint priſca artis vocabula, alias nõ obvia: †

Di-

† *Stilus Apicii Africanorum ingenium ſapere dicitur: quo referunt* charaxare VI. 9., incharaxare VI. 5. ἀπὸ τοῦ χαράσσειν, pertangere VI. 9, nuces depilare VI. 5., expromare VI. 2. aucella, liquamen, *ut de aliis taceam*. *Barthius* adv. XXVI. 16., *Liſterus ad* I. 1., *& Fabricius* bibl. latin. II. 25., *exiſtimant*, *quod li-*

Dictys Cretenſis: latinus hic intelligitur, cujus auctor traditur Q. Septimius Romanus: † † *Caſpar Scioppius parad. litter. epiſt.*5. p.42. exiſtimat, verſionem ætate Velleii, Valer. Maximi, aut Curtii ab aliquo elegantis ingenii & judicii eſſe ſcriptam; ſed *G. Jo. Voſſius* libro de *hiſtoricis* transfert eam in ævum Conſtantini M., aut aliquot poſt Conſtantinum M. ætates: dictio continet multa inuſitata, atque inculta:

C. Julius Solinus, qui reliquit nobis *collectanea rerum memorabilium*, ſive polyhiſtorem, quæ ex variis ſcriptis, præcipue Plinii collegit: ſtilus eſt incultus, nec meretur, ut a *Caſp. Scioppio* cum Plinio, Tacito, Svetonio ætate conjungatur: ipſum opus non ſplendeſcit lima: qua gente, & quando fuerit Solinus, non conſtat. *Jo: Henr. Boeclerus*: Solini *ſtilus quidem Pliniano eſt impolitior, & habet aliquid obſcuritatis, ac affectationis; laus autem eruditionis ei non eſt adimenda*: vide *bibliogr. critic.*p.614. edit.*Krauſii*, adde cl.*Salmaſium prolegom.*,*G.I.Voſſium* opere de *hiſtoricis latinis* lib. III., *I.C. Wagenſeilium pera libr. juvenil.* loc.II. p.2. p.260.

L. Apulejus Madaurenſis, qui adſcribi debet ævo Antoninorum, minus vero Trajani, quandoquidem ex verbis *apologiæ* ipſius col-

libri titulus ſit: Apicius, ſive de arte coquinaria; *nomen autem auctoris* Cœlius, *ſive* Cæcilius.

† † *De ipſo Dictye Cretenſi vide diſſertat. clariſſimi Perizonii*, & *Fabric.* bibl. græc. *lib.*I.*cap.*V.

colligi poteſt, ſcriptam eſſe aut Antonini Pii principatu, aut paullo poſt: ex monimentis ejus habemus libros XI. *metamorphoſeos*, ſeu de *aſino aureo*: orationem de *magia* ſeu *apologiam*: libr. de *mundo*, oration. de *deo Socratis*: libr. III. de *habitudine doctrinarum & nativitate Platonis philoſophi*: *florida*, quæ collecta eſſe videntur ex Apuleii ſcriptis, quæ perierunt: nonnulli ei quoque vindicare volunt *Aſclepium*, ſive Hermetis Triſmegiſti dialogum, & librum de *virtute herbarum*: dictio Apuleii horrida eſt atque inculta. *Jo: Henr. Boeclerus hiſt. univerſ.* ſecul. II. ſect. 5. §. 13. de *eruditione Apuleii nemo dubitabit, niſi qui fuerit indoctus, quæ ſane eſt exquiſitiſſima, ſtilus quidem aliquid peculiare ſapit, & a cetera conſuetudine abit more Afrorum, & quamvis fuerit ſtudioſiſſimus lector antiquorum; ſtilum tamen ſibi proprium commentus eſt ſatis audacter, qui nimirum ad tumorem Africanum accederet: omnes enim Afri* † *ſtilum habent turgidum & ſalebroſum, niſi quod ſolus Terentius, qui quidem ante illa tempora diu vixit, nihil tale oſtendit in ſuis ſcriptis: plurima autem eſt utilitatis hic philoſophus.* item: *nec philoſophus tantum fuit inſignis, ſed & orator, quod oſtendit in apologia ſua, quantum ſcilicet ad artem, & mo-*

† *dictio Afrorum omnino inelegans, inculta fuit: hoc probant exempla* Marciani Capellæ, Arnobii, Tertulliani, Apicii Cælii, & *noſtri* Apuleii, *vide diatriben noſtram de* Lactantio *cap.* II. *p.* 14. 15., & *Morhofium de* Patavinit. Livian. *cap.* IX. *p.* 550.

modum, *ad ſophiſmata & ſtratagemata oratoria adtinet*: *abundat autem myſteriis Platonicis*, *ideo in ſuſpicionem magiæ fuit tractus*:

Q. Septimius Florens Tertullianus, qui presbyter fuit eccleſiæ Carthaginienſis,& contumeliis Romani cleri commotus in Montani caſtra tranſiit: ante lapſum ſcripſit de *baptiſmo*, *pænitentia*, *oratione*; poſt illum, *apologiam adverſus gentes*, *ad nationes* libr. II. de *teſtimonio animæ*, de *pudicitia*, de *fuga in perſecutione*, de *jejuniis*, de *cultu feminarum*, libr. II. de *pallio*, cetera: ſtilus ejus haud ornatus, ſed obſcurus eſt, quum multam ac magnam libertatem in innovandis vocabulis ſibi permiſerit; hinc *Lactantius inſtit. divin.* lib. V. c. I. *Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus*, *ſed in eloquendo parum facilis*, *& minus comtus*, *& multum obſcurus fuit*:

Arnobius, qui ſub Diocletiano principe Siccæ rhetoricam docuit, & ſcripſit libros VII. *adverſus gentes*, quorum ſtilus incomtus, inelegans, atque maxime impurus, more Africanorum: nec video, cur *Guil. Cave hiſt. litt.* p. I. ſec. IV. p. 102. dicat: *habet ſtilus Arnobianus ſuam eloquentiam*, *& dictionem plane florentiſſimam*, *nec operi deeſt methodus concinna & bene ordinata*, *ut cuivis attente legenti aperte conſtabit*: vere autem *Hieronymus* ad *Paullin. epiſt.* XIII. *Arnobius inæqualis eſt*, *& abſque operis ſui partitione confuſus*: †

Am-

† *Stilus Arnobii prodit Africanam dictionem*: *huc inter alia pertinet*, buſticetum *lib.* VIII. *p.* 222., uſtrina (*vide Feſtum in* buſtum, &

El-

Ammianus Marcellinus, qui ſtipendia fecit ſub Conſtantio & Juliano contra Parthos, & compoſuit hiſtoriam XXXI. librorum a Nerva uſque ad obitum Valentis, de quibus poſteriores XVIII. adhuc ſuperſunt: dictio ejus horridior eſt, nec culturæ puræ latinitatis inſervire poteſt:

Flavus Vegetius Renatus, auctor librorum V. *inſtitutorum rei militaris*; libri autem IV. *mulomedicinæ* hujus Vegetii non ſunt: res, quas complexus eſt Vegetius operibus ſuis, maxime utiles ſunt & eruditæ; ſed dictio illarum laudem meretur mediocrem:

Æmilius Macer, qui ad hanc ætatem pertinet, quoniam mentionem habet non ſolum Plinii, ſed Galeni etiam: ſcripſit carmina de *herbarum virtutibus*:

Julius Firmicus Maternus de *errore profanæ religionis*, ad Conſtantinum & Conſtantem commentatus eſt:

L. C. Lactantius, diſcipulus Arnobii: Nicomediæ docuit oratoriam artem, & Criſpum filium Conſtantini in bonis litteris inſtituit: genuini illius partus ſunt libri VII. *inſtitutionum divinarum*, de *ira dei*, de *opificio dei*: ſed *epitome inſtitutionum*, de *mortibus perſecutorum*, item varia carmina, ſunt dubia monimenta, num auctor illorum ſit Lactantius,

nec-

Elmenhorſtium in Arnob. *p.*184.) rogi ſunt, & buſticeta *lib.*1. *p.*24., concrematus in funeſtis buſticetis Hercules: differitas *pro differentia lib.*II. *p.*54., *quam vocem Lucretius quoque habet* IV. *v.* 637. *item* commetari, coimbibere, imprope.

nec ne? ſtilus ſimillimus eſt Ciceronis dicendi generi, elegans quippe, ſuavis, facilis, perſpicuus & purus. *Hieronymus epiſt.*XIII. ad Paullinum: *Lactantius, quaſi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ. Jo: Franciſcus Mirandulanus* de *ſtud. divin. & hum. philoſ.* cap.VII. *quis apud nos non videat eſſe Ciceronem, ſed chriſtianum, hoc eſt aliquem, qui eum ad lineam unguemque expreſſerit? quis enim non advertit, Lactantium Firmianum æquaſſe ipſum,& forte præcelluiſſe in eloquendo?* quamobrem meretur, ſtudioſe commendari uſui ſcholarum publico: quæ habet male pura, pauca ſunt,& facile poſſunt evitari:

M.Minucius Felix, antiquior Lactantio, qui dialogum contra paganos compoſuit, quem *Octavium* a principe colloquentium perſona inſcripſit:ſtilus ornatior quidem eſt,quam Tertulliani;in comparationem tamen Lactantii evehi non poteſt:

Thaſcius Cæcilius Cyprianus, Carthaginienſis epiſcopus, qui ſcripſit multa: *epiſtolas*, librum de *diſciplina & habitu virginum*, de *lapſis*, de *idolorum vanitate*,& alia. *Lactantius inſt. div.*V.I. *unus igitur præcipuus & clarus exſtitit Cyprianus: admodum multa conſcripſit in ſuo genere miranda; erat enim ingenio facili, copioſo & ſuavi, & (quæ ſermonis maxima eſt virtus) aperto, ut diſcernere nequeas, utrum ornatior in eloquendo, an facilior in explicando,an potentior in perſuadendo fuerit?*

Macrobius Ambroſius Aurelius Theodoſius,qui perfecit commentarium in *Ciceronis ſomnium Scipionis*, & libros VII. *ſaturnaliorum*: dictus eſt *fur & ſimia* Gellii, quod ex eo

multa deſcripſit,nomineGellii diſſimulato:ſtilus pro ratione ſeculi non plane ineptus eſt. Hoc ſeculo veteres juris conſulti claruerunt *Æmilianus Papinianus*, *Ulpianus*, *Jul. Paullus*, *Pomponius*, *Modeſtinus*, & alii,quorum latinitatem Romani juris digeſta cuſtodiunt:

Æmilianus Papinianus, ſub Septimio Severo clarus, qui ſub Baſſiano Caracalla præfectus prætorio fuit, & ab eo interfectus, qui Getæ faveret:

Ulpianus, diverſus ab Ulpiano rhetore & ſcholiaſte Demoſthenis,erat ſcrinii magiſter, & periit militari tumultu:

Jul.Paullus, æqualis Ulpiani ſub eodem Alexandro Severo præfectus prætorio, patria Romanus, quemadmodum Ulpianus Tyrius:

Pomponius, qui Papiniani diſcipulus,& Alex. Severi a conſiliis fuit, de aliis conſuli poſſunt *Tillemontius* t.III. *hiſt. Imperator.*,& *Jo: Alb. Fabricius bibl. latin.*IV., 9.

Cenſorinus, qui librum ſcripſit de *die natali* Ulpio & Pontiano cōſulibus,ideſt anno primo imperatoris Gordiani: ipſum opus eruditum eſt, & chronologis magnum emolumentum adfert; dictio vero pro ſeculi ratione ſe exhibet:

Ælius Spartianus, *Æl. Lampridius*, *Jul. Capitolinus*, *Trebellius Pollio*, *Vulcatius Gallicanus*, *Flavius Vopiſcus*, qui circa Diocletiani tempora perſecuti ſunt auguſtam hiſtoriam: ſolent edi uno juncti volumine, quod fecerunt *Caſaubonus*, *Salmaſius* cum aliis:

Q. Serenus Sammonicus,clarus medicus, ſub Severo & filio Caracalla: de cujus ſcriptis

ſu-

ſupereſt carmen heroicum de *medicina parvo pretio parabili* : caracter dicendi humilis eſt:

Hilarius Pictavienſis, in Aquitania, ultima parte Galliæ verſus occidentem, epiſcopus, athanaſii σύγχρονος, multa ſcripſit: libros XII. de *trinitate*; *adverſus Arianos*, *& Auxentium* libr. I., *commentar. in Evangelium Matth.*, in *pſalmos*, & alia: periodi ejus ſunt copioſæ, obſcuræ, haud ſuaves, nec a barbaris vocibus immunes:

Aurelius Prudentius Clemens Theodoſio Magno imperatore clarus, qui multa condidit carmina, ex quibus in manibus noſtris ſunt *pſychomachia*, *hymni*, *hamartigenia*; libri II. *contra Symmachum*: utitur ſæpe barbaris vocibus, nec raro peccat contra metri rationem; †

Aquilinus Gajus Vettius Juvencus, qui Hiſpanus, generis nobiliſſimi, ſub Conſtantino M. vixit, & *Evangeliorum hiſtoriam* carmine he-

I 2 xa-

† *E. g.* elutus *med. brev. periſt.* v., 362. *ubi plures ſcripti codices* mortis lavacris elutam, *duo codd.* erutam, *cum quibus Weitzius facit*; enervans *pr. brev.* cath. VIII. 64.; eromus *med. brevi c.* VI. 89. *pſ.* 371.; excitus *med. brevi p.* III. 96.; noverimus *penult. longa pſ. pr.* 53.; recidit *prima longa A.* 878., ſuperne *ult. br. c.* III. 20., *p.* XII. 39.; calceorum *tert. br. p.* VI. 74.; cuique *dactylus H.* 105. *S.* I., 236. II., 89.; involucrum *tert. br. S.* I., *pr.* 54. *ut alia prætermittam, quæ collegit Cellarius addita extremo editionis ejus: nec aliis poetis, præcipue chriſtianis inſolens eſt, metri rationem poſthabere.*

xametro expreſſit. *Olaus Borrichius* de *poëtis lat.* diſſ. 11. §. 47. *poëta non humillimi ſpiritus, qui ſi aliquando ſibi excidat in mora ſyllabarum, ignoſcendum erit ſeculi illius ruditati: enim vero plures habet hujus culpæ ſocios, immo propemodum omnes poëtas chriſtianos antiquos: dictio ejus nativa, & ſimplex, quæque ſibi ſatis conſtanter exprimit rerum ſenſum:*

Rhemnius Fannius Palæmon Vicentinus, qui artem grammaticam ſcripſit ævo Conſtantini M.: carmen autem de *ponderibus & menſuris* dubium eſt, num illi veluti auctori debeat vindicari; quoniam id alii Renio Favino, alii vero Priſciano tribuunt, erat inſignis grammaticus, & poëta:

Marius Victorinus ſeu *Victor* rhetor Maſſilienſis, qui floruit ſub Conſtantio, & concinnavit epicum carmen *in geneſim*, item de *perverſis ſeculi moribus* heroicum:

Claudius Claudianus Alexandrinus, Severi Sulpicii æqualis, ſcripſit varia carmina *panegyrica*, item de *raptu Proſerpinæ*, in *Eutropium*, *Rufinum*, & alia epigrammata, & epiſtolas: dictio pro ratione ævi illius bona eſt, vim autem carminis elegantem non ſemper adſequitur, quoniam in fingendo interdum majorem, quam decet, libertatem ſibi adtribuit:

Q. Aurelius Symmachus orator Romanus, & præfectus Theodoſii tempore, & Romæ illuſtri loco natus: ſcripſit *epiſtolas*, quarum decem libros habemus: de ſtilo illius recte *Jo: Henr. Boeclerus hiſt. univ.* ſecul. IV. ſect. 5. n. 6. hæc pronuntiat: *notandum hic male*

vul-

vulgo fieri, quod has epiſtolas exemplum ad imitationem deligant: declinavit enim ſtilus Symmachi non modo a ſtilo veterum, ſed etiam ab eloquentia hujus ſeculi, ut ex panegyriſtis liquet. Ambroſius longe etiam eſt eloquentior Symmacho: ſententioſus eſt quidem & accuratos habet ſenſus, ſed ſtilus non meretur commendari: hoc autem præcipuum eſt in eo æſtimandum, quod plurima habet juridica: fuit enim vir πολιτικώτατος, & civilis prudentiæ peritiſſimus; multa quoque particularia & hiſtorica illius temporis conſervavit, quæ alibi non exſtant: ſtudioſis juris merito debet eſſe commendatus.

Decius Magnus Auſonius genere gallus, patria Burdegalenſis: vixit ſub Valente & Valentiniano auguſtis: ſcripſit epigrammata, parentalia, commemorationem profeſſorum Burdegalenſium,& alia carmina, item panegyricum in Gratianum, oratione ſoluta: ſermo ejus interdum parum latinus eſt, & quæ habet, partim probanda, partim improbanda ſunt: dicunt quidam, chriſtianum fuiſſe, quamvis alii negent, carmina ea, quæ chriſtum celebrant, genuinum illius fetum eſſe.

Rufus Feſtus Avienus, cujus illuſtre genus ex veteri inſcriptione apud *Jac. Sponium* in *miſcell. eruditæ antiquitatis* p.99. cognoſcitur; Arati aſtronomica, & Dionyſii Periegetæ geographica latino carmine expreſſit. *Olaus Borrichius* diſſ. 11.de *poët. latin.* §.50. *Arati phænomena latino carmine reddidit, facundius, ut liquet, nitidiuſque, quam vel ipſe Tullius, vel Cæſar Germanicus, quorum etiam metris adjungi ſolet: reddidit & verſibus*

Dionyſii περιήγησιν, *& quod mirere, univerſum Livium jambis expreſſit, ſi verum eſt Servii teſtimonium: neque hic ſtetit generoſus impetus; quippe præter alia, quæ ex fragmentis colliguntur, fabellas quoque Æſopias in elegias convertit: ſtilus ejus perſpicuus eſt, terſus, elegans, & ſeculo ſuo floridior:*

Julius Obſequens, qui ſcripſit de *prodigiis Romanorum. Voſſius* exiſtimat, fuiſſe gentilem & vixiſſe ante Honorii tempora. *Dionyſ. Petavius* XII. 38. de *doct. temporum* obſervat, maximam partem operis hujus eſſe depravatam:

Sextus Aurelius Victor, qui nituit ſub Cæſare Conſtantio, cui adſcribitur liber de *origine gentis romanæ*, quamvis *Voſſius* de *hiſtoricis latinis* p.196. neget, opus hoc a Victore noſtro eſſe compoſitum: item de *Viris illuſtribus urbis Romæ*: de *cæſaribus ab imper. Auguſto uſque ad Conſtantinum*, Conſtantini M. filium: ſed eſt ad huc alius *Aurelius Victor*, qui eandem hiſtoriam de vita & moribus imperat. rom. uſque ad Theodoſii exceſſum perduxit: latinitas ejus ſatis bona eſt, perſpicua, & ſi quæ habet minus latina, ea ævo illi tribuenda ſunt:

Flavius Eutropius, & Sextus Rufus, ſeu *Rufus Feſtus*, qui *breviaria romanæ hiſtoriæ* fecerunt: utriuſque ſtilus conciſus, ſed latinus eſt; & *Cellarius* dicit, vix in utroque invenire quidquam, quod non in ſcriptoribus temporum Adriani, & proximorum poſſit idem oſtendi:

Lucius Ampelius, qui *librum* ſcripſit *memorialem*. *Ol. Borrichius conſp. auct. lat. lingu.*

gu. p. 101. *Symmacho σύγχρονος, Lucius Ampelius librum memorialem exaravit, nudo & ſimplici ſtilo, in quo pleraque ſic ſatis caſtigata:*

Servius Maurus Honoratus, qui grammaticus fuit, & in Virgilium diligentiſſime ſcripſit commentarios libros:

T. Julius Calpurnius, qui reliquit poſteritati eruditæ *ſeptem eclogas*, de quibus *Olaus Borrichius* de *poët. lat.* diſſ. 11. §. 45. *opus ejus ingenioſum, temperatum, & a ſcopulis tumoris & humilitatis alienum:*

M. Aurelius Olympius Nemeſianus, qui compoſuit multa carmina, de quibus conſervata ſunt *Cynegetica* genere heroico, & quatuor *eclogæ*: quamvis fuerit Afer, dictione tamen inter alios Afros purus eſt. Panegyriſtæ veteres *Latinus Pacatus, Nazarius, Claudius Mamertinus Eumenius*, præter anonymos alios multa in dictione præſtiterunt, quæ cultiſſima eſt atque ornatiſſima. *Damaſus* ſcripſit epiſtolam ad epiſcopos illyrici: ad epiſcopos orientis: confeſſionem fidei, epitaphia, & alia carmina:

Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Rufinus eloquentiſſimi quidem patres ſunt, quamvis non tam voce & dictione, quam rebus ſuis, quibus eccleſiæ utiliſſimam operam navarunt: latinitas hujus ævi non optima eſt, nec cultoribus linguæ hujus maxime commendanda:

§. XVII.

Ipſa hæc ætas ut diuturnior eſt prioribus, ita varia admodum, & nunc magis, nunc minus inclinans in barbariem, prout ingenia hominum, & imperantium mores erant.

De Valentiniano *Ammianus Marcellinus* III. 8. *oderat eruditos, & opulentos & nobiles, & fortibus detrahebat, ut ſolus videretur bonis artibus eminere; quo vitio exarſiſſe principem legimus Adrianum*: tunc putabant, poſſe etiam legi principes aliunde, quam ex Italia, aut provincia cultiore, quumque Afri, Thraces, Arabes, Dalmatæ, Pannonii imperarent, quiſque ſuæ gentis homines rebus gerendis præfecit, quo fieri aliter non potuit, quin ſermo purus latinus per hujuſmodi homines inter latinos agentes corrumperetur: ipſa litterarum ſtudia negligebantur, quum a patronis, qui præberent nutrimenta, eſſent nuda, ut adeo exſularent quaſi muſæ. Quid latinitas ab hujuſmodi imperatoribus, qui non litteris, ſed rebus armorum, non curis Apollinis, ſed Martis plane intenti erant, poterat exſpectare? ideo non potuit non lingua latina tum ſeneſcere & in anguſtias cogi, quemadmodum vel ſaxa atque marmora illorum temporum adhuc vociferantur. Veſpaſianorum tempore vides Romæ inſcriptiones marmorum antiquas litteris nitido & rotundo caractere expreſſas: contra poſt Antoninos oblongo, squalido, & neglecto plerumque ductu litterarum inelegantes; idem illuſtris *Ezech. Spanemius* in numiſmatis Romanorum animadvertit: *Romanorum nummi*, inquit, *ab Auguſto ad Antoninorum uſque & Severi tempora, magna cum artis & elegantiæ admiratione, ac in omni metallorum genere, varietate intuentium oculos oblectant: infra eam ætatem elegantia illa, ut fatear, defecit, & quaſi una cum imperio Romano conſenuit; ita ut ab uſibus aliis*

po-

potius, *quam ab elegantia commendationem mereantur ſequentium Cæſarum numiſmata*: idem linguæ latinæ fatum. Id vero mirandum utique, poſteriorem hujus ætatis partem priori in his ſtudiis præferendam eſſe. Quum adpropinquaret tempus, ut cœleſtis doctrina, ſubmotis tyrannis, liberius propagaretur, etiam latinitas magis reſtituta atque exculta fuit, non ſolum a profanæ ſuperſtitionis hominibus, ſed & religioni chriſtianæ addictis: ad illos pertinent rhetores, & panegyriſte Coſtantiniani ævi, quorum latinitas proba & elegans eſt, licet non ubique vacui ſint ab adulatione. Mamertinus ſenior non poteſt excuſari. Maximianum Herculeum, principem haud bonis moribus, etiam Diocletianum, ſupra mortalitatis modum extollens: verum moderatiores ſunt Eumenius, atque Nazarius: & Drepanius Pacatus ut ſtili concinnitate propius accedit ad antiquos, ita etiam inter hos maxime a nimia ſibi temperat laudatione: inter poſteriores clari ſunt *Minucius Felix*, *Lactantius* & alii, quibus & peregrinæ ſectæ ſcriptores, *Aurelius Macrobius*, *Magnus Auſonius*, & *Cl. Claudianus* nō impares exſtiterunt: vide *Ol. Borrichium cogit.* p. 16., & *Chr. Cellariū diſſ. acad.* p. 482. Ut habeamus exempla latinitatis ævi hujus, non ab re erit, vocabula quædam, quæ illius ſunt propria, nec ad imitationem poſſunt commendari, referre, cujuſmodi ſunt *abbreviare*, *æquanimiter*, *aurarii*, *abbreviator*, *congruus*, *conſtellatio*: *deviare*, *dignanter*, *dubietas*, *edecumatus*, *gratanter*, *habitaculum*, *incapax*, *in coram*, *juramentum*, *neotericus*, *obviare*, *præſentare*, *ſublimare*,

trium-

triumphator, *unanimiter* & plura alia, quæ diligenter collegit *Chr. Cellarius cur. poſt.* cap. VI., qui & de connexis ac conſtructis vocabulis hujus ætatis diſſeruit; capite autem III. agit de reſtitutis æneo latinitatis ſeculo.

§. XVIII.

Quum in hac latinitatis ætate doctorum veteris eccleſiæ, quos adpellare ſolent patres, mentionem fecerimus, ſigillatim idque breviter de illorum latinitate quædam diſſerere, animus eſt; cujus latinitatis rationem ſi accurate velimus cognoſcere, duo illius momenta ſunt conſideranda, quorum alterum ſpectat ad vocabula ſive ſint ſola, ſive connexa ac conſtructa; alterum vero ad ipſius ſtili, quem expreſſerunt, eoque nomine eloquentiæ modum. Quod ad vocabula ac loquendi formulas pertinet, habent omnino hi antiquiores chriſtianæ doctrinæ magiſtri, quæ minus ad laudem probæ latinitatis accedunt, quorum duo ſunt genera: alterum complectitur ejusmodi vocabula ac formularum genera, quæ illorum ſunt propria, qui quum de rebus ſacris egerint, quæ in veteri latio inter homines a vera religione alienos fuerunt ignoratæ, neceſſe fuit, aut plane nova vocabula adhibere, aut illis, quæ erant uſitata, novas notiones adtribuere: multa illorum deſumta ſunt ex græcis ſcripturis veteris & novi teſtamenti; alia autem ad uſum & conſuetudinem eccleſiæ conformata, quæ quamvis pure latinis minus poſſint adſcribi, haud tamen inter ſordida debemus abiicere: ubi in ſacris negotiis atque argumentis verſamur, licet

cet voces ejuſmodi adhibere : vocabula, quæ paganam religionem ſapiunt, ad chriſtiana ſacra adplicare, vetat pietas : ſed ubi monſtranda eſt eloquentia civilis, cultorem latinæ linguæ decet, a latinitate ſe abſtinere eccleſiaſtica, optimoſque veteris latii ſectari auctores : ſunt generis hujus vocabula *anathema*, *baptizare*, *bona opera*, & *bona opera facere*, *carnalis & carnaliter*, *concupiſcentia*, *creatura*, *deitas*, *devotio* pro religione, *eleemoſyna*, *eremita*, *ethnicus*, *excommunicare*, *fides & fidelis*, *gehenna*, *gentiles*, *hypocrita*, *idololatra*, *idololatria jejunare*, *impœnitens*, *impotentia*, *incredulitas*, *juſtificare*, *martyr*, *martyrium*, *mediator* de Chriſto, *peccator*, *perſecutio*, *pœnitentiam agere*, *primogenitus*, *prophetare*, *propitiatorium*, *proximus*, *ſubſtantive*, *rebaptizare*, *remittere peccata*, *reſurrectio*, *mandatum*, *ſcandalizare*, *ſecularis* hoc eſt profanus, *unigenitus*, item *mortificare*, *ſalvificare*, *ſanctificare*, *vivificare*, *glorificare* atque alia : hicque eſt index, quem ſtudioſe fecit, atque genuina teſtimonia ſingulis vocabulis adjecit *Chr. Cellarius cur. poſter.* cap. VII. Aliud genus vocabulorum, quæ adhibuerunt doctores veteris eccleſiæ, pure quidem haud latinum eſt : minus tamen proprie eccleſiaſticum adpellari poteſt, partim quod voces illæ horum auctorum haud fuerunt propriæ, atque ab aliis ſcriptoribus, non chriſtianis uſurpatæ : partim quod ad argumenta ſacra non ſunt adplicatæ. Quomodo hæc, quæ jam diximus, ſint intelligenda, facili negotio ex exemplis, quæ ſubiicienda eſſe putamus, videri poteſt : ſic *dignanter* habet Hieronymus, extat vero etiam apud Vopiſcum;

eſ-

effigiare invenimus cum in Minucio Felice, tum Apulejo; *fulgidus* eſt apud Prudentium, & Lampridium: voce *habitaculi* uſi ſunt Solinus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius: *impoſſibile* legitur apud Minucium Felicem, & Arnobium, ſimulque Apulejum; *juramentum* non ſolum uſurparunt Hieronymus & Auguſtinus aliique, verum etiam Ammianus: non eſt, quod plura addamus: qui iſta deſiderat, adire poteſt ſæpe laudatum *Chr. Cellarium* in *curis poſterioribus* cap. VI. Verum licet ſit notum, quod ſcriptores eccleſiaſtici caſtitatem latinæ linguæ cuſtodiendam haud curarint, multaque in vocabulis ac loquendi formulis admiſerint, quæ haud pure latina ſunt; id tamen non de ſingulis eſſe adfirmandum intelligit, qui monimenta Sulpicii Severi, Minucii Felicis, & Lactantii legerit, atque extiterit æſtimator intelligens. Stili ratio, quam ſecuti ſunt interdum, non eſt laudanda, id quod quum comentatione quadam in hac academia orationi panegyricæ MDCCXXIV. præmiſſa, monſtraverim, non ab re eſſe puto, ſi quæ ibi dixi, ad argumentum hoc illuſtrandum repetam. Quæ autem in iſta commentatione diſſerui, hæc ſunt: veteres Eccleſiæ doctores floruerunt ſingulari vitæ ſanctitate, tantamque curam atque operam chriſtianæ rei promovendæ navarunt, ut merita eorum quisque recti ac boni cultor magnifaciat, atque utilitatem, quæ ex ipſorum monimentis ad antiquitatem illuſtrandam, cognoſcendamque veræ ac cœleſtis doctrinæ propagationem capi poteſt, reputet haud mediocrem: verum quum homines fuerint, non eſt mirum, eos interdum, quæ huma-

manæ fortis propria ſunt, admiſiſſe, nec omnia effeciſſe perfecta; id quod etiam in dicendi ratione, quam ſecuti ſunt, ipſis contigit: notum enim eſt, quod non moderatam ubique ſecuti ſint eloquentiam, ac quum de argumentis divinis, quæ ſimplicem & planam orationem poſtulant, diſputarent, nimio artis rhetoricæ ſtudio dediti, crebras verborum figuras, colores, atque alia oratorum ornamenta uſurpaverint, ac multa dixerint ὑπερβολικῶς, ut inde non levis intelligendi naſcatur difficultas: propter quam cauſſam obſcura omnino ſunt verba *Theophili Antiocheni* lib. 1. ad *Autolycum* p. 15. quando rationem reddere inſtituit, cur Deus ante oculos noſtros haud verſetur: *quemadmodum malum Punicum cortice involutum habet intus loculos complures pelliculis diſtinctos, & multa grana incluſa: ita univerſa creatura a ſpiritu Dei ambitur* (περιέχεται ὑπὸ πνεύματος Θεοῦ) *& ipſe ſpiritus ambiens, una cum creatura circumdatur manu Dei* (περιέχεται ὑπὸ χειρὸς Θεοῦ) *quemadmodum itaque granum mali Punici, quod cortice exteriore includitur, quæ extra corticem ſunt, cernere haud poteſt: ſic nec homo, quem una cum univerſa creatura manus Dei ambit, poteſt videre Deum:* ac quis *Chryſoſtomi*, *Hilarii*, *Ambroſii* non obſervavit hyperbolas? nec ipſe *Hieronymus epiſt.* 50. ad *Pammach.* tom. 11. p. 135. ſcripta ſua ab artium dialecticæ, ac rhetoricæ peritis legenda eſſe, diſſimulat. Neque non declamatorio dicendi genere ſæpe ducebantur, ſive res ſacras ac graviora religionis momenta alios docerent, atque explicarent, ſive cœleſtis veritatis cauſſam perorarent, ac de rebus di-

vinis inſtituerent diſputationem: oratoria adferebant argumenta, in quibus vis quidem ineſt ad delectationem opinionemque faciendam; minus vero ad firmam ac ſolidam probandi rationem, cujus rei exempla apud *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Minucium*, *Lactantium*, atque alios habemus: quo circa *Petavius not. in Epiphan.* p. 244. *multa ſunt*, inquit, *a ſanctiſſimis patribus præſertimque a Chryſoſtomo in homiliis adſperſa, quæ ſi ad exactæ veritatis regulam accommodare volueris, boni ſenſus inania videbuntur*: ac ipſe *Hieronymus apolog. contra Jovinian.* p. 106. quum dixiſſet: *legimus, o eruditiſſimi viri, in ſcholis pariter, & Ariſtotelea illa, de Gorgiæ fontibus manantia; ſimul didicimus plura eſſe videlicet genera dicendi, & inter cetera aliud eſſe γυμναςικῶς ſcribere, aliud δογματικῶς: in priore vagam eſſe reſponſionem, & adverſario reſpondentem nunc hæc, nunc illa proponere; argumentari, ut libet; aliud loqui, aliud agere, panem, ut dicitur, oſtendere, lapidem tenere: in ſequenti autem aperta frons &, ut ita dicam, ingenuitas neceſſaria eſt*; nonnullos memorat auctores, qui hujusmodi arma contra hoſtes tulerunt, illisque non rationes, ſed figuras objecerunt. Sed tamen non eſt, quod in his vitioſi ſermonis partibus recenſendis operam noſtram conſumamus, quippe quas jam diligenter notarunt *Jo: Dallæus* de *uſu patrum* lib. 1. c. 5. p. 110., & *Jo: Clericus art. criticę* tom. 1. p. 11. ſe. 1. c. 17. p. 347., & *bibl. univerſ.* tom. XII. p. 144. ſeqq. p. 263. ſeqq., præter quos *Jo: Barbeyracius præfat. ad Pufend. gallic.* §. IX. p. 40. quoque legi poteſt:

§. XIX.

§. XIX.

Neque non memoravimus veteres juris antiſtites ac doctores: proinde argumenti dignitas poſtulat, ut de horum latinitate quædam dicamus, in illorum præſertim gratiam, qui jurisprudentiæ,atque arti cultioris ſtili Romani operas ſuas addixerunt, ut videant, quæ in antiquioris juris Romani latinitate ſint bona eoque nomine imitanda,quæve mala ac fugienda. De dignitate latini ſermonis, quo libri juris Romani ſunt conſcripti, ſi accurate velimus judicare,atque aliorum de iſta ſententias rite capere, diſtincte pro diverſitate horum librorum debemus pronuntiare: namque quum corpus juris civilis compoſitum eſt ex pandectis, codice, inſtitutionibus,& novellis,non diſputatur de latinitate codicis, atque, inſtitutionum, quum in eo haud diſſentiant iſtam non eſſe pure latinam nec optimam; multo minus de novellis, quæ tempore Juſtiniani maximam partem græce ſunt ſcriptæ, nec poſthæc accurate ac rite in latinum ſermonem translatæ: diſceptatio igitur tantum pertinet ad digeſta, quæ ſunt compoſita ex ſententiis Papiniani,Paulli,Ulpiani,aliorumque veterum juris conſultorum,de quorum latinitate plerique bene ſētiunt.*Laurentius Valla* honorifice de his legum doctoribus,eorumque latinitate exiſtimat, quando præfatione libri III. *elegantiar*. p.182. ita de illis judicat: *perlegi proxime quinquaginta digeſtorum libros ex plerisque juris conſultorum voluminibus excerptos; & relegi cum libenter, tum vero quadam cum admiratione: primum, quod neſcias, utrum diligentiane, an gravitas, pru-*

dentia, an æquitas, ſcientia rerum, an orationis dignitas præſtet, & majori laude digna eſſe videatur: deinde quod hæc ipſa ita in unoquoque illorum omnia ſunt egregia & perfecta, ut vehementer dubites, quem cui præferendum putes; cui ſimile quiddam (ut de ultima tantum parte, quæ ad nos pertinet, dicam) in epiſtolis Ciceronis admirari ſolebam: quæ quum a pluribus ſcribebantur, omnes tamen ab uno eodemq; (audacius dixerim) ſi perſonas ſuſtuleris, ab uno Cicerone ſcriptæ judicentur, ita verba, ac ſententiæ, caracterq; ipſe dicendi ubique ſui eſt ſimilis: quod eo magis in juris conſultis eſt admirandum, quod illi eadem ætate cuncti extiterunt, in eodem quaſi ludo ac ſchola inſtituti; hi vero inter ſe etiam ſeculis diſtant, licet omnes poſt Ciceronem; ideoque quibusdam in verbis ab eo differentes, quales omnes a Virgilio usque ad Livium fuerunt: nam Servii Sulpitii, atque Mutii Scævolæ nihil extat, ſed alterius Mutii recentioris: & priſci illi quidem juris conſulti quales quantique in eloquendo fuerint, judicare non poſſumus, quippe quorum nihil legimus: his autem, qui inter manus verſantur, nihil eſt, mea ſententia, quod addi adimive poſſe videatur, non tam eloquentiæ (quam quidem materia illa non magnopere patitur) quam latinitatis atque elegantiæ, ſine qua cæca omnis doctrina eſt, & illiberalis, præſertim in jure civili: ſed libro VI. harum *elegantiarum* cap. 35. ſeqq. p. 521. jure conſultos cenſuræ ſuæ ſubmittit, non tam ob ipſas voces & loquendi formulas earumque auctoritatem, quam propter illarum notiones. Fuerunt igitur, qui cauſſam latinitatis, quæ

quæ ſit in digeſtis, voluerunt perorare, illamque ab accuſationibus *Vallæ* defendere: primus, qui ei ſe oppoſuit, eſt *Andreas Alciatus* lib. IV. de *verborum ſignificatione*, adverſus quem quum partes *Vallæ* tueretur *Franciſcus Floridus Sabinus*, prodiit pro latinitate pandectarum libellus, cui inſcriptio eſt: *veterum juris conſultorum adverſus Laurentii Vallæ reprehenſiones defenſio* I. C. P. I. C. A. Pariſiis MDLXXXIII. additus editioni quartæ libri *Nicolai Vallæ* de *rebus dubiis*: idem auctor, qui eſſe dicitur *Jacobus Capellus*, edidit etiam tres alios libros de *verbis non ſatis probatæ latinitatis, aut non ex recepta ſignificatione, vel contra grammaticorum regulas a jure conſultis uſurpatis*; de *repetitis iisdemque verbis in digeſtis*; & de *etymologiis juris civilis*: horum ſcriptorum monimenta, quæ jam memoravimus, conjunctim edidit atque animadverſiones adjecit doctiſſimus *Carolus Andreas Dukerus*, ſub inſcriptione: *opuſcula varia de latinitate juris conſultorum* Lugd. Batavor. MDCCXI. de ipſis hiſce ſcriptis in præfatione judicat, Vallam, ac Floridum ſæpe ea re eſſe lapſos, quod inſcriptiones legum vel ignorantes, vel non conſiderantes, & ob id non ſcientes, quo juris conſulti in definiendis, atque interpretandis quibuſdam vocabulis reſpicerent, ea quæ ex illorum ſententia ad certos articulos ac ſpecies reſtringi deberent, ita acceperint; ac ſi hi interpretationes ſuas nobis pro generalibus quibuſdam pronuntiatis ac regulis, quæ omni argumento omnibuſque aliorum ſcriptorum locis convenirent, obtrudere voluiſſent: *ſed hoc*, addit, *ut-*

cumque ferri poſſet, niſi compluribus locis manifeſta horum cenſorum argutandi, reprehendendi, & verba juris conſultorum calumniandi libido adpareret, ac tanta eorum inſolentia eſſet, ut ſubinde juris conſultos graviſſima verborum contumelia deſtringere, & tanquam ſenſus communis expertes, riſui ſibi ac ludibrio habere non vererentur; quæ profecto ſingularis & non ferenda arrogantia eſt hominum, qui cum ſe vix primis labris juris civilis diſciplinam attigiſſe certiſſimis argumentis demonſtrent, juris conſultos de rebus, quæ ad ipſorum artem pertinent, agentes albis dentibus deridere audeant: quæ ſi alicubi paullo acrius retuſa eſt, nec quiſquam alius indignabitur, nec ipſi ægre ferre, ſi viverent, poſſent; quandoquidem, quam ipſi ſuis dictis ac factis legem adverſus alios ſanxerunt, eadem aliis in ipſos uti licere debet: ipſe quoque laudatus auctor adjecit obſervationes, in quibus veteres jureconſultos eorumque latinum ſermonem ab injuſtis accuſationibus defendit: ante eum celeberrimus, atque elegantioris juriſprudentiæ litteris eruditiſſimus *Carol. Cornelius* van *Byncker ſhoeck* eodem labore præclare functus erat, quum lib. I. cap. XXV. *obſervationum juris romani* exhibet *defenſam latinitatem pandectarum*, & ad ea, quæ *Jacobus Capellus* objecerat, reſpondet. Neque non in Germanis exſtiterunt clariſſimi viri, qui de eodem argumento diſſeruerunt: edidit *Georgius Caſpar Kirchmeierus*, profeſſor Wittenbergenſis, quatuor diſſertationes, quarum duarum priorum ſupra fecimus mentionem; prima inſcriptionem habet: *elogia & elegantiæ lat. Jur. Conſult. veterum ad digeſta* MDCLXXXVII. cujus

ca-

caput primum exhibet elogia veterum Jur. Conſult. quorum frequens mentio fit in digeſtis, ubi quædam de L. Valla, pauca de Budæo, Joachim. Hoppero, & Cateil. Cotta præmittuntur; caput autem ſecundum ſingulatim recenſet veneres, & elegantias dicendi, quibus uſi paſſim ſunt Juriſconſulti veteres in pandectarum corpore: ſecunda prodiit MDCLXXXVIII., quæ exhibet *amœnitates, atque veneres latinitatis in dictionibus & formulis ex pandectar. Jur. voluminibus*, ita ut capite primo vocum; ſecundo autem phraſium ac formularum elegantiæ illuſtrentur: tertia lucem adſpexit hanc inſcriptionem præ ſe habens, *latinitas legalis præter meritum ſuſpecta e pandectis juris eruta & vindicata*, quæ tria continet capita, quorum primo auctor diſputat contra Scioppium;ſecundo contra Vallam; & tertio vindicias latinitatis in digeſtis præter meritum ſuſpectæ tradit: quarta eodem fere titulo eſt ornata atque edita MDCXC. quæ tribus capitibus de obſcuris, de ſuſpectis, ac de corruptis & monſtroſis agit. Nec ſilentio prætermittere poſſum celeberrimi *Danielis Georgii Morhofii* epiſtolam, *qua juvenem in academia viventem hortatur abruptionē diſputationis de latinitate in digeſtis, de qua ipſi lis erat cum profeſſoribus ſuis*, extat iſta pag. 606. *diſſertationum academicarum*: ægre fert, quod juvenis ille exiſtimaverit, laborare libros pandectarum ſolæciſmis, atque erroribus, quibus regulæ grammaticorum violantur; atque obſervat, quod boni auctores non ex grammaticis, ſed hi ex illis cenſeri debeant, addit: *Et quis adeo eſt inſanus, ut eos ex claſſe genuinarum*

rum ſcriptorum latinorum proſcriberet; *tantum abeſt, ut paucula hæ voces quarum tamen dubia adhuc lectio eſt,& ſimilia ſexcenta, id efficiant;ut potius ſinceræ antiquitatis argumentum præbeant rei litterariæ peritis,omnibus licet ſcholis & pædagogis reclamantibus, quibus ſtatim in barbariſmos, & ſolœciſmos reponitur, ſi quid a regulis ſuis alienum vident : ſunt tamen ſæpe libri, deſcribentium culpa depravati, integræ voces, & ſenſus mutati; quod uti omnes auctores ſalcem, ita hi quoque libri experiuntur, ut demonſtrarunt viri eruditiſſimi, & ipſa codicum exempla loquuntur, quæ omnia probe ſunt perpendenda*: hiſce generatim obſervatis, excutit ſingulas voces, quæ juveni illi videbantur ſolœcæ, earumque ſuſcipit vindicias:addimus *Guilielmi Hieronymi Bruckneri*, meritiſſimi in hac academia anteceſſoris,programma de *latinitate corporis juris civilis, an pura ſatiſque probata ſit?* Ut ad rem ipſam accedamus, inter utramque multorum ſententiam, qua de latinitate veterum jure conſultorum, ea præſertim, quæ in pandectarum libris ineſt,aut nimis honorifice,aut ſiniſtre judicatur; mediam, quæ eſt inter nimium,& parum, amplectimur : illi, qui latinum ſermonem horum legum auctorum omni virtute, quæ orationem romanam ornat, conſpicuum eſſe, ſibi perſuadent, eorumque libros cum Ciceronis monimentis comparant, in nimio labuntur & produnt, ſe per amoris vim erga juriſprudentiæ hujus libros; aut per inſcitiam veræ caſtitatis atque elegantiæ, quæ linguæ latinæ eſt propria, a veritatis regula aberraſſe: magna eſt differentia inter ſcribendi

ra-

rationem, quam ſecutus eſt Cicero, ac ſtilum, qui in pandectarum libris adparet, quod etiam viri harum rerum peritiſſimi *Sanctius*, *Scioppius*, *Borrichius*, *Cellarius* ſunt profeſſi: primus, quem nominavi, in *Minerva* lib. III. *cap.* 14. p. 514. dicit: *deinde certius & melius reſpondebo, non tanti mihi eſſe iſtorum judicium, qui juriſconſultorum dictionem cum Ciceroniana comparant: ubi tu obſecro in pandectis tot floſculos, tot figuras verborum & ſententiarum, tot tropos, periodos, cola, commata, & illuſtria lumina oſtendes? imo vero ſi juriſperiti his dicendi generibus uterentur, dicerem, illos neſciiſſe leges conſcribere: adde, quod multi illorum græce ſcripſerunt: ac demum ſeculum illud Juſtiniani latinam linguam non poliebat: multa in pandectis invenio, quæ latinis auribus non placerent; ſit exempli gratia titulus* II. *lib.* I. *ubi multa, quæ a genuina latinitate abhorreant, inveniuntur*: aliorum verba non eſt, quod referamus. Nec illorum probamus inſtitutum, qui latinam linguam in digeſtorum libris perſtringere, iſtam ad infimam latinitatem referre, atque in illa multos errores, quibus grammaticorum præcepta turbantur, notare ſibi ſumunt: inſunt in his monimentis multa elegantiæ, ac puritatis exempla; nec tamen deſunt vitioſa. Primum deprehendimus, quæ omnino in cenſu latinitatis cadentis habenda ſunt *angiare*, hoc eſt cogere, *cautela*, *certiorare*, *incunctanter*, *matricula*, *meliorare*, *minoratus*, *moleſtare*, *paſſio*, *repedare* id eſt redire, *qualis qualis* pro qualiſcunque, atque alia: deinde haud negari poteſt, poſita quædam eſſe, quæ grammaticæ con-

conſuetudini loquendi, ac ſcribendi latine adverſantur, haud aliter excuſanda, quam ut iſta referamus ad archaiſmos: videmus in illis *adjuvaverunt*, quamvis nonnulli legant: *adjuverunt*: *inſidiaverint*, *præſtavit*, *fluerat*, *tueri*, *exequi*, utrumque patiendi ſignificatione; quamvis & in his fere omnibus ſcripturæ ſint diſcrepantes. Verum propter hæc antiquiores iſti juris doctores atque antiſtites de latinitatis jure tam graviorem cenſuram, qua nonnulli iniqui judices iſtos adficere voluerunt, haud merentur: id quoque eſt obſervandum, quod non omnes voces & loquendi formulæ, quæ in pandectis occurrunt, nec probatam latinitatis auctoritatem præ ſe habent, ſint veterum jureconſultorum Papiniani, Ulpiani, atque aliorum; etenim Tribonianus, ejuſque ſocii, quum horum ſententias colligerent, pro arbitrio ſuo addere, detrahere, immutare poterant: idcirco optimum eſſe cenſemus, ſi latinitati pandectarum ejuſmodi pretium ſtatuatur, ex quo cognoſci poteſt, iſtam neque ad elegantiam ac caſtitatem ævi Tulliani accedere; neque plane eſſe rejiciendam.

§. XX.

Antequam vero nos ad ultimam latinitatis ætatem conferamus, de diverſis illius ſpeciebus aliquid dicendum eſt; alia fuit *latinitas docta*, alia *plebeja*: *doctam* dicimus illam, quam veteres in ſcribendo; *plebejam*, in loquendo plerumque uſurpaverunt. *Quinctilianus* XII., 12. ait, *quod aliam videatur habere naturam ſermo vulgaris, aliam viri eloquentis oratio*: hæc omnia illuſtrant verba *Svetonii* de *Auguſto* cap. LXXXVII. *quotidiano ſermone quædam fre-*

ſrequentius & notabiliter uſurpaſſe eum, *litteræ ipſius autographæ oſtentant*: ſic Auguſtus poſuit pro ſtulto *baceolum*, a Βάκηλος, quod animo ſtupidum ſignificat: pro pullo gallinæ *pullejaceum*, ne equi intelligeretur *pullus*; pro cerito, id eſt furioſo *vacerroſum*; item *vapide ſe ſe habere*, pro male, quod vinum *vapeſcens* quaſi ægrotet, inde *vapida lagena*, in qua non vinum eſt, ſed vappa: *betiſſare* pro languere, quod vulgo *lachaniſſare* dicitur, quia *beta* maxime tenera languet: *ſimus* pro ſumus: *domos* genitivo caſu ſingulari pro domus: quam loquendi rationem *Sidonius* lib. IV. *epiſt.* 10. adpellat *uſualem*: *reliquas denuo litteras uſuali ſermone contexo*: *non enim tanti eſt*, *poliri formulas*, *editione cariturας*. Ex his judicari poteſt de controverſia *Leon. Aretini*, qui lib. VI. *epiſtolarum* p. 273. adverſus Blond. Flavium Forolivienſem exiſtimat, quod latina lingua, per quam intelligit elegantiorem romanam, *a vulgari differat terminatione*, *inflexione*, *ſignificatione*, *conſtructione*, *& accentu*, *quodque præſtantes homines oratorem latine litterateque concionantem præclare intellexerint*; *piſtores vero & laniſtæ & hujusmodi turba ſic intellexerint oratoris verba*, *ut nunc intelligunt miſſarum ſolennia*: ſed *Fr. Floridus Sabinus* lib. II. *lect. ſubciſiv.* cap. I. adfirmat, quod latinus ſermo veterum Romanorum tempore omnibus promiſcuus fuerit, præter quem etiam *Franciſc. Philelphus* lib. IX. ep. 6. lib. XXXVII. ep. 2. idem probandũ ſuſcepit, poſtquam *Pogius* eandem cum *Leonardo Aretino* ſententiam defendere inſtituerat: legere poſſumus hac de re *Melchiorem*

In-

Inchoferum hiſtoria ſacr. latinitatis lib. III. cap. 2. ſeqq., *Carolum Dufreſne præfat. gloſſarii* n. 57. ſeqq., inprimis *Dan. Georg. Morhofium* de *Patavinitate Liviana* cap. VI. His conſequitur, multas voces ſupereſſe in gloſſariis latinis, & græco-latinis, quas vocamus barbaras, quum pari antiquitate cum illis, quas Cicero uſurpavit, niteant: cur devenerint in deſuetudinem, id factum eſt multis cauſſis, de quibus *Chr. Daumius* ſollicitus fuit libro de *cauſſis amiſſarum linguæ latinæ radicum*. Ad hæc patet, quod critici multa auctorum loca corruperint, quum antiqua verba proſcripſerint, aliis iisque uſitatioribus receptis: lege *Morhofium* d. l. p. 521. Sermo plebejus, ſive vulgaris tandem multis ſordibus inquinatus fuit. *Gellius* N. A. XX. II. teſtatur, P. Lavinium librum ſcripſiſſe de *verbis ſordidis*: hinc de ſequiori ætate ruſticus ille ſermo ortus, qui Romana ruſtica lingua dicebatur: hinc a multis ſcriptoribus adfectatus eſt, & ruſticis oppoſuerunt grammaticos, qui fingebant nitidiorem ſilum: vide *Caſp. Barthium* lib. LI. cap. 5. *adverſ.* hæc loquendi ratio *barbariſmus* dicebatur. *Diomedes* lib. I. de *oratione* hos ruſticos ſcriptores vocat, qui *ruſticitatis enormitate incultique ſermonis ordine ſauciant, imo deformant examuſſim normatam orationis integritatem, politumque ejus lumen infuſcant ex arte prolatum*. Romani hujuſcemodi voces a ſermone ſuo removere laborarunt: deinde alia latinitas fuit *Romæ*; alia *provinciarum*: de ſermone provinciali egregie multa adnotavit *Eraſmus* lib. XXVII. *ep.* 9. ubi inter alia dicit: *conſtat autem apud Hiſpanos, Afros, Gallos*,

los, reliquasque Romanorum provincias ſic ſermonem Romanum fuiſſe vulgo communem, ut latine concionantem intelligerent etiam cerdones, ſi modo qui dicebat, paullulum ſe ſe ad vulgarem dictionē accommodaſſet. Quis autem Romanus ſermo ſit, ipſe docet *Cicero* tertio de oratore: *me tuus ſonus & ſuavitas iſta delectat, omitto verborum, ſed hanc dico ſuavitatem que exit ex ore: quæ quidem, ut apud græcos Atticorum, ſic in latino ſermone hujus eſt urbis maxime propria*; & paucis interiectis: *quare quum ſit quædam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animadverti poſſit, nihil ſonare, aut olere peregrinum, hanc ſequamur; neque ſolum ruſticam aſperitatem, ſed etiam peregrinam inſolentiam fugere diſcamus*. *Quinctilianus* VI. 4.: *urbanitate ſignificari video ſermonem præ ſe ferentem in verbis & ſono & uſu proprium quendam guſtum urbis, & ſumtam ex converſatione doctorum tacitam eruditionem, denique cui contraria ſit ruſticitas*; & eodem capite: *meo judicio illa eſt urbanitas, in qua nihil eſt abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque ſenſu, nec ore guſtuve deprehendi poſſit; ut non tam ſit in ſingulis dictis, quam in toto colore dicēdi, qualis apud græcos atticiſmus redolens Athenarum proprium ſaporem*. Hæc igitur Romana urbanitas ſita eſt in puritate, ſimplicitate, ſuavitate, atque arguto; cui adverſabantur *ruſticitas*, & *peregrinitas*, quæ olim latinæ linguæ a provinciis illata fuit, etiam a municipalibus, ut hoc pluribus & verboſe demonſtravit *Morhofius* politiſſimo libro de *Patavi-*

nitate Liviana cap. VIII. ſeqq. Quod ad ipſas provincias, earumque latinitatem adtinet, ſluduerunt quidem linguæ latinæ, ſed mediocri ſucceſſu, adeo ut Cicero pro *Archia* c. X. dicat, Cordubæ natos poëtas pingue quoddam atque peregrinum ſonare. Romani magnam in hoc curam poſuerunt, ut provinciis traderent puriſſimam linguam, conſtitutis ludis ac profeſſoribus: latinitas floruit in Hiſpania, Gallia, Africa, Britannia. *Tacitus* id in *Agricola* cap. 21. de Britannis refert: de Gallis rhetor *Eumenius*, panegyrica oratione pro *reſtaurandis ſcholis*: Hiſpania ſtatim poſt Augusti tempora poëtas, & oratores latinos tulit; nec adeo ſterilis in proferendis ingeniis fuit Africa: ipſa Græcia, ſermonis ſui tenaciſſima, Romano tandem aliquid conceſſit: plures provinciales eloquentia latina floruerunt, quam romani: noti ſunt Cicero Arpinas, Terentius Afer, Plautus Umber, Virgilius Mantuanus, Catullus Veronenſis, Propertius Umber, Ovidius Sulmonenſis, Horatius Venuſinus, Salluſtius Sabinus, Livius Patavinus, Phædrus Thrax, Plinius alter Veronenſis, alter Novocomenſis, Quinctilianus Hiſpan.: de cetero notandum eſt, quod etiam fuerint inter Romanos, qui germanicam, ſive celticam linguam cognitam habuerint. *Sueton.* de *Caligula* c. XLVII. tradit, quod coëgerit quosdam, ſermonem germanicum addiſcere, & nomina barbarica ferre; ubi *Cluverius germ. antiqu.* putat, ſpectaſſe Cajum ſermonis germanici certam aliquam dialectum, eamque haud dubie Friſicam: quomodo Siagrius cognitam ſibi reddiderit linguam germanicam, id declarat *Sidonius Apol-*

li-

*linaris epiſt.*5. lib.v. cui addas *Jo: Savaronis* obſervationes: hoc argumentum illuſtrat *Jo: Frideric. Gublingius* diſſert. de *ruſtico in ſermone veteris exemplo Latii declarato* Witt. MDCCXXVI.

§.XXI.

Vt ad ultimum vetuſtioris latinitatis ævum veniamus, conſtat ex hiſtoriarum monimentis, quod poſt Honorii tempora gravi ruina ſit prolapſa, adeo ut per multa ſecula inſtaurari non potuerit: barbarorum invaſio, eorumque manſio diuturna in Romano Imperio illud præcipitium eſt, ex quo latinus ſermo hac gravi ruina prolapſus: hæ barbaræ gentes ex ſeptentrione invadebant Italiam,& provincias, quæ erant Viſogothi, Heruli, Hunni, Vandali, cum ſuis ſociis Alanis, atque Svevis; Franci, Oſtrogothi, Langobardi. Ex his quidam attriverunt ſolas provincias: ſic Franci, germanica gens, Galliam ſuperiorem: auſtralem partem Viſogothi, & inde ejecti a Francis, Hiſpaniam occupaverunt: Saxones Britanniam, Vandali Africam, Hunni Pannoniam; quidam transeuntes Italiam brevi tempore vaſtantes, diſceſſere in aliam ſedem: ſoli Oſtrogothi, & Langobardi diuturno illam imperio tenuerunt, ex quibus clariſſimis viris pronum eſt ad credendum, non priores illos, ſed alteros Gothos, & Langobardos præ ceteris fuiſſe, qui linguam latinam infuſcarint. Sub quo cælo nata fuerit utraque gens, id hiſtorici accuratius non definire poſſunt. *Cluverius* lib.III. *germ. antiqu.* cap.34. Taciti *Gothones* explicans, quos ille cap.XLIII. de *mor.germ.* laudavit, contendit, germani-

eam gentem *Gothos* fuiſſe, a Getis & Dacis, qui Thracicæ originis ſint, diſtinctam, Gothosque ergo ipſos Taciti Gothones & antiquitus Germanos fuiſſe & prope Viſtulam habitaſſe, qui inde ad Pontum & Mæotim migrarint, in quo tractu in Oſtgothos & Weſtgothos pro ſedis poſitione diviſi, poſt in Italiam & Hiſpaniam per Thraciam & Illyricum ſe effuderint: a qua *Cluverii* ſententia diſcedunt alii graviſſimi viri, vide *Cellarium* diſſ. de *origine linguæ italicæ* n. x. qui præclaram auctorum quoque conſenſionem profert, Gothos eosdem eſſe, qui *Getæ* olim adpellati fuerint. Sed quoquo modo ſe res gentis hujus habeat, nobis in præſentia de illa Gothorum Langobardorumque lingua paucis diſputandum eſt, quæ medio illo ævo quum in Italiã hæ gentes irruperint, in uſu illis vulgari fuit, quamquam vetus lingua non penitus potuit extingui. *Matthæus Prætorius* in *orbis Gothici* lib. I. cap. 3. n. 6. dicit: *lingua Slavonica cum Sarmatica & veteri Gothica eadem eſt, uti eſt lingua Vendorum, Bohæmorum, Caſſubiorum*; & paucis interiectis: *in prædictis oris* (inter Viſtulam & Viſurgim) *lingua Teutonica nunquam in uſu fuit; bene tamen fuit Gothica, quæ ab antiquis quoque Germanica audit, ſemperque viſa eſt cum Sarmatica convenire*: ſed ex *Procopii* lib. III. *Goth.* cap. 38. & 40. non obſcure demonſtrari poteſt, quod Slavi, ſive Sclaveni ſexto chriſtianorum ſeculo, quum pæne deletæ in Italia res Gothorum eſſent, ex aquilone in Illyrii partes, & in Sarmatiæ fines ac Germaniæ venerint, tria regna condituri Slavonicum, Polonicum, & Bohœmum. *Cluverius*

p. 627.

p. 627. ait: *Gothos germanicam fuiſſe gentem, tam certo ex moribus ac ſermone & propriis ſingulorum hominum vocabulis conſtat, uti id nemo unquam in dubium vocare auſus eſt*; cui accedit etiam ſummus *Cellarius*, & per Gothicam linguam, quæ in Italiam illata fuit, intelligit Germanicam, ſaltem illi admodum adfinem, ſive Gothi illi ex ſeptentrione ultimo, ſive ex Germania, ſive ex Thracia & his vicinis terris advenerint. Quod ad Langobardos adtinet, illi ſunt antiqua gens, & ſi hiſtoricis fides habenda eſt, Gothorum æque ſoboles atque Vandalica. *Paullus Diaconus*, Warnefridi Langobardi filius, lib. 1. cap. 2. de *reb. Langobardicis*: *Langobardorum gens, quæ poſtea in Italia feliciter regnavit, a Germanorum populis originem ducens, ---- ab inſula, quæ Scandinavia dicitur, adventavit.* addatur *Proſper Aquitanus* Rhegienſis epiſcopus in *chronic.* ad annum CCCLXXX.: nomen hoc genti jam ætate Taciti adhæſit, vide illum cap. XL.; & ſub Auguſto illorum *Strabo*, & ſub Tiberio *Vellejus* hoc ipſo nomine meminerunt. Ut de lingua eorum pauca adiiciamus, *Strabo*, *Vellejus*, *Tacitus*, *Ptolemæus* in Germania ponunt, ut adeo vindicent illis germanicam linguam, quam & nomen illorum, & alia tam propria, quam communia iſtorum vocabula arguant. *Diaconus* ille *Paullus* lib. 1. de *geſtis Langob. cap.* 20. ineunte dicit: *egreſſi Langobardi de Rugiland, habitaverunt in campis patentibus, qui ſermone barbarico Feld appellantur*: quibus itaque gentibus in Italiam infuſis, & longo tempore imperantibus, non potuit fieri quin ſermo illorum de ſuo genio latinitati

aliquid adfricaret: quod cultores, & cuſtodes fere nullos habebat, eo magis illa vetus lingua corrupta & dilacerata fuit, dum tirones illius diſcendæ, hoc eſt Gothi & Longobardi, ad ſuæ illam modulum & menſuram detorquerent, ut *Chr. Cellarius* loquitur p. 107. *diſſ. academic.* Viſigothorum imperium in Italia ſtetit LXX. annos: Langobardorum annos CCVI. vide *Carol. Sigonium* de *regno Italiæ* lib. I. ineunte, & lib. III. extremo: quantum ergo tria ſecula uſu ſuo, & commercio immutare in ſermone poſſunt? acceſſit incuria, & fatalis inſcitia illorum temporum, quibus non erant, qui obviam irent barbariei: qua Italorum incuria, qui tum omnes litteras negligebant, effectum tandem fuit, ut aliam linguam Italia haberet, quæ vocabulis quidẽ videretur atina; ſed illorũ depravatione, admiſtis etiã novis, aliam ac peregrinam indueret faciem: ſic lingua italica, & in provinciis hiſpanica, gallica, anglica, ortę ſunt, quæ principio erant horridæ hybridæq; ſatis, poſt ſucceſſu temporis & ipſæ poliri cœperunt, ornarique. †

§. XXII.

† *Heic legi merentur verba Theodori Ryckii oratione de* palingeneſia litterarum *p. 4. ed. Kriegkii*: Gothos in Italia excepere Longobardi, qui ultimam manum Italiæ vaſtationibus attulerunt; & quodcumque Gothorum feritati adhuc reſtiterat, hiſce victoribus concedere coactum eſt: ceterum ſicuti muſtum ſpumare ſolet & ferveſcere, donec feces ejecerit, ubi conſtitit & deferbuit, mutato nomine in dolia transferri & condiri; ſic Longobardi ſævi ab initio & immanes, ut ad Chriſti fidem converſi ſunt, multum de feritate remiſerunt:

nam

§. XXII.

Hæc latinitatis ætas dicitur *ferrea*, & a ſeculo poſt Chriſtum natum quinto uſque ad inſtauratas litteras extenditur. *Caſpar Scioppius* alios poſuit terminos: non ſemper eadem ævi hujus facies fuit, adeo ut illud iterum in alias periodus poſſit dividi: tempore Viſigothorum, ac Langobardorum ruebat quidem latinitas; ſed ita ut ſuperfuerint aliquot magna ingenia, variis artibus & ſcientiis nutrita: & quamvis ſtilus illorum in dies magis magiſque a tot irruentibus barbaris labefactatus concideret; ævum tamen hoc ſcriptores quoſdam tulit nequaquam barbaros, aut contemnendos: reperitur hinc in illis ſcriptoribus, qui inter Honorium & Carolum Magnum fuerunt, magnum diſcrimen, nec poſteriores cum prioribus ſemper comparandi. Idque dignum eſt obſervatione, poëtas etiam poſteriorum temporum ornatiores eſſe, quam auctores ſolutæ orationis, quod in Sidonio Apollinari, & Paullino Nolano obſervamus, quorum carmina ſunt nitida & perpolita, epiſtolæ vero parum elegantes: cujus rei, ait *Cellarius* pag. 484. *diſſ. acad.*, *hanc putamus cauſſam eſſe, quod carminum ſcriptores poëtas veteres & legere & & imitari neceſſe magis habuerunt, quam ſo-* *lute*

nam & rectæ leges ſuperſunt, quibus furta, latrocinia, rapinas, cædes, & adulteria multa cum ſeveritate inhibuerunt, & varia templa, & monaſteria, baſilicæque pontificibus ædificatæ, denique inclyta oppida aut condita ab hoc populo, aut inſtaurata, quæ longe lateque Italia oſtentat.

lute aliquid componentes, qui vel ingenio confiſi ſuo ſcribebant, vel conſuetudini ſe temporum applicabant, ſecuri ac liberi a neceſſitate & induſtria, quam carmina ſcripturis metricæ rationis imponebant; quamquam etiam ſunt (quod de Nolano illo epiſcopo judicamus) qui licet æque in proſa, quam verſibus elegantes eſſe potuerint, eccleſiæ tamen ſtilo ſe accommodantes, maluerint illius more, quam quo antea inſtituti & uſi fuerant, ſua componere atque proferre. Tempore Caroli M. ſplendida lux literis latinis non oborta eſt, qui majorem curam germanicæ linguæ † ornandæ, quam latinæ habebat: hinc *Olaus Borrichius cogitat. de variis latinæ linguæ ætat.* p.22. judicat *conatus horum temporum infra operis molem fuiſſe, & cognitioni rerum aliquid, linguæ latinæ cultui parum eſſe attributum. Gerh. Jo. Voſſius præfat.* libri de *vitiis ſermonis*: *Carolus M. variis in locis ſcholas erigendo, præclare eſt meritus de ſtudiis univerſis; melius tamen de rerum doctrina, quam lingua romana*: quæ latini ſermonis conditio quosdam in eam adduxit ſententiam, ut crediderint, Eginhartum vitæ illius Caroli Magni non genuinum eſſe auctorem, cujus latinitas genium ſeculi illius haud prodat; lege *Voſſium* opere de *hiſtoricis latinis*, & elegantiſſimam diſſertationem *Schminckii* de *Eginharto*. Poſt Carolum Ma-

† *Lege Hacbenbergium* germ. med. *diſſ.* VI. & VII., *Hertzii* bibliothec. german. *p.* 1. *ſect.* 5., *Lynckerum diſſ. de* idiom. imp., *Burckard. eleganti libro de* fatis latinæ linguæ in german. *cap.* III.

Magnum inertia hominum magis & magis crevit, nec quiſquam de litteris latinis excolendis ornandiſque cogitavit; nulla ferme apparuerunt amplius latinitatis puræ veſtigia: ſeculis ergo, quæ ſubſequuta ſunt, nono, decimo uſque ad inſtauratas litteras, prout in Italia, ſic in aliis regionibus, Gallia, Germania, Anglia adeo concidit latinitas, ut illi, qui videri volebant eruditi, vix legere, nedum ſcribere, aut loqui potuerint: ſeculo jam tum ix. presbyteri neceſſe habebant, conſtituendos epiſcopos interrogare, *utrum evangelia legere poſſent?* per hoc tempus tanta fuit ignorantia, ut nec flectere, nec componere apte vocabula ſcirent: tempore Zachariæ papæ, in Bojaria fuit ſacerdos quidam, qui religionis chriſtianæ candidatos his verbis luſtravit: *baptizo in nomine & patria, & filia, & ſpiritus ſancta*: vide *Aventinum ann. Bojor.* lib. III. p. 220. Quum Philipp. II. rex Hiſp. ſub duce Albano in Belgio conſilium ſanguinis inſtitueret, præſes quidam ejus dominicanus, nomine Vargas, protulit hunc ſyllogiſmũ, *hæretici fraxerunt templa: boni nihil faxerunt contra; ergo debent omnes patibulare*; belgis vero urgẽtibus privilegia itidem reſpondit: *nos non curamus veſtros privilegios*; lege *Horn.* in *orbe pol.* p. 138., *Lanſium contra Hiſpan.* p. 391. Abbas quidam ad fratres monaſterii ſui ita quondam ſcripſit: *fres, fres, vos ad multum foratis, vos ad multum potatis, hæc res in longum nõ faciet bonum.* Sutori cuidam teſtamentum condiderat ſacrificulus Anglus his verbis: *in deus nomine amen: deus animam, corpus terram; bos ſuper eccleſiam, altare vitulus, & tibi tritulus, reliquis & re-*

li-

liquus, *intus & extra*, *uxor & filia*.

§. XXIII.

Quamquam omnium eruditiſſimorum virorum, qui ſcripta ætatis hujus diligẽter evolverunt, conſenſione confirmatur, resque in ſe nota eſt, quod ætate media bonæ litteræ omnẽ ſplendorem ac dignitatẽ ſuã amiſerint, ſummaque introducta ſit barbaries; nihilominus clariſſimus vir, *Polycarpus Lyſerus* Helmſtadii MDCCXIX. edidit *diſſertationem de ficta medii ævi barbarie inprimis circa poëſin latinam*, atque in iſta probare inſtituit, quod *iniquiſſimus ſit eruditionis mediæ contemtus*, ut pag. 2. dicit; pag. 10. vero addit: *quoniam vero barbariei nomen ob ſtilum inprimis minus purum ſeculis mediis inuſtum fuit, purgemus & ab hac labe ea, atque nulli ſeculo præſtantiſſimos defuiſſe, ſtili etiam latini cultores, demonſtremus*: multa ſunt erudita, ac ſingulari induſtria collecta, quæ de ſcriptoribus horum ſeculorum obſervavit: ſed quod ad ipſam rem, de qua diſputat, ſive barbariem mediæ ætatis, cujus terminos ita figit, ut iſtam a ſeculo ſexto poſt natum Chriſtum ordiatur & ad decimi quinti initia pergat, adtinet; ſentit non ſolum contra omnium opinionem, verum etiam contra veritatem: ea ſane, quæ ad defenſionem ætatis hujus ejusque litterarum dicit, ad cauſſam ejus graviter perorandam haud ſufficiunt. nominat quosdam ſcriptores, qui tempore hoc vixerunt, ac ſtilo non penitus contemnendo uſi ſunt; ſed ex auctorum hominumque quorundam conditione non omnis totius ætatis cujusdam ratio pendet: nonne hiſce plures alios, quorum ſcriben-

bendi modus plane horridus eſt ac barbarus, opponere poſſumus? ſi quæ bona, & utilia habent, nemo ſapiens iſta contemnet: verum quum in antiquioris, ac recentioris ævi ſcriptoribus plura atque majora adjumenta ornamentaque latinæ linguæ invenimus, horumque lectio non exiguum poſtulat tempus; minus prudentem, atque expeditam diſcendi linguam hanc iniret rationem, qui illos optimos magiſtros desereret, hoſce medii ævi ſcriptores ſectari vellet: ſi quis rite expendit atque æſtimat, quanta ſit copia vocum barbararum; quomodo ab omnibus fere interdum grammaticorum regulis diſceſſerint; quam maxima inde nata fuerit obſcuritas, non poteſt non barbariem ætatis hujus intelligere: quid multa? tot extant rei hujus documenta, tot habemus inſcitiæ ac barbariei hujus exempla a doctiſſimis viris collecta, ut vix ſit credendum, poſſe quemquam in tam clariſſima luce adverſus veritatem ſentire: extant eruditiſſimæ commentationes, ex quibus, qualis latinæ linguæ hiſce ſeculis facies fuerit, haud obſcure videmus. Quodſi nobis ipſa horum ſcriptorum monimenta perſcrutandi, nulla eſt copia; legi poteſt *Jo. ZVvingeri oratio de barbarie ſuperiorum aliquot ſeculorum orta ex ſupina linguæ græcæ ignoratione*, quam renovatam *Georgius Henricus Goetzius* adjecit *principi græce docto* p. 83.: in primis commendanda eſt doctiſſima diſſertatio *Jo. Friderici Krebſii* de *latinæ linguæ ante ac poſt tempora Caroli M. admodum corruptæ aliquot exemplis & cauſſis*, quæ prodiit MDCLXXXII. caput illius primum exhibet vocabula iſta ætate excogita-

ta, quæ plane ad inſulas barbarorum ſunt releganda; ſecundum vero tradit breviter cauſſas hujus barbariei: neque non legenda eſt *Joſephi Clauderi* ſcholæ Altenburgenſis rectoris *oratio ſecularis anno* MDCXVII. *habita de inculta & horrida ſuperioris pontificiæ, excultaque & florida noſtræ Lutheranæ ætatis latinitate*, a *Chr. Friderico Wiliſchio jubilis Altenburgenſibus* collectis denuo præmiſſa: monſtrat in iſta auctor, tantam fuiſſe barbariem atque inſcitiam, ut ne ipſi quidem præceptores litteras grammaticæ cognitas habuerint, nec monachi recte legere, pronuntiare, ac ſcribere potuerint: id quod etiam paullo ante a nobis obſervatum, atque exemplis confirmatum fuit: huc quoque pertinet *Chr. Friderici Franckenſteinii* oratio de *victa ſuperiorum ſeculorum barbarie*, in qua probavit, *una cum ipſis a Carolo vere magno reſtauratæ doctrinæ primordiis intercidiſſe in occidente græcam litteraturam fere univerſam, neglectam fuiſſe recte loquendi rationem, quemlibet ex ſuo ſibi cerebro nova finxiſſe ſomnia: donec tandem ſeculo duodecimo hominum genus moloſſicum, odioſicum & multum incommodiſticum irrepſerit, quibus ſcholaſticis dederit nomen*: addimus *Adami Rechenbergii* diſſertationem de *ineptiis clericorum romanenſium litterariis*, quæ extat in volumine *exercitationum* edito Lipſiæ MDCCVII. p. 543., *Theodori Ryckii* orationem de *palingeneſia litterarum*, quam denuo edidit *Georgius Nicol. Kriegk* MDCCIII., *Jacobum Burckardum de fatis latinæ linguæ in Germania* cap. III. p. 99., atque in *novis commentariis* de illis, in quibus p. 63. varia monet adverſus

Ly-

Lyſerum ejusque vindicias, quas pro barbarie ætatis mediæ ſcripſit; item *Michaëlem Lilienthalium* in *ſelectis hiſt. litter.* p. 318. ut de illis taceamus, qui quum ſingulari induſtria de *doctoribus ſcholaſticis* commentati ſunt, idem argumentum ſimul illuſtrarunt, atque oſtenderunt, quam miſera latinæ linguæ, immo omnium bonarum litterarum fuerit conditio: ſi quis ejuſmodi vocabula barbara cognoſcere, atque intelligere velit, notitiam illorum haurire poteſt ex *Gerh. Jo: Voſſii* libro de *vitiis ſermon.*, *Caroli Du Freſne gloſſario mediæ & infimæ latinitatis*, aliiſque, quos recenſere animus eſt, ubi de lexicorum auctoribus diſſeremus.

§. XXIV.

Ut quædam de ipſis ſcriptoribus, qui tempeſtate hac nituerunt, ſubjiciam, clari ſunt ſeculo V. *Sulpitius Severus*, qui reliquit ſacram hiſtoriam, vitam Martini epiſcopi Turonenſis, dialogum de converſatione monachorum orientalium; qui ve cum ſui ſeculi ſcriptoribus de verborum elegantia contendere poteſt: *Proba Falconia* poëtria, uxor viri conſularis, quæ vitam Chriſti conſcripſiſſe centone Virgiliano traditur: *Oroſius* presbyter, qui ve ad Auguſtinum ſcripſit libris VII. hiſtoriam ſacram & civilem a condito orbe ad ſua tempora: *Proſper Aquitanicus*, Rhegienſis epiſcopus, multa edidit, longe tamen carminibus, quam ſoluta oratione elegantior: *Sedulius* carmine hexametro libros quinque poëmatum ſuorum protulit: *Rutilius Claudius Numantianus*, cujus habemus itinerarium carmine perſcriptum: *Dracontius* ſcri-

ptor hexametri : *Paullinus Petricorius* laudator S. Martini:*Claudianus Mamertus* presbyter Viennenſis, cujus libri de anima ſuperſunt : *Sidonius Apollinaris*, cujus extant epiſtolæ & carmina:*Gennadius* Maſſilienſis presbyter, qui præter alia librum de illuſtribus eccleſiæ ſcriptoribus evulgavit:*Salvianus* Maſſilienſis, cujus extant epiſtolæ, de gubernatione Dei libri VII. & alia : quidam graviſſimi his litteris viri multos ex his ſcriptoribus ad priorem latinitatis ætatem referunt. brevitas, quam ſector, facit, ut auctores reliquorum ſeculorum tantum commemorem, præcipue quum quæ de ſcriptis & dicendi ratione eorum obſervatione digna ſunt, apud alios facile reperiri poſſint: ſic floruerunt ſeculo VI. *Boëthius*, *Fulgentius*, *Alcimus Avitus*, *Caſsiodorus*, *Priſcianus*, *Helpidius*, *Jornandes*, *Victor Tununenſis*, *Ennodius*, *Martianus Capella*, *Juſtinianus*, *Gregorius Turonenſis*, *Gregorius Magnus*, *Venantius Fortunatus*, *Corippus*, *Arator* : ſeculo VII. *Iſidorus Hiſpalenſis*, *Eugenius*, *Drepanius Florus*, *Marculphus*, *Adamannus* : ſeculo VIII. *Beda*, *Flaccus Alcuinus*, *Aldhelmus*, *Paullus Varnefridus*, *Eginhardus* : ſeculo IX. *Rabanus*, *Strabus Gallus*, *Anaſtaſius*, *Ado*, *Aimonius*, *Freculphus*, *Hincmarus* : ſeculo X. *Luitprandus*, *Odo Severus*, *Flodoardus*, *Rhegino*, *Witichindus* : ſeculo XI: *Haymo*, *Rodulphus*, *Hermannus*, *Lambertus*, *Medici Salernitani*, *Marbodæus*, *Conſtantinus Africanus*, *Petrus Damiani*, *Marianus Scotus*, *Raimundus*, *Villeramus*, *Baldericus* : ſeculo XII. *Guntherus*, *Sigebertus*, *Joannes Sarisburienſis*, *Otto Friſin-*

ſingenſis, *Saxo Grammaticus*, *Hildebertus*, *Helmoldus*, *Gratianus*, *Hugo*, *Petrus Abaillardus*, *S. Bernardus*, *Petrus de Riga*, *Guillielmus Tyrius*, *Petrus Bleſenſis*, *Joſephus Devonius* : ſeculo XIII. *Phil. Gualterus*, *Conradus abb. Uſp*, *Matthæus Pariſienſis*, *Vincentius Bellovacenſis*, *Martinus Polonus*, *Albertus Magnus*, *Thomas Aquinas*, *Bonaventura*; initio ſeculi XIV. *Joannes Scotus*, *Alanus de inſulis*, *Matthæus Vindocinenſis*, *Robertus Beſtonus*, *Gualterus Burlæus*.

§. XXV.

De reſtitutione latinæ linguæ, poſtquam per tot ſecula oppreſſa fuerat, ut aliquid adjiciamus, pretium operæ eſſe videtur : adflictæ Græcorum res, Turcarum creſcente potentia, auxilio fuere latinis; nam ante expugnatam CPolin a. MCCCLXXXIX. quo res Græcorum properabant ad interitum, Manuel Chryſoloras, Byzantinus, a Græcorum imperatore Joanne Palæologo ſen. legatus in occidentem miſſus, ſubſtitit in Italia, & primus ibi græcas litteras docuit; quem a. MCCCCXXXVIII. Beſſario Trapezuntinus, & eodem fere tempore Georgius Gemiſtus, cognomine Pletho, Georgius Trapezuntius Cretenſis, Theodorus Gaza Theſſalonicenſis, & forte Andronicus Theſſalonicenſis, Michaël Apoſtolius, & Conſtantinus Laſcaris, uterque Byzantinus ſecuti ſunt. Poſt expugnatam MCCCCLIII. die quarto kalend. junii armis Mahomedis II. urbem, in Italiam doctiſſimi græcis litteris viri confugerunt, Joannes Argyropyrus CP., Demetrius Chalcocondyles Athenienſis, Georgius Her-

monymus Spartianus, Janus Laſcaris Rhyndacenus, Michaël Marullus Tarchaniota, Marcus Muſurus Cretenſis,& aliit. Quamquam hi exſules, qui in Italiam veniebant, græci erant gente; non tamen ignari fuerunt latinitatis, quæ inde ex Conſtantini inſtituto ſervata fuerat Conſtantinopoli, ut vel ſolus Priſcianus, Conſtantinopolitanus grammaticus, documento: ſic ex ſchola Chryſoloræ prodierunt, qui omnes latine ſcripſerunt, e.g. Leonardus Aretinus, Franciſcus Barbarus, Baptiſta Guarinus, Poggius Florentinus, & alii, vide *Jovium* in *elogiis* p:41. ſeq. Laurentius Valla proximus erat, cujus ingenium induſtriamque nemo ſatis laudaverit: his ſucceſſerunt urgente xiv. ſeculo Hermolaus Barbarus, Jo: Baptiſta Mantuanus, Jo:Picus princeps Mirandulanus,Angelus Politianus,& alii clarorum nominum: & quid dicamus de Petro Bembo, Antonio Sabellico, Paullo & Aldo Manutiis, Antonio Mureto, & aliis pluribus? quos commemorat *Facciolati* ſyntagm. de

† *De hac migratione litterarum græcarum e Græcia in Italiam vide binas diſſertationes D. Boerneri habitas Lipſiæ* MDCCIV. *&* MDCCV. *cum quibuſdam programmatibus, quæ* MDCCXI. *de eodem argumento, munere decani ordinis philoſophici fungens conſcripſit: de vitis ipſorum exſulum plures auctores diſſerunt: quomodo migratio hæc fuerit auxilio adflictis Romanorum litteris, id etiam tetigerunt Borrichius de* ætatibus latin. linguæ *p.93., Cellarius* diſſ. acad. *p.486. 487. ut de aliis taceam.*

de *reparat. latinæ linguæ* p. 23. 24., cui addi poteſt *Eraſmi Cicer.* p. 357. cum aliis auctoribus, quorum principio capitis hujus habuimus mentionem. † Hæc bonarum litterarum lux in Italia accenſa radios ſuos in alias quoque regiones, in primis Germaniam noſtram ſparſit; quæve noſtra ætate latinitatem conſecuta fuerint fata, id explicare, noſtri inſtituti non eſt, quoniam promiſſæ brevitatis fides admonet nos, quanto omnia in tranſcurſu dicenda ſint.

§. XXVI.

Ad alias regiones, Gallias, Hiſpanias, Anglias, Germanias nos transferre poſſemus, & quæ latinitatis felicitas, quæve illius facies fuerit, perluſtrare; ſed id ab inſtituto noſtro

M 3 alie-

† *Magnum ſtudium latinæ linguæ hos homines occupaverat, inprimis imitandi Ciceronem: de Chriſtophoro Longolio tradit Ludovicus Vives in* inſtit. epiſtol., quod nimia cura imitationis bonam naturam corruperit corraſis undique verbis ac phraſibus Ciceronis. *Marius Nizolius putabat, ubivis premi debere Ciceronis veſtigia, qua de re cum Marco Antonio Majoragio egit controverſiam: lege Freheri* theatrum *part.* IV. *Paullus Manutius exiſtimavit*, nuſquam pedem, niſi ubi ille poſuiſſet, ſibi fas eſſe defigere, *Erythræus* pinacoth. II. *De Brunello idem auctor* pinacoth. III. *teſtatur*, eum nullum aliud probaſſe ſcribendi genus, præter Tullianum, neque a Ciceronis imitatione eſse diſcedendum: *plura collegit M. Dan. Frid. Janus eleganti diſputat.* de nimio latinitatis ſtudio *Lipſiæ* MDCCXII.

alienum eſt: qui rei hujus cognoſcendæ cupiditate flagrat, ille poteſt conſulere *Dufreſne præfationem gloſſarii latinitatis*, *Morhofium* de *Patavinitate Liviana* cap. IX. X., *Burckardum* de *fatis latinæ linguæ in germania*, qui deſiderio ejus ſatisfacere poſſunt. Pauca addamus de præſtantia excellentiaque hujus argumenti: hiſtoria linguarum pertinet ad hiſtoriam litterariam, quæ ferax eſt magnæ utilitatis, quippe quam in omnes diſciplinarum artes doctrinasque effundit; ſine auxilio hiſtoriæ hujus philologia accuratius tractari non poteſt, ſive referas ad iſtam grammaticam; ſive philologiam ſtricte ſic dictam. Ad grammaticam pertinent orthographia, etymologia, & alia, quæ omnia lucem petunt ex ipſa hiſtoria: quomodo quis de originibus vocum poterit diſputare? quomodo quis poterit illas illuſtrare, deſtitutus ope hujuſmodi hiſtoriæ? orthographia nititur auctoritate veterum, illorum inſcriptionibus, nummis, lapidibus, vetuſtiſſimis libris manu exaratis, quæ omnia ex hiſtoriarum monimentis debent illuſtrari: immo ipſe ſtilus, qui purus eſt atque elegans, ſine hujus beneficio hiſtoriæ perficitur neutiquam: princeps ſtili ac ſermonis virtus eſt, ut ſit purus, caſtus, elegans; caſtitas vero linguæ abſolvitur auctoritate, atque analogia: auctoritas certis temporum limitibus continetur, quorum non ſemper æqualis facies ac dignitas fuit: hi limites debent ex hiſtoria hac cognoſci, quæ declarat, quomodo hac ætate latinitas ſteterit ſummo faſtigio, alia vero amiſerit de ſua caſtitate atque elegantia quædam, nec auctores in eodem di-

dignitatis cenſu cum prioribus debeant haberi; ex quibus ſimul munera ac beneficia patent, quæ ex hac linguæ hiſtoria in philologiam ſtricte dictam redundant: cultores illius ſolliciti ſunt de vocum auctoritate earundemque ſignificationibus, quod utrumque cum hac hiſtoria ita conjunctum eſt, ut ſine inſigni detrimento ab illa haud poſſit ſeparari. Dolendum itaque multis nominibus eſt, quod magiſtri ſcholarum, qui juventuti ad elegantiorem ſermonis latini ſtilum formandæ præſunt, hiſtoriæ hujus nullam habeant rationem, nullam faciant mentionem, adeo ut alumnis, tritis omnibus ſubſelliis per multum temporis ſpatium, ignota ſint plane fata linguæ Romanæ: quumque ſcholis cum academiis commutatis, privatum ſtudium litteris his conſecrare cogitant, ſe in eligendis auctoribus perlegendis expedire nequeant: hinc legunt modo Ciceronem cum Floro, modo Salluſtium cum Juſtino, Svetonio; modo poëtas cum ſcriptoribus ſoluti ſermonis, neſcientes, quod aurum, argentum, ferrum conjungant. Quid elegantiores ſcholarum muſæ, hac neglecta hiſtoria, patiantur, id intelligentes harum litterarum ſenſu facile adſequi poſſunt: lectio auctorum caret ordine, quoniam hujusmodi doctores, qui linguæ fata haud perluſtrarunt, perſuadent ſibi, rem eſſe nullius momenti, ſive aurum, ſive argentum, ſive ferrum latinitatis proponatur alumnis: de caſtitate ſermonis haud valent judicare, exiſtimantes, ſtilum bene ſeſe habere, ſi grammaticorum regulis ſit adcommodatus, quamvis aliud ſit grammatice, aliud latine & romane

ne ſcribere. Ad hæc ſubinde patet quoque, quid regulæ grammaticorum valeant, quidue illis ſit tribuendum: lingua crevit, evecta fuit ad faſtigi m, ornata eſt uſu & conſuetudine, prolapſa iterum, aliaque experta fata: quis igitur ſuſtineat, illam certis proponere ac docere regulis? uſum quoque habet hiſtoria hæc in critica arte; namque quum criticus diſcrimen cognoverit ſermonis docti ac plebeii, multas voces priori ſedi relinquet, quas alioquin ejeciſſet, veluti barbaras, non elegantes ac puras: graviores igitur ac juſtæ cauſſæ ſunt, quibus permotus primo capite de origine,& fatis linguæ latinæ diſſerui.

CAPUT II.

De Stili Cultioris Romani Ratione.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Summa hujus capitis indicatur §.I.

Auctores de ſtilo romano recenſentur §.II.

Vox ſtili explicatur, ac quid ſtilus ſit, traditur §.III.

Hiſce præmiſſis, diverſa ſtili genera explicantur, ac de iis diſſeritur primum generatim §.IV.

Deinde ſpeciatim de ſtilo circumducto, medio, & conciſo §.V.

Ubi ſimul agitur de argutiis ſtili conciſi §. VI.

Ac cauſſa hujus diverſitatis indicatur §. VII.

Sequuntur alia ſtili ge-

genera, ſublime, ejuſque oppoſitum, quod dicitur frigidum §. VIII. IX.

Mediocre & humile §. X.

Quorum caracterum cauſſæ quoque monſtrantur §. XI.

Expoſitis diverſis ſtili caracteribus, enarrantur illius virtutes, ita ut primum diſſeratur de puritate §. XII.

Ejuſque vitiis, de barbariſmo & barbara dictione §. XIII.

De ſolœciſmo §. XIV.

Archaiſmis, & vocabulis obſoletis §. XV.

De peregrinitate §. XVI.

De Neoteriſmo §. XVII.

Deinde de perſpicuitate ſtili §. XVIII.

Tum de ſuavitate ſtili §. XIX.

Ac de dignitate illius §. XX.

SUperioribus linguæ latinæ hiſtoriam breviter tradidimus, eo nomine, ut pateat elegantioris Romanæ litteraturæ alumnis, qualis in auctorum monimentis latinitas inſit, quidve de illa ſit trahendum ad imitationem, quidve fugiendum: ordo nos jubet, id ipſum explicare curatius, quod ex aureæ atque argenteæ ætatis ſcriptoribus colligendum, atque ad uſum noſtrum transferendum ſit; quippe quod aurum eſt atque argentum linguæ Romanæ, id eſt ſermo, qui conſtat periodis, & caſtitatis, perſpicuitatis, ſuavitatiſque lumine ſplendet: quo itaque doctrina de ſtilo pertinet, cui caput hoc deſtinavimus, ita ut iis, quæ ſubſequentur, ſubſidia patefiant, quorum ope vetus Latium intrare poſſumus.

§. II.

Antequam ad ipſius ſtili rationem explicandam accedamus, quædam de ſcriptoribus

argumenti hujus præloqui, inſtitutum noſtrum poſtulat: ſunt illi vel antiquioris, vel recentioris ævi; illi ſunt Græci ac Romani, quos nunc memorabimus: ſpectant igitur huc

Dionyſius Halicarnaſſenſis, qui ſcripſit librum περὶ συνθέσεως ὀνομάτων, *de ſtructura orationis*, ad Rufum Melitium, ſive Minucium: item τέχνην, *artem rhetoricam*, ad Echecratem, quam Dionyſii hujus eſſe, ſine cauſſa negat *Tanaquillus Faber* in *notis ad Longinum* p. 135., deſiderantur commentarii περὶ μιμήσεως, de *imitatione* ad Demetrium, & liber περὶ τῆς ἐκλογῆς ὀνομάτων, de *delectu verborum*:

Demetrius Phalereus, ſub cujus nomine extat liber περὶ ἑρμηνείας, de *elocutione*, in quo agitur de forma tenui, magnifica, polita & gravi: cui liber hic jure adtribuendus ſit? non eſt, quod heic diſputemus. *M. Antonius Muretus variar.lectionum* lib. 1. cap. 16. p. 8. dicit: *quicunque ille Demetrius fuit, cujus eſt libellus, qui nunc omnium manibus teritur*, περὶ ἑρμηνείας, (*non enim mihi facile quisquam perſuaſerit Phalereum eſſe*) *utile profecto nobis, & minime trivialis doctrinæ plenum ingenii ſui monimentum reliquit: neque vero parvum emolumentum Petrus Victorius ſtudioſis attuliſſe cenſendus eſt, cum olim ad eum librum purgandum incubuit: laborque ipſius, ut ſemper alias, ita hic quoque admodum utilis, & fructuoſus fuit*: adde *Jo. Chr. Wolfium* in *Caſaubon.* p. 249.

Hermogenes, qui ſcripſit τεχνὴν ῥητορικὴν διαιρετικὴν περὶ ςάσεων, *artem rhetoricam de*

partitione ſtatuum & quæſtionum oratoriarum; περὶ εὑρέσεως, de *inventione oratoria* libros IV.; περὶ ἰδεῶν, de *formis oratorum* libros II.; περὶ μεθόδου δεινότητος, *methodum apti & ponderoſi generis dicendi*.

Dionyſius Longinus, cujus liber περὶ ὕψους, de *ſublimitate orationis* eſt notiſſimus: addi poſſunt alii inter græcos artis rhetoricæ auctores, in quibus jure ſuo princeps eſt *Ariſtoteles*; diſſerit de illis celeberrimus *Jo: Albertus Fabricius bibliotheca græca* lib. IV. cap. 31. ſeqq. Apud Romanos eloquentiæ ſtudia maxime colebantur, quæ & multos artis hujus magiſtros produxerunt, de quorum præceptis nonnulla poſteritati ſunt conſervata, quæ ſi rite intellecta adhibeantur debita ratione, haud exiguam utilitatem cultoribus ſtili Romani adferunt: hi enim de indole linguæ, quæ erat propria, inter omnes optimi ac maxime intelligentes fuerunt cenſores: commendandi ſunt *Auctor rhetoricorum ad Herennium*, *Cicero* in libris *rhetoricis*, *Quinctilianus* in *inſtitutionibus oratoriis*, *Plinius* lib. VII. *epiſt.* 9., IX. 15. 26., V. 17., II. 3. ut de aliis taceamus; nec defuerunt noſtra ætate, qui de ratione cultioris ſtili præceperunt, quibus licet non idem pretium ſit ſtatuendum, iſtos tamen recenſere, ſcriptionis noſtræ ratio poſtulat: laudandi ſunt

Caſpar Scioppius, qui multa ſcripſit, quæ hiſtoriam & ſtilum latini ſermonis illuſtrant, cujusmodi monimenta ſunt *paradoxa litteraria* nomine *Paſc. Groſippi*, Mediol. MDCXXVIII. & Amſtel. MDCLIX.; *Mercurius Bilinguis*, Mediolan. MDCXXVIII. & Amſtelod. MDCLXXXVI.; *in-*

ſa-

famia Famiani, MDCLVIII. & Amſtelodami MDCLXIII.; *conſultat.* de *ſtudiorum ratione deque prudentiæ & eloquentiæ parandæ modis*, Patav. MDCXXXVI., *Amſtelod.* MDCLX. MDCLXI.; *animadverſiones in Gerardi Jo: Voſſii libr: de vitiis ſermonis*, Patav. MDCXLVI., Ravenn. MDCXLVII., Amſtelod. MDCLX.; inprimis vero ad argumentum noſtrum pertinet commentatio illius de *virtutibus & vitiis ſtili hiſtorici*:

Jo: Schefferus, cujus liber de *ſtilo* prodiit Upſal. MDCLIII., auctior & præmiſſus *gymnaſio ſtili*; *ſive de vario ſcribendi exercitio ad exemplum veterum*, ibid. MDCLVII. & MDCLXV., iterum cum *Jo: Henrici Boecleri* diſſertatione de *comparanda latinæ linguæ facultate* cura *Jo: Andreæ Boſii*, Jenæ MDCLXXVIII., MDCXC., MDCCXIV. liber hic multum illuſtrat veterum rationem diſcendæ latinæ linguæ, & formandi ſtili elegantioris, in quo argumento cognoſcendo uberior fructus ex lectione illius capi poteſt, quam in ipſis de ſtilo præceptis ejuſque exercitatione:

Jo: Ludovicus Praſchius, cujus *roſetum*; *ſive præcepta ſtili latini* MDCLXXVI., & iterum cura doctiſſimi *Georgii Nicol. Kriegk.* Jenæ MDCCII. prodiit, qui etiam de *latiniſmis & barbariſmis*, *quibus acceſſerunt principia ſtili ex rhetoricis ad Herennium* ſcripſit, quem libellum iterum editum etiam laudatus *Kriegkius* MDCCIV. curavit: quæ præcepit de hoc argumento *Praſchius*, brevia quidem ſunt; verum brevitas illis conciliat dignitatem: ars hæc non diſcitur per multas ac copioſas regulas, quæ ingenia perturbant, ac ſæpe ea, quæ in ſe facilia ſunt, reddunt difficilia, multumque

tem-

temporis, quod in legendis auctoribus, imitatione, variiſque ſtili exercitationibus eſt collocandum, ſibi adtribuunt:

Jacobus Maſenius, qui edidit *palæſtram ſtili romani, quæ artem & præſidia latine ornateque quovis ſtili genere ſcribendi complectitur* Col. Agripp. MDCLIX., agit in primo libro de lectione & imitatione; ſecundo de elocutione; tertio de eruditione romana ex græcis; quarto de ornamentis eloquentiæ ab antiquitate Græca & Romana; ac quinto de ratione ſcribendi legendique dialogos, epiſtolas, & hiſtoriam: ex hoc librorum indice patet, quod commentatio hæc ea quoque complectatur, quæ majori jure ad philologiam, quam ad ſtilum latinæ linguæ pertinent:

Chriſtianus Khimannus, & *Auguſtus Buchnerus*, quorum binæ diſſertationes de *exercitatione ſtili* extant, additæ *Buchneri* elegantiſſimo libro de *commutata ratione dicendi*:

Samuel Groſſerus, cujus *iſagoge ſtili romani, ſeu manuductio ad comparandam latinæ linguæ facultatem, cum in abſtracto, tum in concreto ſpectatam* prodiit Gorlic. MDCCIII. & MDCCXIII.; priori parte conſiderat ſtilum abſtractive, ac diſſerit de rectitudine, proprietate & puritate, concinnitate, ornatu, & emphaſi: poſteriori vero exhibet ſtilum in concreto, oratorium quippe, hiſtoricum, epiſtolarem, philoſophicum, & poëticum, item Aſiaticum, Atticum, & Laconicum:

Gothofredus Vockerodt, qui diſſertationem de *recta & antiqua eloquentia, maxime latinæ ratione, corruptelis præcipuis, & harum remediis* præmiſit priori parti *Cyriaci Gun-*

theri latinitatis reſtitutæ editæ MDCCI.,quæ etiam extat in *conſultationibus de litterarum ſtudiis* ejusdem p.67.;idem argumentum perſecutus eſt in præfatione præmiſſa parti poſteriori hujus *latinitatis reſtitutæ*, qua ſimul ſe defendit a cenſura auctorum diarii Pariſienſis: recte principio hujus diſſertationis monet, quod latinitas haud diſcatur ex præceptis grammaticis, nec uſu & conſuetudine familiari, ſed obſervatione:

Jo: Starckius, cujus *inſtitutio philologica & rethorica de ſtilo* prodiit Hamburg. MDCCV. in qua auctor exponit de neceſſitate & utilitate, de materia & generibus, de forma, adjunctis ſtili, latinitate quippe, ornatu & ubertate, de conſtructione, perfectione, & cauſſis; de caracteribus & generibus; de uſu & exercitatione ſtili:

Joachimus Langius, cujus *inſtitutiones ſtili* tradunt præcepta de ſtili natura & neceſſariis ejuſdem adiumentis; de diverſitate: de præcipuis generibus illius; de latini ſermonis elegantiis; de interpretatione, ſeu modo diſtinguendi: de barbarismis: de ſolœciſmis: de variis latinæ linguæ ætatibus. Addita eſt duplex appendix, quarum prior ſelecta latini ſermonis adagia exhibet; poſterior ſchediaſma de eloquentiæ in primis ſcholaſticæ fundamento, ſubſidiis,atque exercitiis.Hæ inſtitutiones primum ſeorſim,poſt hæc conjunctim cum *anthologia atque floribus e probatiſſimis auctoribus collectis* ſub inſcriptione: *hodegus latini ſermonis tripartitus* MDCCXII. prodierunt:

Anonymus,qui Lipſiæ MDCCXII.edidit *tra-*

cta-

ſtatum de ſtili moderni elegantia addiſcenda facili methodo adornatum, in uſum Romanæ eruditionis cupidæ juventutis: differit auctor de ſtili natura,deque diverſis illius ſpeciebus, epiſtolographico quippe, didactico, hiſtorico, oratorio, acuto, & ſententioſo, encomiaſtico & florido, quæ argumenta ubi octo capitibus eſt perſecutus, monſtravit variandi artificium,& præcipuos perorandi modos:

Jo: Gottlieb Heineccius, qui *fundamenta ſtili cultioris* publici uſus fecit, quæ prodierunt MDCCXX. & iterum MDCCXXVI. parte prima agit auctor de generalioribus terſæ latinitatis fundamentis, grammaticis quippe, rhetoricis,& philoſophicis; ſecunda de ſpecialioribus ſtili fundamentis, de conſcribendis epiſtolis, orationibus, panegyricis, dialogis, inſcriptionibus;& tertia de variis cultioris ſtili facultatem adſequendi mediis:

Conradus Samuel Shurtzfleiſchius; *cujus analecta ſtili* edidit *Jo: Chr. Knauth* MDCCXXV. in quibus differitur de ſtilo generatim conſiderato: de diverſis illius generibus: de periodis & menſura pedum orationis proſæ; de particulis recte componendis; de inveniendis argumentis ad exornandam orationem: de illis, quæ pertinent ad oratorem civilem in deligendis auctoribus claſſicis: de caractere hiſtorico; de quibusdam Livii concionibus; de conſcribendis epiſtolis, de partibus epiſtolæ: hiſce addita ſunt varia exempla imitationum,epiſtolarum *Schurtzfleiſchii* aliaque. Erat *Schurtzfleiſchius* ſummus eloquentiæ romanæ auctor, qui uti graviter atque eleganter dicendi uberrimam habebat facultatem; ita

de arte hac accurate poterat præcipere:

Chriſtianus Henricus Weiſſius, qui MDCCXXIV. edidit *de ſtilo Romano libros quinque*, *quorum primus de ſtilo univerſim*, *reliqui ſigillatim*, *alter de ilius puritate*; *tertius de perſpicuitate: quartus de dignitate; quintus de nitore & elegantia exponit*:

Fridericus Andreas Hallbauerus, qui lingua teutonica MDCCXXVII. edidit: *Einleitung in die nutzlichſten Vbungen des lateiniſchen ſtili, nebſt einer Vorrede von den Mitteln zur Wahren beredtſamkeit*. Alii ſunt auctores, qui huic argumento lucem adtulerunt, id quod licet ex inſtituto ac ſigillatim haud dilucidarint; illud tamen, quum generatim de arte dicendi ſcribendique epiſtolas præceptiones dederint, attigerunt, ac quæ in ſtilo recte formando debent obſervari, multa utilia ac neceſſaria monuerunt: ex his commendamus *Gerb. Jo: Voſſium* in *inſtitution. orator.* cujus præcepta in primis ad antiquam dicendi facultatem adſequendam ſunt compoſita: *Daniel. Georgium Morhofium*, qui non ſolum in *polyhiſtore litterar.* lib. II. cap. 13., verum etiam in libro de *ratione conſcribendarum epiſtolarum*, quem *Jo: Burc. Majus* uberioribus obſervationibus illuſtravit, item in elegantiſſimo libro de *Patavinitate Liviana* cap. VII., de ſtilo ejusdemque diverſis formis, deque neceſſariis ad culturam illius adjumentis diſſeruit: neque non ejusdem auctoris librum de *pura dictione*, quem *Jo: Laurentius Moſhemius*, vir clariſſimi nominis, MDCCXXV. edidit, huc referre poſſumus, in quo multa traduntur, quæ ad ſtili ornatum pertinent: multa quoque habet de

hoc

hoc argumento doctiſſimus *Jo: Henricus Ackerus* in *methodo ſcribendarum epiſtolarum*: plures alios, qui modo præcepta rhetorices, ſpeciatim epiſtolarum ſcribendarum; modo rationem litteras colendi, præſertim latinam linguam addiſcendi tradiderunt, non eſt, quod memoremus, alius nobis erit locus de illis differendi.

§. III.

Hiſce præmiſſis, ad rem ipſam adgredimur: vox *ſtili* varias accepit ſignificationes, proprie ſignificat modo columnam, & acuminatum quidlibet, ſive ſit ferreum, ſive ligneum in ſimilitudinem columnæ. ςύλος eſt *columna*: & κιων vocatur, *Julius Pollux* lib. I. ſegm. 78. p. 51. ςυλίσκος eſt *columella*; ἐπιςύλιον, *trabs*, aut *lapis*: quæ vox etiam translate occurrit I. *Tim.* III. 15. ἐςὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, ςύλος κ̀ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, & *Gal.* II. 9. οἱ δοκοῦντες ςύλοι εἶναι. unde plures vocem *ſtyli* per y ſcribunt; ſed bene monet *Chr. Cellarius orthog.* p. 149. *nec vero etymi ratio bene convenit*: *Strabo. quidem* lib. XIV. p. 446. ὃς ἦρξε τοῦ Ἀσιανοῦ λεγομένου ςύλου, princeps ſtyli Aſiatici: *ſed dubium a græcis, an latinis dictionem acceperit, ſic ſtipes idem ſonat, quod* ςύπος: *nec tamen* ſtypes *ſcribimus, ſed* ſtipes: *nec Varro lib.* IV. *extremo* ad ςύπος *in etymo, ut ut ejuſdem notionis eſt, reſpexit; ſed* a ſtipando *duxit*: *hoc* a ςείβω; *quanto minus* ſtilus *erit a* ςύλος *ubi diſcrepat ſignificatio?* *ideo aliis* ſtilus *vox pure latina eſt, ſaltim latinitate donata, atque ita latino* i *ſcribenda*: *gloſſæ quoque veteres* γραφεῖον ſtilus *littera* i *latina*; modo notat inſtrumentum belli, cujus mentionem habet *A. Hyrtius*, vel *Oppius commentarior. de bello Africano* cap. XXXI. n. 5. *tum*

egregiæ munitiones caſtrorum, *& valli foſſarumque altitudo*, *& extra vallum ſtili cæci mirabilem in modum conſiti.* *Silius Italicus* lib. x. v. 415.

Et ſtilus occulitur, *cæcum in veſtigia telum*, ſic optime legitur; etiam *N. Heinſius* ore ſui libri adſcripſerat *ſtilus*: de quibus ſtilis etiam diſſerit *Cæſar* lib. VII. cap. 73. n. 9. *ante hæc taleæ pedem longæ ferreis hamis infixis totæ in terram infodiebantur*, *mediocribusque intermiſſis ſpatiis*, *omnibus locis diſſerrebantur*, *quos* ſtimulos (confer cap. LXXXII. num. 1.) *nominabant*. Proprie vox *ſtili* ſignificat quoque graphium, ſeu ſcribendi inſtrumentum: hinc G. J. *Voſſius etymolog.* tom. IV. opp. p. 570. *ſtilus proprie*, inquit, *eſt grafium*, *ſeu ferrum illud*, *cujus acumine ſcribebatur in ceratis tabulis*, *forte igitur* a στύω purgo: vide *Plinium* lib. XXXIV. 14., *Sidonium* lib. IX. *epiſt.* 17., *Horatium ſatir.* x. lib. I. v. 72., *Plautum Bacchid.* act. IV. ſcen. 4. v. 64., & *Sympoſium ænigmate* I. † tranſlate vox ſtili præcipue ponitur pro modo ſcribendi, & dicendi. *Plinius* lib. I. *epiſt.* 5. *onerabit hoc modeſtiam noſtram*, *etiam ſi ſtilus ipſe fuerit preſſus demiſſusque*, *propterea quod cogimur*, *cum de munificentia parentum noſtrorum*, *tum de noſtra diſputare*. *Terentius prolog. Andr.* v. 12. *diſſimili oratione ſunt factæ ac ſtilo*, ut de aliis, *Ciceronis* præcipue, locis taceam: notat quoque *ſtilus* ſcribendi exercitium; *Cicero* de

† *Addi poſſunt Feſſelius* adv. ſacris *to.* I. *p.* 41., *Schefferus* gymnaſio ſtili *p.* 12., *Pignorius lib.* de ſervis *p.* 224. *quippe qui de graphiis veterum diſſerunt*.

de *orat*.II.c.23. *ubertas orationis ſtilo depaſcenda eſt*: *ſtilus* itaque nobis eſt modus, & forma, qua mentis noſtræ cogitata cum ſcribendo, tum dicendo proponimus.

§. IV.

Stilus conſiderari poteſt *abſtractive*, & *concretive*, uti philoſophi dicunt: illa ratione ſola ejus indoles, prout in verbis præcipue ac locutionibus occupatus eſt, illuſtratur: ſecundum verba commode dividi poteſt; quorum partim quantitas debet obſervari, ex qua ſtilus proficiſcitur *circumductus*, *medius*, & *conciſus*; partim qualitas, hinc ſtilus *ſublimis*, *mediocris*, & *humilis*. Hæc ſcribendi, ac dicendi genera conjuncta eſſe debent cum caſtitate, perſpicuitate ac ſuavitate, ut ornentur, & polita adpareant: verborum quantitas, & qualitas dependent a cogitationibus; qualis cogitationum conditio, talis verborum. Ex quibus patet, quod hæc de ſtilo diſciplina cum arte logices ſit ita conjuncta, ut ſine hujus ope haud accuratius tradi, ac cognoſci queat. *Concretive* ſtilus conſideratur, quum argumenti, quod in medium profert, ſimul ratio habetur, quo pertinet ſtilus oratorius, qui verſatur in orationibus; philoſophicus, quo res philoſophiæ proponuntur; hiſtoricus, qui eſt hiſtoricorum. Alii, in primis veteres, alia ratione diviſerunt caracteres. *Macrobius* lib.v. *ſaturn*. cap. I. dicit: *quatuor ſunt genera dicendi*; *copioſum*, *in quo Cicero dominatur*: *breve*, *in quo Salluſtius regnat*: *ſiccum*, *quod Frontoni adſcribitur*: *pingue*, *& floridum*, *in quo Plinius ſecundus quondam*, *nunc nullo veterum minor noſter Symmachus luxuriatur*. *Demetrius* quatuor fecit caracteres

cæteres : μεγαλοπρεπῆ , ἰσχνὸν , γλαφυρὸν , & δαπνόν.

§. V.

Quod ad verborum quantitatem adtinet, per illam ſtilus dividitur in *circumductum*, *medium*, & *conciſum*, cujus diſcriminis veſtigia in veterum Romanorum monimentis quoque deprehendimus ; verba fecerunt de dicendi genere Aſiatico , Rhodio , Attico, & Laconico : quod diſcrimen quamvis ad græcorum linguam ſpectet præcipue , proportione tamen habita, ad ipſos ſcriptores latinos poteſt transferri : legi poſſunt *Cicero Bruto* cap.XIII., item *Fabius* lib. XII. cap. 10. Genus *Aſiaticum* † fuit amplum , tumidum, copioſum , longiores periodos habens, quoniam Græci, qui Aſiam incolebant, ſermonis adfluentiam amabant: *hinc Aſiatici oratores* , inquit *Cicero* dicto loco in *Bruto* , *non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia, ſed parum preſſi, & nimis redundantes*. *Rhodium* dicitur medium inter Aſiaticum , & Atticum , quo nomine *Cicero* Rhodios dicit *ſaniores* , *& Atticorum ſimiliores* , id eſt haud turgidos , aut copioſos , quod genus ortum dicitur ab Aeſchine , de quo refert Quin-

† *In Aſia floruerunt eloquentiæ literæ*. *Cicero* Bruto *cap*.XCV.*habet mentionem duorum generum Aſiaticæ dictionis* : genera , *inquit* , Aſiaticæ dictionis duo ſunt ; unum ſententioſum , & argutum , ſententiis non tam gravibus , & ſeveris , quam concinnis , & venuſtis ; qualis in hiſtoria Timæus, in dicendo autem, pueris nobis , Hierocles Alabandeus , magis etiam Menecles frater ejus fuit ; quorum utrius-

Quinctilianus lib. XII. cap. 10., quod Rhodum exilii locum delegerit, eoque intulerit ſtudia Athenarum. † *Atticum* fuit preſſius, nec vero conciſum; nihil in eo abundabat, nec quidquam deficiebat, quod eſt ſcriptorum Atticorū. *Laconicum* eſt breve, & admittit ſola verba, ſenſui exprimendo maxime neceſſaria; omnia vero reſpuit, quæ ornatus cauſſa ſolent addere:

re:

triusque orationes ſunt inprimis ut Aſiatico in genere, laudabiles: aliud autem genus eſt non tam ſententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum, quale eſt nunc Aſia tota, nec flumine ſolum orationis, ſed etiam exornato, & faceto genere verborum, in quo fuit Aeſchylus Cnidius, & meus æqualis Mileſius Aeſchines: in iis erat admirabilis orationis curſus, ornata ſententiarum concinnitas non erat. *Quomodo autem Aſiaticorum, & Atticorum oratio differat, docet Quinctilianus c. l.* mihi orationis differentiam feciſſe, & dicentium, & audientium naturæ videntur, quod Attici limati quidem, & emuncti, nihil inane, aut redundans ferebant. Aſiana gens tumidior alioqui, & jactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata eſt: *adde Plutarch.* Anton. *p.* 916. *D. cum Sam. Pitiſci* notis ad Sueton. Auguſt. CLXXXVI. *n.* 8. *p.* 344., *item diatriben noſtram de* amœnitatibus hiſtoricis ex Ciceronis peregrinatione collectis §. VIII.

† *Scholam hujus Aeſchinis apud Rhodios dicit Plutarchus* διδασκαλεῖον, *& Philoſtratus* σοφιστῶν φροντιστήριον; *legantur Otto Heurnius* barbar. phil. *l. b.* 1. *p.* 63., *& G. N. Kriegkius de* peregrinat. roman. acad. *p.* 42. 43.

re: † plura habet *Gerardus Jo:Voſſius inſt.orat.* lib. VI. p. 47. Quod dicitur genus Aſiaticum, id nobis eſt *circumductum*; Atticum *medium*: Laconicum *conciſum*. Dicendi genus *circumductum* eſt, quod utitur longioribus periodis, commatibus, & colis; & multa adjicit ornatus atque elegantiæ cauſſa, ut periodi poſſint ampliari. *Cicero* eam dicendi formam uſurpat *orat. ad Quirit. poſt redit.* princ. *quod precatus ab Jove optimo maximo*, &c., cujus exempla etiam habet *Chr. Cellarius orat. academ.* orat. I. p. 5. *Ego equidem nolo hac deprecatione uti, quum ſciam, neminem fortaſſe ex ve-*

ſtro

† *Lacedæmonii non in ſcribendo ſolum, ſed loquendo etiam brevitatis ſtudioſi fuerunt: meminit illius Plutarchus in* Lycurgo: ἐγὼ δὲ καὶ τὸν λογονόμον τὸν Λακωνικὸν βραχὺν μὲν εἶναι δοκοῦντα, μάλιστα δὲ τῶν πραγμάτων ἐφικνούμενον καὶ τῆς διανοίας ἁπτόμενον τῶν ἀκροωμένων, & ibidem: ἐδίδασκον δὲ τοὺς παῖδας καὶ λόγῳ χρῆσθαι πικρίαν ἔχοντι, μεμιγμένην χάριτι, καὶ πολλὴν ἀπὸ βραχέως λέξεως ἀναθεώρησιν. *Gregor. Nanzianzenus* epiſt. III. τὸ Λακωνίζειν, οὐ τοῦτο ἐστιν, ὅπερ οἴει, ὀλίγας συλλαβὰς γράφειν. ἀλλὰ περὶ πλείστων ὀλίγας. *Cicero ad* diverſos XI., 25. non imitor Λακωνισμὸν tuum, altera jam pagella procedit. *Symmachus lib.* I. *epiſt.* 14. *dicit* Laconicæ ſtudere brevitati. *Plato de* legibus *p.* 517. *tribuit Atheniensibus* πολυλογίαν, *Lacedæmonis* βραχυλογίαν, *Cretenſibus* πολύνοιαν. *Cragius de* rep. Lacon. 6. 5. *juſe probat, quod Lacedæmones nullos admiſerint oratores: plura habet Crellius eleganti diatrib. de* ſcytala Laconica, *Lipſ.* MDCXCVII.

ſtro ordine, patres conſcripti, fore, qui excuſationem meam facile accipiat: nec vero deſpero, eandem cauſſam, quæ alios ab officio liberare poſſit, mihi etiam præſidio inter agendum fore, ut majori fiducia ſuſcipiam, quod faciendum reſtat; non quaſi audacior ceteris ſim, aut mihi ad obeundum illud paratior eſſe videar; qui quam exiguæ res meæ ſint, minime quidem ignoro: ſed quia eadem magni principis majeſtas mihi veniam pollicetur, ſi quantum potero, non quantum debeo, de ſummis rebus, & ingenio meo majoribus, ſum verba facturus; idque brevius, quam virtutum laudandarum magnitudo exigebat, vel veſtra audientium poſtulat expectatio. Hunc dicendi caracterem ſecuti ſunt ex vetuſtioribus *Cicero* multis locis, quibus copioſus eſt ac floridus, quamvis *Chr. Cellarius diſſert.academic.* p.475. dicat: *Aſiaticam abundantiam nonnulli ei* (Ciceroni) *objiciunt; ſed fruſtra, quia non tam Aſiaticus eſt dicendi genere, quam Rhodius, quod genus medium eſt inter Atticum & Aſiaticum*: ex recentioribus *M. Ant. Muretus*, & *Chriſt. Cellarius orationibus* ſuis, ut de aliis taceam, qui Aſiaticis, quam Atticis, ſunt ſimiliores. Stilus *medius* ſequitur viam mediam inter genus circumductum, & conciſum, in quo nihil quoque deficit: quæ ſtili forma inprimis perſpicua eſt, quum e contrario circumducta, etiam conciſa, illa ob adfluentiam ac copiam verborum, hæc ob brevitatem fieri ſolet obſcura: formam hanc dicendi ex exemplis, quæ ſubjiciemus, cognoſcere poſſumus: ſic *Salluſtius* principio *conjurat. Catilinariæ*: *omnes homines, qui ſeſe ſtudent præſtare ceteris ani-*

ma-

malibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit. *Manutius* lib. 1. *epiſt.* 6. *Neſcio, utrum fortunæ ſuccenſeam, cujus culpa factum ſit, ut ego tuas litteras duobus fere menſibus poſt eum diem, quo tu ſcripſeras, acceperim; an eidem gratias habeam, quod mihi arculam quandam ſcriptorum meorum evolventi, planeque aliud agenti, de improviſo illas obtulerit.* *C. S. Schurtzfleiſchius* tom. 1. *arcan. epiſt.* num. 56. p. 91. ad Iſaacum Voſſium: *Permultum humanitati tuæ debeo, quod ſuperiori anno, quum Vindſorii incognitus te viſerem, tam bene comiterque me excepiſti, ut exiſtimare debeam, nullum ſane tempus melius unquam collocari potuiſſe.* *Chriſt. Cellarius epiſt. ſelect.* p. 137. ad ſummum Grævium: *Te ergo Zoſimus tanquam libertus patronum, aut vinculis ſolutus liberatorem ſuum ſuſcipit, colit & veneratur, quod tuo conſilio effectum ſit, ut e ſqualore, atque tenebris, quibus per ſeculi noſtri majorem partem immerſus fuit, liberari & in lucem denuo prodire ſibi contigerit.* Conſule plura monimenta *Ciceronis*, *Salluſtii*, *Corn. Nepotis*, *Jul. Cæſaris*, *Curtii*, *Quinctiliani*, & quod ad recentioris ætatis auctores adtinet, adi *Manutii*, *Grævii*, *Schurtzfleiſchii*, & *Cellarii* ſcripta. Stilus *conciſus* breviores habet periodos, nec admittit verba, niſi quæ maxime neceſſaria ſunt; omnia autem reſpuit, quæ partim majoris ornatus, atque elegantiæ, partim majoris perſpicuitatis cauſſa addi ſolent. *Jacobus Maſenius* p. 180. *palæſt. ſtili* has virtutes in charactere conciſo requirit; I. *ut lectiſſimæ voces*

ſint,

ſint, & *magna ſignificandi virtute prædita*, *ne epithetorum ſupplementis frequenter egeant*: II. *ne quidquam adhibeatur*, *quod ſalvo eodem ſenſu poſſit removeri*: III. *rerum ſententia adſtrictis*, *brevibuſque phraſibus exponenda eſt*: rem clariorem producemus exemplis quibuſdam. *Cicero* ad Tironem ſuum: *vide quanta in te ſit ſuavitas*. *Duas horas Thyrei fuimus*. *Xenomanes hoſpes tam te diligit*, *quam ſi vixiſſet tecum*: *is omnia pollicitus eſt*, *quæ tibi eſſent opus*; *facturum puto*: *mihi placebat*, *ſi firmior eſſes*, *ut te Leucadem deportares*; *ut ibi te plane confirmares*. *Plinius* lib.1. *epiſt*.XI. *olim nullas mihi epiſtolas mittis*: *nihil eſt*, *inquis*, *quod ſcribam*; *at hoc ipſum ſcribe*, *nihil eſſe*, *quod ſcribas*. Hac ſermonis figura inter vetuſtiores nitent *Seneca*, *Curtius*, *Tacitus*, *Plinius* junior, *Cicero* etiam epiſtolis præcipue ad Atticum, *Symmachus*, *Sulpicius Severus*, inter recentiores *Juſtus Lipſius*, *Erycius Puteanus*, *Caſpar Scioppius*, *Caſpar Barthius*, *Hugo Grotius*, & alii.

§. VI.

Maxima virtus ſtili conciſi collocatur in argutiis, atque acutis loquendi formulis, per quas nonnulli ſingularem dignitatem orationi conciliare volunt; adeo ut nullam vim eloquentiæ monſtrari poſſe ſibi perſuadeant, niſi argutiæ ubique adpareant. Sed qui ita de arte dicendi, deque ſtilo formando præcipiunt, haud obſcure ſignificant, quam ignari ſint veræ, atque antiquæ, quæ latinam linguam ornat, virtutis: hæc omnino ex veterum auctorum probæ notæ monimentis unice intelligenda eſt, quorum exempla veluti nor-

mam ſequi debemus. Habent hi veteres ſua acumina; ſed quam ſobrie ac parce uſi ſint illis, omnibus illorum lectoribus cognitum eſt: legat quis Ciceronem, Cæſarem, Nepotem; videbit ſane, quod rariores argutiæ occurrant, a quibus non ſine cauſſa ſe abſtinebant: ſectati enim ſunt ſimplicem & perſpicuam ſcribendi rationem, cui ſtilus acutus, quod obſcuritatem gignit, maxime adverſatur. Equidem inter antiquiores fuerunt, qui ſtili conciſi artifices acumina admiſerunt, *Plinius*, *Tacitus*, *Seneca*, *Curtius*, etiam *Florus*; ſed oratores noſtri, qui argutiis ſuis peccant, in illis nullum præſidium eloquentiæ ſuæ habent: ſcriptores, quos nominavimus, ea ætate vixerunt, qua latinitas de dignitate ac virtute priſtina remiſit: deinde, ut jam monuimus, argutias parce ac ſobrie adhibebant; quod ſaltem de *Plinio*, ac *Tacito* eſt dicendum; *Senecæ* autem oratio magis reprehendenda eſt, quam laudanda, eo nomine, quod in hiſce acuminibus modum tenere aut neſcivit, aut noluit. Immo res docet, quod in adhibendis argutiis id, quod nimium eſt, devitare debeamus: produnt luſus ingenii, in quibus nihil ſolidi ineſt; detrahunt orationi perſpicuitatem, iſtamque efficiunt obſcuram: auribus quidem voluptatem quamdam adferunt; deſiderio autem illorum, qui ſolidas rationes atque utilia argumenta exſpectant, haud ſatisfaciunt: ſed tamen quæ dixi, non ita ſunt intelligenda, ac ſi omnes argutias plane proſcribendas eſſe cenſerem: ſunt iſtæ veluti condimenta, quæ ſi temperanter ac debita ratione adferuntur, interdum

dum ſermoni elegantiam conciliare, aliiſque voluptatem adferre poſſunt. Quod ad ipſam argutiarum indolem adtinet, monendum eſt, quod omne acumen aut ad *verba*, aut ad *ſententias* referri debeat; verba reddi poſſunt acuta per ambiguitatem, ἀντανάκλασιν, ſignificationis mutationem: ſententiarum vero argutiæ oriuntur ex contra poſito, quum contrariis opponuntur contraria; ex paradoxis, allegoriis, aliiſque dicendi figuris, quod breviter docet *Jo: Gottlieb Heineccius* in *fundamenti ſtili cultioris* part.1.cap.2.§.63.; præter hunc de acuto atque arguto orationis genere legendi ſunt ex veteribus *Ariſtoteles rhetor.* III., 10., & *Quinctilianus inſtitut.orat.* VI., 3., item *Hermogenes*, *Demetrius* & *Longinus*. Ex recentioribus, qui argumentum hoc integris commentariis ſunt perſecuti; ex Italis ad hancce operam ſe ſe contulit, qui nonnullis artis hujus princeps viſus eſt, *Emanuel Theſaurus*, qui primum Taurini MDCLIV. artis hujus præcepta italice ſub inſcriptione: *il cannocchiale Ariſtotelico, o ſia idea delle argutezze eroiche, volgarmente chiamate impreſe* juris publici fecit, quod opus deinde ſæpius cura Italorum iterum editum fuit: poſthæc etiam a *Caſpare Corbero*, humaniorum litterarum in academia julia profeſſore, in linguam latinam fuit translatum, atque ita inſcriptum: *Emanuelis Theſauri idea argutæ & ingenioſæ dictionis ex principiis Ariſtotelicis ſic eruta, ut in univerſum arti oratoriæ, & in primis lapidariæ, atque ſymbolicæ inſerviat*, MDCXCVIII. editum: auctor hic artem argutiarum & præceptis & exemplis illuſtravit,

ipſum ſecuti ſunt alii argumẽti hujus ſcriptores; extant *Jac. Maſenii ars argutiarum*, *Chriſtiani Weiſii* liber de *argutis inſcriptionibus*, ſive de *poëſi politicorum*, qui & aliorum mentionem facit; *Danielis Georgii Morhoſii commentatio* de *diſciplina argutiarum* MDCXCIII. quæ tres ſectiones continet, quarum prima de *principiis*, ſecunda de *ſubſidiis*, & tertia de *variis objectis argutiarum* agit, qui & legi poteſt in doctiſſimo libro de *Patavinitate Liviana* p. 531., & in *polybiſtore litter*. lib. VI. cap. 3., ubi §. 8. de uſu argutiarum recte inſtituendo ita ſentit: *atque id in univerſum negari utique non poteſt, per inſcriptiones, præcipuum argutæ illius noveque dictionis fatum, Italis primo debitum, anſam eſſe multis in lingua latina corruptelis datam: quod præter alios, etiam Bæclerus in muſeo monet; ſed qui tamen ſimul omne illud ſtudium reiicere non audet: ſed, poſtquam in utramque partem diu diſputaſſet, ferendum cenſet, ſi adhibeatur commode, & modus in re ipſa ſervetur. At hiſtorias & panegyricos eo modo ſcribere velle, quod faciunt tamen aliqui, plenum frigidiſſimæ adfectionis & ineptiarum videtur, nec immerito a Bæclero ex hiſtoria atque panegyrico mixtum chaos vocatur: eſt enim poëtiſmo propior, quam orationi talis ſcriptio, & quæ ut plurimum nil niſi coactum ſapit frigidumque; adeoque nihil omnino horum ad imitationem proponendum eſt, quamquam extantiora quædam acumina enotare nihil vetet. Franciſcus Vavaſſor* de *ludicra dictione*, & oratione III. quæ eſt pro *veteri dicendi genere contra novum*, ſtilo arguto nullum pretium ſtatuit,

eum-

eumque niſi cum acuminibus ævi Auguſtei conveniat, ab orationibus removendum eſſe cenſet: idem judicium habes in *obſervationibus Halenſib.* tom.III.obſerv.3. de *ſtilo lapidario* p.98., adde doctiſſimi *Chr.Gottl.SchVvarzii* diſſertationem de *oratione concinna* MDCCVIII. §.IX.,ac quæ ipſi diximus in *parergis academicis* p.435.

§. VII.

Quum ſuperioribus ſtili diverſitatem declaravimus, & alios genere producto, alios medio, alios conciſo uti oſtendimus; operæ pretium eſt, de cauſſis quoque diſpicere, quæ hanc diverſam ſcribendi indolem producunt. Id dubio carere videtur, quod ingenii noſtri ratio ad hæc ſtili genera multum conferat, licet & alia effingere, & ſtudio artis imitari queamus: ſtilus in vocibus tantum occupatus eſt, quibus cogitationes exprimuntur; has quum colligit ac locat ingenium noſtrum, patet, quomodo vocum rationes ex cogitationum idearumque ordine dependeant. Proinde ex his colligitur haud obſcure, ſtilum circumductum eos in primis exprimere, qui facultate valent ingenii, quo multas rerum ideas concipere, ac conſervare poſſunt, eoque nomine cogitationibus abundantes, ipſas adcumulare voces neceſſe eſt: cujuscemodi ingenia quum declarent propoſitionem quamdam, illam illuſtrant ſimul atque explicant, etiam multa addant ornatus cauſſâ, ut periodus fiat copioſior. Poetæ ingenii viribus plerumque præditi ſunt, ac rerum ideis abundant, quo fit, ut ſtilus illorum ſit circumductus, copioſus, & fluvidus, quamvis nonnulli ge-

nus breve ac mediocre interdum effingant. Alia facultas intellectus noſtri eſt *judicium*, quod conjungit & ſeparat ideas ad regulas veritatis, ac reſpuit ideo illas, quæ ſuperfluæ ſunt nec neceſſariæ: excellentes hac intellectus virtute, genus ſcribendi mediocre ſequuntur, in quo nihil ſuperflui, nec deficit quidquam, quod declarando ſenſui animi noſtri neceſſarium eſt. Quamquam id obſervandum eſt, quod ad hunc caracterem ingenium quoque multum conferat, item memoria, quæ fundamentum eſt cum ingenii, tum judicii: verum qui omni ingenio plane deſtituti ſunt, vigent vero judicio, illis plerumque ſtilus conciſus ac brevis familiaris eſt. Stilus copioſus, qui temperatus eſt judicio, dicitur *venuſtus*: ſed quum phantaſia, opus ingenii, accedit, *luxurians*; huc ſpectant, quæ *Cicero* habet lib. 1. de *oratore*: *naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam*; & paullo poſt: *nam & animi atque ingenii celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumque ſint uberes, & ad memoriam firmi atque diurni*. Alii hæc ſcribendi genera adſcribunt hominum temperamentis, ita ut circumductum ſit ſanguinei, mediocre cholerici, & conciſum melancholici: qui temperamentorum patroni dicunt, abundantes ſanguine ſequi genus ſermonis profluens, copioſum, elegans, nitidum, luculentum, jucundum, dulce; cholera, ſeu fervida bile præditos gaudere ſtilo ſublimi, celſo, profundo, acri, verbis gravi, ſententiis acuto, & frequenti, forti, majeſtatis pleno, conciſo, brevi, preſſo; melancholicos

in-

inclinare ad dicendi rationem obſcuram, impeditam, humilem, adſtrictam, ſeveram. Cetera, quod ad hominum temperamenta, per quæ doctores philoſophiæ temperaturam ſanguinis intelligunt, attinet, illa hominibus ineſſe, negari non poteſt; ſed ita cum animi propenſionibus eſſe conjuncta, ut diverſa ſanguinis temperatura diverſos mentis adfectus progignat, id ad credendum multum difficile: multo minus cum intellectu habent ſocietatem, adeo, ut cholericus præſtet judicio, ſanguine abundans ingenio, melancholia adfectus memoria, quam doctrinam ipſa experientia de faſtigio ſuo deiicit: obſervamus homines, qui ſummo ſpiritu elati ſunt, & quorum ſumma votorum eſt, ut dignitate, honore, atque auctoritate aliis ſint ſuperiores; judicio vero plane ſunt deſtituti: melancholici, loquor ex philoſophorum horum ſententia, ſplendent memoria, & horum propria eſt avaritia; quid? nitent judicio, atque ingenio, quo poſteriore, ideo opus habent, ut ope illius inveniant varios modos copiam pecuniæ colligendi; judicio vero, ut hos divitiarum theſauros queant conſervare: illorum, qui abundant ſanguine, propria eſt voluptas: ſed quæ? datur enim voluptas amica bacchi, veneris; & cum hac voluptate conjunctum eſt ingenium: verum ſectare, quæſo, ſocietatem hominum, obſervabis multos, qui non ſolum adfectibus veneris indulgent maxime, ſed judicii quoque lumine nitent. Quamobrem ſublato vinculo temperamentorum, ac propenſionum, item propenſionum & facultatum intellectus, conſequitur, ut diverſam ſtili indolem, quum modo abundans

eſt,

Digitized by Google

eſt, modo brevis, modo medius, ex ipſa intellectus conditione deducamus: qualis natura cogitationum, talis natura verborum. Dicas, qua ratione fieri ſolet, ut unus præſtet judicio, alter ingenio, aut memoria? fit hoc natura, & ſtudio, ſive arte: verum enim verò his neutiquam ſocietatem nego, quam intellectus, & voluntas, & utriusque facultates inter ſe agunt; effectus vero, quos vulgus prodit, ſubinde proficiſci, id eſt, quod adfirmo nullo niti fundamento.

§. VIII.

Stilus *ſublimis* † eſt, qui declarat res ſublimes, & magnificas verbis, quæ excelſo argumento conveniunt, id eſt magnificis, & ſublimibus. Ad ſtili hujus majeſtatem tria requiruntur, primum *res ſublimis*, de qua diſſeritur:

† *Auctor* rhetoricorum ad Herennium IV., II. *ait*: ſunt igitur tria genera, quæ nos figuras adpellamus, in quibus omnis ratio non vitioſa conſumitur; unam gravem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vocamus: gravis eſt, quæ conſtat ex verborum gravium lævi, & ornata conſtructione: mediocris eſt, quæ conſtat ex humiliore, neque tamen ex infima, & pervulgatiſſima verborum dignitate: attenuata eſt, quæ demiſſa eſt usque ad uſitatiſſimam puri ſermonis conſuetudinem. *De tribus his dicendi generibus egregie diſſerit Cicero in* oratore ad Brutum. *Quum auctor dictis verbis genus vocat* figuram, *adpellat id Cicero* formam, & genus dicendi; *Plutarchus, & Hermogenes* ἰδέαν, *alii* caracterem, *vide Prouſtii* adnot. *ad c. l. p.* 87.

tur; deinde *ſenſus ſublimis* mentis noſtræ; & tertium *verba ſublimia*: verba ſunt fiuntque ſublimia, vel auctoritate veterum, vel ſono, vel ſignificatione, vel ſingulari eorum junctura, vel tropis, & figuris. Sonus heic requirit, ut vocalium haud ſuavis concurſus, vel repetitio continua in uno commate evitetur; conſonantium ſtridor removeatur, nec continuentur monoſyllaba: junctura fiat variis modis, ratione pedum: magnifici pedes ſint pæanes, quamquam nec alii ſpernendi ſunt; longitudine ſyllabarum, ordine verborum, ut illuſtriora præcedant, ut periodus claudatur voce, quæ vim, & pondus ſententiæ ſuſtineat: ipſa verba non debent eſſe vulgaria, ſed gravia, magnifica, & a conſuetudine loquendi vulgari recedentia; videndum tamen eſt, ne ſententiæ admittantur nimis hyperbolicæ, voces barbaræ, priſcæ, & omnino poëticæ, item ſuperſtitioſus numerus, quo interdum exiſtunt manifeſti verſus, & quæ cetera ſunt. Ut præcepta hæc exemplis confirmata illuſtrentur, quædam ſubiicimus; alterum habet *Plinius panegyr.* cap. 1. *non enim occulta poteſtate fatorum, ſed ab Jove ipſo coram, ac palam repertus, electus eſt; quippe inter aras & altaria, eodemque loci, quem Deus ille tam manifeſtus ac præſens, quam cœlum ac ſidera inſedit*: alterum exhibet *Dan. Heinſius orat. panegyr.* p. 61. *ſi hæc coram majeſtate tua dicerem, Auguſte, dubitandum non eſt, quin & manus illæ gentium victrices, quæ tot oſculis, tot gratulationibus defatigantur, & cæleſtis ille animus, quem univerſa nunc Europa loquitur, & vultus ille, quem Mars habitat, facundiam dicenti*

ad-

adſpirarent. Qui plura exempla deſiderat, ille legat *Ciceronis* orationes, in primis *contra Catilinam*, *& pro Marcello*; *Plinii panegyricum* dictum Trajano; *Quinctiliani declamationes*; *Virgilii libr. Æneid.*, hiſtorias *Livii*. Ex recentioribus de ſtilo ſublimi, qui & exempla, & præcepta habent, varii ſunt commendandi: exempla ſuppeditant præcipue oratores, quorum caracter hic proprius eſt, ubi de ſublimi diſſerunt argumento:

Auguſt. Buchnerus, cujus *orationum* tria volumina prodierunt cura *Jo. Jacobi Stubelii*: primum panegyricas, quarum in primis ſtilus eſt magnificus; ſecundum feſtas, & tertium litterarias continet, MDCCV.

Daniel Heinſius in *orationibus*, quarum editio nova prioribus auctior cum diſſertationibus aliquot, ac nonnullis præfationibus editore *Nicolao Heinſio* publicam lucem vidit Amſtel. MDCLVII.

Conrad. Samuel Schurtzfleiſchius, qui hoc dicendi genus feliciter expreſſit, ejusque egregia dedit exempla, quæ præcipue in ejus *orationibus panegyricis*, *& allocutionibus varii argumenti*, Vittemb. MDCXCVII. extant:

Oratores, qui juſta parentalia magnæ Britanniæ reginæ Mariæ ſermonibus ſolemniter recitatis perſolverunt, *Fridericus Spanhemius*, *Jo. Georgius Graevius*, *Jacobus Perizonius*, *Petr. Francius*, quorum orationes junctim prodierunt Lipſiæ MDCXCV.; nec non illi, qui laudationibus funebribus juſta ſuprema ſolverunt regi Britanniæ Gulielmo III., *Melchior Leydekkerus*, *Jo. Georg. Graevius*, *Jac. Gronovius*, *Jacob. Triglandius*, *Aug. Gabilionius*,

quæ

quæ itidem in ſummam redactæ lucem viderunt Lipſiæ MDCCIII.

Chriſtophorus Cellarius, cujus *orationes academicæ* Lipſiæ MDCCXIV. cum præfatione noſtra prodierunt; quamvis non negandum ſit, quod eloquentia Cellarii magis elegantia, ac caſtitate, quam gravitate, ac majeſtate ſe commendet:

Jo. Georgius Graevius, cujus *orationes, quas Ultrajecti habuit*, MDCCXVII. edidit *Petr. Burmannus*:

Jo. Gulielmus Bergerus in *diſſertationibus academicis varii argumenti*, Guelferbyt. MDCCXVIII. ut de pluribus aliis taceamus: inſtitutum enim non poſtulat, quosvis oratores heic recenſere; ſed ſufficit, quosdam nominaſſe, ad quos illi confugere poſſunt, qui exempla caracteris ſublimis imitationis cauſſa deſiderant. Nec tamen ſoli oratores genus hoc habent proprium, cujus artifices interdum quoque hiſtorici ſunt, & poëtæ. Qui præceperunt de hac ſtili forma, ſunt ex antiquioribus *Dionyſius Longinus*, ex cujus ſcriptis unicam ætatem tulit περὶ ὕψους, liber de *ſublimitate* orationis, cujus præſtantiſſimam editionem debemus *Jacobo Tollio*, Trajecti ad Rhenum MDCXCIV.; ex recentioribus vero præter interpretes *Longini*, *Samuel Werenfelſius*, cujus diatribe de *meteoris orationis* edita Baſil. MDCXCIV., ac deinde ſubjecta ejusdem libro de *logomachiis eruditorum* Amſtelod. MDCCII., eſt eruditiſſima: addi poſſunt *Jacobus Maſenius* in *paleſtra ſtili romani* lib. II. cap. 26., & *Bern. Lamius* in *arte dicendi*, gallice ſcripta lib. IV. cap. 9.

§. IX.

tias; ac tertium ad *orationis numerum*. Quod ad *voces* adtinet, illarum iterum diverſæ ſunt ſpecies, quæ frigidum in oratione efficiunt; hoc enim fit per ineptum vocum componendarum modum, quando ad ſcribendas rerum naturas vocabula compoſita vi quadam detorquentur, uti *Lucretius* ventum dicit *ſilviſragum*, *Catullus* ceruam *ſilvicultricem*, littus *fluentiſonum*, quæ ſi a poëtis uſurpantur, per licentiam, quæ illorum eſt propria, ſunt excuſanda; minus in oratore: hic enim non neceſſe habet, ubi rerum proprietates ſunt deſcribendæ, ſtilum conſtringere, ac vocabula, quibus nulla eſt auctoritas, compoſita uſurpare. Reddunt quoque orationem frigidam voces peregrinæ, longius arceſſitæ, ac frequentius uſurpatæ; item epitheta, quæ haud neceſſaria ſunt, nec cum ipſis rebus, quibus adtribuuntur, conveniunt, eoque nomine in ipſo ſermone nihil efficiunt. Eadem eſt ratio *ſententiarum*, quod per iſtas frigidum ad orationem accedere poſſit, quando oratores adfectatam ſublimitatem ſectantes de rebus exiguis, ut maximis loquuntur, ac licet de humili argumento diſſerant, nihilominus altius adſurgere, & ſublimia volunt captare: quo etiam ſpectat, ſi in metaphoris uſurpandis nullum modum tenent, ac per hoc nimium elegantiam, quam translatæ voces orationi adferre poſſunt, ſermonibus ſuis detrahunt: ſi ſectantur hyperbolen: ſi de magnis rebus frivolas adhibent ſententias. Denique in *numero orationis* interdum frigidum adparet, quando voces, quæ pares, inprimis longiores ſyllabas habent, de induſtria conjungunt, atque

P idem

§. X.

Stilus *mediocris* ſervat medium inter ſublime, & humile genus. Res, in quibus occupatus eſt, ſunt neque magnificæ, neque vulgares, quo nomine ipſa verba eorumque junctura illis conveniunt; ſententiarum admittit ornatum; numeros adhibet crebriores, quam tenue, & humile genus, etiam moderatiores, quam ſublime. Hæc *Tullius* illuſtrat exemplo lib. 1. *epiſt.* 8. n. 1. *ad diverſos*: *de omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid actum, quid conſtitutum ſit, quid Pompejus ſuſceperit, optime ex M. Plætorio cognoſces: qui non ſolum interfuit his rebus, ſed etiam præfuit; neque ullū officiū erga te hominis amantiſſimi, prudentiſſimi, diligentiſſimi prætermiſit*: aliud exemplum exhibet *Chr. Cellarius epiſt. ſelect.* p. 73. *epiſt.* 25. ad Rechenbergium: *unde viginti anni ſunt, quum curas has primum mihi ſubnatas, celeberrimo nomini tuo, & beatiſſimi una Felleri, perſpecta veſtra utriuſque in me benevolentia, dedicarem: qua formula explicabam, qui primus aditus mihi ad amicitiam veſtram patuerit, ut publico voluntatis meæ ſigno provocarem veſtram, ad magis firmandum, quod mecum inieratis, fœdus amoris, & nunquam ceſſaturæ amicitiæ*. Hoc ſcribendi genus eſt in pluribus orationibus, quarum argumenta non ſunt auguſtiſſima; in plurimis hiſtoriis, elegantioribus epiſtolis, ſcriptis aliis: quo circa non eſt, quod auctores recenſeamus, qui hanc ſcribendi formam ſunt ſecuti. Oppoſitum genus eſt *incertum, fluctuans*, & *diſſolutum*, de quo *Auctor rhetoricorum* ad *Herenn.* d. l. *qui in mediocre genus orationis profecti ſunt, ſi perveni-*

Hanc dicendi formam ex veteribus habent *Cicero* multis epiſtolis, libris philoſophiæ, de *officiis*, *quæſtionibus Tuſculanis*, & *academicis*, de *natura deorum*, item libris rethoricis; *Julius Cæſar de bello Gallico*, & *civili*; *C. Nepos vit. imperatorum*, ut de ſcriptis *Plauti*, *Terentii*, *Phędri*, atque aliorum taceam: quumque hoc genus pertinet ad colloquia, ad epiſtolas familiares, ad diſputationes, dialogos, & alias res tenues, facile ſcripta occurrunt, quæ ſunt hujus caracteris. Oppoſitum dicendi genus eſt *ſiccum*, quando latinitas parum pura, oratio parum perſpicua, ac concinna: heic non opus eſt exemplis, quum quotidie ejuſmodi ſcripta in publicam lucem prodeunt, in quibus nec latinitas, nec perſpicuitas, nec concinnitas ineſt.

§. XI.

Hactenus de diverſis formis *ſublimi*, *mediocri*, & *humili*; nunc pauca de cauſſis horum caracterum addamus: ad eorum diſcrimen multa faciunt, *hominum conditio*, *res*, & ipſe *modus* ſcribendi, ſive diſſerendi. Ad *homines* quod adtinet, coram quibus, in quorum honorem, & ad quos ſcribimus, ac verba facimus; illi genere, dignitate, atque auctoritate haud æquales ſunt· eoque nomine prudentiæ oratoris eſt, ut conditioni illorum adcommodet ſermonem ſuum, ita, ut a magnificis hominibus oratio quoque accipiat majeſtatem. Imperatores, Reges, Principes ſunt ſublimes; excitant nobis ſublimes notiones, ac ſublimia quoque verba, magnificumque dicendi modum requirunt: proinde ſi illis officii cauſſa orationes ſunt conſecrandæ, quæ pa-

Digitized by Google

ſtili diſcrimen aliquid confert: magnificus caracter eſt in panegyricis, & aliis gravioris cauſæ orationibus, interdum in hiſtoriis maximarum rerum, in carmine heroico, & in tragœdiis: mediocris forma eſt in pluribus orationibus, quarum materia non maxime magnifica eſt, in hiſtoriis, & elegantioribus epiſtolis: tenuis caracter eſt in colloquiis, epiſtolis familiaribus, diſputationibus, dialogis. Sic ut exemplum ponamus, de auro diſſeri poteſt ſtilo ſubliniori, in oratione quadam; mediocri, in hiſtoria; tenui, ſeu humili, in diſputatione, dialogo.

§. XII.

Haud ſufficit, caracteres romani ſermonis cognoviſſe; ſed neceſſe eſt, virtutes quoque ſibi reddere cognitas, a quibus illi ornatum ac cultum ſuum habent, & ab impuro, ineleganti atque horrido dicendi genere ſe diſtinguunt. *Quinctilianus inſtit. orat.* I., 5. dicit, *omnē orationem tres habere virtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata ſit*. Primum in eo elaborandum eſt, ut locutio ſit *emendata & latina*: quippe ipſi Romani præferunt nobis exempla, quippe qui, quum vigeret adhuc latinitatis felicitas, nativæ linguæ ſuæ cultum conſervare, & indies magis perpolire laborabant. *Cicero* de *ora. ore* lib. III. cap. 13. *neque vero in illo altero diutius commoremur, ut diſputemus, quibus rebus aſſequi poſſimus, ut ea, quæ dicamus, intelligantur; latine ſcilicet dicendo, verbis uſitatis, &c.*; & alio loco dicit: *ſolum & quaſi fundamentū oratoris eſt locutio emendata & latina: cujus penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut ſcientiæ, ſed quaſi bonæ con-*

ſos : *te hominem non ſolum ſapientem* , *verum etiam* , ut nunc loquuntur , *urbanum* : adde *Quinctilianum* VIII. 3.. *Seneca quæſt. nat.* lib. II. cap. 2. dicit : *expedire me poteram* , ſi philoſphorum lingua uti voluiſſem, *ut dicam unita corpora* . Sed ut ad rem ipſam accedamus , explicare debemus , quo fundamento nitatur puritas dictionis,& ex quo videre poſſimus , num locutio , aut formula quædam loquendi pura ſit , nec ne ? Duo ſunt puritatis ac caſtitatis hujus præſidia : alterum eſt *auctoritas* auctorum illorum , qui caſtæ latinitatis gloria floruerunt ; alterum *analogia* . Ardua omnino res eſt , de emendata & latina dictione diſputare:primum enim Romanorum lingua interiit , & quæ de iſta adhuc ſuperſunt , ſolis veterum monimentis conſervantur:deinde plurimorum ſcripta interciderunt,quorum beneficio forſan multæ voces, multæ dictiones poſſent vindicari ; immo diſcrimen fuit inter linguam doctam & plebejam: quid igitur cuique tribuendum eſt ? ſic quidem lubrica res eſt, ſuaviores in Latio herbas colligere,lleri leſque eradicare ; plane tamen de illa haud deſperandum eſſe cenſeo. Hiſtoria latinæ linguæ nobis erit adjumento , ut cognoſcamus , quod ingeniorum multitudine , & temporum mutatione mutata fuerint ipſa dicendi genera ; quod hac tempeſtate ſteterit latinitas in faſtigio nitoris atque elegantiæ , altero vero tempore iterum ceciderit ſenſim ac ſenſim , donec graviſſima prolapſa ſit ruina : quod cujuſcunque ætatis ſuperſint monimenta , aureæ , argenteæ , æneæ , ferreæ , in quibus diſcrimen & varium latini ſermonis pretium poſſit obſer-

trario ævum æneum ferax fuit ingeniorum, quorum latinitas non penitus contemnenda eſt. Hac itaque ratione caſtitas latini ſermonis ex illorum ſcriptorum monimentis, quæ nobis ſuperſunt, debet explicari: quodſi autem lingua hæc adhuc eſſet viva, & ceterorum fetus, qui perierunt, poſteritati eſſent conſervati, accuratius poſſemus judicare de emendata & latina dictione. Sed quum ex auctoribus, qui in manibus noſtris verſantur, dependet auctoritas, notabimus regulas quasdam, quæ heic obſervari poſſunt:

I) *Auctoritas unius auctoris, vel ipſius Ciceronis non ſufficit: duorum, vel plurium requiritur*; e. g. vox *inſalutatus* frequenti uſui non danda eſt, quia ſola *Virgilii* conſtat auctoritate: ævo latinitatis inclinatæ poſuit eam *Hieronymus vita Paulli eremitæ*:

II) *Auctoritas dubia, quum codices manuſcripti diſcrepant, nullius ponderis eſt*, e.g. vox *internus* eſt minus latina, nec probari poteſt ex *Ovidii heroid. epiſt.* VII. v. 113., quod facit *Borrichius*; namque doctiſſimus *Heinſius* legit ibi pro *internas*, *Herceas*: & quamvis *Cellarius cur. poſt. p.69.* Salluſtium patronum vocis hujus producat, ut antiquum jus & auctoritatem tueatur; temere tamen ad imitationem non trahenda eſt:

III) *Auctoritas unius auctoris ex ſeculo aureo, & alterius ſeculi argentei ſufficit*; e.g. vox *litteratura* eſt probæ notæ, quam poſuit *Cicero Philipp.* II. cap.45. *fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litteratura, cogitatio, diligentia*; & *Quinctilianus* II. 1., *grammaticen* in

lucellæ,& Plinii verba ſunt contemnenda, ſi de re medica, de re ruſtica, deque multis aliis rebus phyſicis ſcribendi occaſio evenit: plures regulas heic proferre, non neceſſe eſt, quoniam uſus & exercitatio ſuperat omnia præcepta, cui multum tempus dandum eſt. Alterum fundamentum, quo nititur caſtitas, eſt *analogia*, ſine qua auctoritas nihil prodeſt, licet illa plus valet; conſule *Chr. Cellarii proleg. ad cur. poſt.* p.9.10. 11. qui ait: *verbi gratia, vox* impræſentiarum *affatim auctoritatis habet in Catone, Fannio, Nepote, Tacito & ceteris: quod vero analogia reclamat, nec ſimilis vox in tota lingua invenitur, non immerito de bonitate ejus eruditi dubitaverunt: contra* extraordinarie *præſidio analogiæ munitum eſt, quod ab adjectivis in E fiunt adverbia, ſicut a doctus*, docte, *nec tamen in civitatem illud recipitur ab iis, qui purioris ſtili vel mediocriter ſtudioſi ſunt.* † Sed caſtitas romanæ linguæ non ſolum ad ipſa voca-

Q bula,

† *Sed dicas, unde cognoſcitur analogia? nonne lingua creſcit, & augetur uſu, & conſuetudine, & vox* impræſentiarum *valuit conſuetudine? quod præſidium analogiæ pre ſe habent* veluti, ſicuti, nedum, prorſus, agedum, fortuito, pariter, affatim, duntaxat, e contra, *& alia? Cave, ne confundas conſuetudinem plebejam cum docta: plane perſuaſus ſum, quod plebs* in præſentia rerum *pravo pronuntiandi more immutaverit in* impræſentiarum, *quod deinde magis, & magis receptum fuit: ſaltem ſcribæ, qui deſcripſerunt codices, ab illo ſe haud abſtinuerunt: huc pertinent verba Ol. Borrichii* diſ-

guunt, intellexerint. De *barbariſmo* dicit *Auctor rhetoricorum ad Herennium* IV., 12.: *elegantia eſt, quæ facit, ut unum quidque pure, & aperte dici videatur; hæc diſtribuitur in latinitatem, & explanationem: latinitas eſt, quæ ſermonem purum conſervat, ab omni vitio remotum: vitia in ſermone, quo minus is latinus ſit, duo poſſunt eſſe, ſolæciſmus, & barbariſmus; barbariſmus eſt, quum verbum aliquod vitioſe effertur: hæc qua ratione vitare poſſimus, in arte grammatica dilucide dicemus.* Apud Stoicos, ut *Diogenes Laërtius* VII. ſegm. 59. habet, ὁ βαρβαρισμὸς ἐκ τῶν κακιῶν λέξις ἐστὶ παρὰ τὸ ἔθος, τῶν εὐδοκιμούντων (ſic mavult *Voſſius*) ἑλλήνων, *barbariſmus ex vitiis dictio eſt præter conſuetudinem probatorum Græcorum*: apud *Suidam* λέξις παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκιμούντων, *vox uſurpata præter conſuetudinem probatorum ſcriptorum*; confer *Quinctilianum inſtit. orat.* I., 9., *Gellium N. A.* XIII. 6., *Gerh. Jo. Voſſium* de *vitiis ſermonis* lib. I. cap. I. p. 3., *Jo. Lud. Praſchium* de *barbariſmis* p. 26., *Chr. Cellarium curis poſter.* proleg. p. 6., doctiſſimam præfationem *Du Freſne gloſſ. latinit.* n. V. p. 5., *Aeg. Menagium not. ad Laërtium* c. l. p. 289. Prout autem veteres *barbariſmum* diſtinguebant a ſolæciſmo; ita diſcrimen inter *barbariſmum*, & *barbaram dictionem* fecerunt: *barbariſmus* † eſt apud illos contra romani ſermonis legem aut

 ſcripta

† Barbari *a Græcis initio vocati ſunt, qui craſſo, & difficiliori more loquerentur; quod oris vitium quum alienigenarum extraneorum proprium videretur, factum eſt, ut illud nomen ad omnes transfereretur, qui Græci non eſſent*: ca-

deantur *Quinctilianus* lib. 1. c.9., & *Terentius Scaurus* de *orthogr. Suetonius* de *Auguſto* cap. LXXXVIII. hæc litteris conſignavit: *orthographiam, id eſt formulam rationemque ſcribendi a grammaticis inſtitutam non adeo cuſtodiit; ac videtur eorum ſequi potius opinionem, qui perinde ſcribendum, ac loquendum exiſtiment: nam quod ſæpe non litteras modo, ſed ſyllabas aut permutat, aut præterit, communis hominum error eſt: nec ego id notarem, niſi mihi mirum videretur, tradidiſſe aliquos, legato eum conſulari ſucceſſorem dediſſe, ut rudi & indocto, cujus manu* ixi *pro* ipſi *ſcriptum animadverterit: quoties autem per notam ſcribit*, b *pro* a, c *pro* b, *ac deinceps eadem ratione ſequentes litteras ponit; pro* z *autem, duplex* a a. Datur quoque barbariſmus in *proſodia*, quum metri ratio poſthabetur, quod poſterioribus, inprimis chriſtianis poëtis non inſolens fuit, prout ſupra jam monui. † Quod ad barbaras voces adtinet, illæ magis, proh dolor! notæ ſunt, quam romanæ, at-

 que

† *Errores magnorum virorum in metro, utriuſque Scaligeri, Bon. Vulcanii, Taubmanni, Jo: Aurati, Fulv. Urſini, Jo: Meurſii, H. Grotii, Paſchalii, notat Caſp. Bartius* adverſ. *lib.* XVI. *c.*3.; *qui etiam lib.* XXVI. *cap.*25. *quinarium iambum pro ſenario I. Cæſaris Scaligeri obſervat, atque aliorum, Politiani, Opſopæi errata profert. Scaligeri verſum ſeptem pedum ſubnotavit Vavaſſor de* epigr. *p.*193. *Ol. Borrichius dicta diſſert. p.*158. *ait*; qua excuſatione ſe purgat Naſo, quod Tuticani nomen, propter contumaciam ſyllabarum, nequeat illigare metris; o con-

§. XIV.

Solaciſmus dici a quibusdam proditur a *Solis*, civitate Ciliciæ, quæ poſt *Pompejopolis* fuit adpellata, quaſi græci coloni barbarorum commercio vitiaverint patrium ſermonem: verum id non firmiter probatur. Strabo lib. XIV. p. 456. dubitanter: ἀπὸ τοῦ Καρίζειν καὶ τὸ βαρβαρίζειν μετηνέγκαμεν εἰς τὰς περὶ ἑλληνισμοῦ τέχνας, καὶ τὸ σολοικίζειν, εἴτ᾽ ἀπὸ Σόλων, εἴτ᾽ ἄλλως τοῦ ὀνόματος τούτου πεπλασμένου, *a cariſſando etiam barbariſſare ad artes ſermonis græci deductum eſt, & ſolaciſſare, ſive ab urbe Solis hæc vox, ſive aliunde hoc nomen effictum eſt. Euſtathius ad Dionyſii* v. 875. φασὶ δὲ καὶ τὸν σολοικισμὸν ἐντεῦθεν λαβεῖν τὴν ἀρχήν, ὡς ἀνδρῶν ποτε Ἀττικῶν οἰκησάντων ἐκεῖ, καὶ τὴν εὐγενῆ παρακοπέντων Ἀττικὴν γλῶτταν, καὶ ἐξαγροικισθέντων ἴσως.

virtualitates, equeitates, eſſeitates, femineitates, petreitates: *vide Zuvingeri* orat. de barbarie ſuperiorum ſeculorum *pag.* 127. princip. græce docti *Goetzii*: *quid habet Paracelſus? elegantiſſima, nitidiſſima en!* lorchatronaſſa, eveſtrum, cheiriona, ſalamindrini, leſſas, ſtannar, dudales, neufareni, adech, aniado, nymphidicas, terrelatos, aquaſtrum, iliaſter, magoireo, leſſantea, traſſidellea, iliaſtrum, cagaſtricum, pagoicum, duelech, ehibur, gilla, roſtach: *quid proferunt noſtri homines? voces ſæpe ſine neceſſitate barbaras adhibent: en! lege & audi*: vaſa chyliſicantia, vena proportionata, ſerum caceſſens, latex gelatinoſus, canaliculi appropriati, plus carneſſitatis: *idem fit in aliis litterarum diſciplinis; ſed manum de tabula, ſunt barbara.*

Digitized by Google

lib. I. *epiſt*. 33., *Paullum Manutium* ad libr. V. *ad div. epiſt*. 21. lib. VI. *epiſt*. 5., *Franciſcum Vavaſſorem de epigrammat*. cap. XXII., *Jo: Petr. Titium manud. ad excerp*. p. I. §. 32. p. 157., *Aug. Buchnerum* lib. II. *epiſt*. 119. p. 337., *Philipp. Caroli diſſert. de criticis* p. 28., quæ *obſervat. in A. Gellium & Curtium* præmiſſa eſt: hic accuſat Ciceronem ſolœciſmi ob hæc verba I., 9. 30. *epiſt. ad diverſos*: *quo in diſcrimine quum mirifica ſenatus, incredibilis Italiæ totius, & ſingularis bonorum omnium conſenſus in me tuendo extitiſſet*: ſed codex Grævianus legit *mirificus*: adhæc vide *Thomam Crenium* tom. I. *ſcriptorum method* p. 388., *& animadv. hiſtor. & philol*. p. I. p. 73., *Daniel. Georg. Morhofium* de *Patavinitate Liviana* cap. VI., *G. N. Kriegkium* ad *Praſchium* de *latinismis & barbariſmis* p. 125., *Chr. Auguſt. Heumannum* in *parerg. critic*. p. 51. 52. Noſtri muneris non eſt, exempla heic collecta proferre; ſufficiat monuiſſe, conſiderate de ſolœciſmis auctorum eſſe judicandum, num iſti ipſis auctoribus, aut ſcribarum atque operarum incuriæ ſint adtribuendi. Caſpar Scioppius diligens fuit in hujusmodi ſtercoribus colligendis, in quibus ſingulari animi voluptate ſemper verſabatur: hic laceſſivit Scaligeros, Lipſium, Thuanum, Poſſevinum, Voſſium, Stradam, Caſaubonum, quem dicit *alpha cathedrariorum*, Mornæum, quem *dignum ob ſolœciſmos naticidio* habet; immo Phædrum, Ciceronem: vide celeb. *Jo: Burch. Menckenii declamat*. de *charlataneria erudit*. p. 42.: ſed hominis eſt, humani aliquid pati, etiam per errorem, qui a veritate normæ grammaticæ ac latinitatis diſcedit; uti

mæ, uſque ad Terentii ætatem. Datur archaiſmus in *orthographia*, quum exempli cauſſa in roſtrata Duilii columna † legitur *Exfocient*, hoc eſt *effugiunt*: in *etymologia*, quod ad genus & flexionem pertinet: in *ſyntaxi* non ſolum in ſimplicibus vocibus, ſed & illarum junctura; e.g. quum flectunt *cibus*, *lectus*, declinatione quarta; quum efferunt caſum gignendi primæ declinationis per as, *familias*, *eſcas*, *monetas*, *latonas*, *curas*, *triſtitias*; quum habent I pro *is*, *Diocli* pro *Dioclis*, *Ariſtoteli* pro *Ariſtotelis*, *Ulyſſi* pro *Ulyſſis*; *Themiſtocles Neocli filius* apud Nepotem: confer *Jo: Georg. Græviuм* ad cap. IX. libri de *mortib. perſecut.* p. 83. edit. *Bauldri*: in pronominibus exempla non parciora ſunt, ut *ipſus* pro *ipſe*; *ips*, *quips* pro *is*, *quis*; *ollus* pro *illus*; *em*, *im* pro *eum*; *bibus* pro *bis*; *ibus* pro *iis*, & c.: in verbis, quod ad temporum flexionem pertinet, occurrunt quoque exempla, *accedi*, *decedi*, *diſcedi*, pro *acceſſi*, *deceſſi*, *diſceſſi*, a *calleſco calleſci*; a *dormio*, *dormibo*; *expedio*, *expedibo*: *face* pro *fac* apud *Terentium* variis locis, etiam *Nepotem Pauſ.* c. III., extant quoque exempla in digeſtis Juſtiniani: vide *Dan. Georg. Morhofii* ſingularem epiſtolam, quæ extat p. 606. *diſſertat.*: nec recte nonnulli particulam *in* modo caſui dandi, modo accuſandi adjunxerunt.

Cur-

† *Vide Ciceron. de* ſenectut. c. XIII., *Flor.* II., 2., *Valer. Maxim.* III., 6., *Plin.* XXXIV. 5., *Spanhemium diſſert.* V. *de* præſtant. & uſu numiſm., *Humfred. Prideaux* præfat. marm. Oxon.

Verſibus infercis, gaudesque obſcurus haberi,
Et velut inducta ſingula nube tegis.
Erraſti hoc tantum, quod mittens carmina, Paulle,
Debueras una mittere grammaticum. †

Cajus Cæſar in libris de *analogia* ad Ciceronem miſſis monuit, *tanquam ſcopulum, ſic inauditum atque inſolens verbum fugiendum. Quinctilianus* lib. 1. cap. 10. *abolita*, inquit, *atque abrogata retinere, inſolentiæ cujuſdam eſt, & frivolæ in parvis jactantiæ.*

§. XVI.

Porro latinitas ac romanæ linguæ caſtitas violatur per *peregrinitatem*, ſive vocabula peregrina, modumque loquendi aliarum nationum proprium: vitium hoc jam veteres notarunt, idque nomine *peregrinitatis* inſigniverunt, quum voces formulaſque, quæ in provinciis receptæ erant, adhiberent; ſic Pollio Aſinius in Livii hiſtoriis notavit Patavinitatem, id quod *Dan. Georgio Morhofio* occaſionem dedit, doctiſſimum librum de *Patavinitate Liviana* conſcribendi, in quo cap. IX. ſeq. erudite ac ſolide de peregrinitate diſſeruit. Afri propria dicendi ratione latinum ſermonem omnino corruperunt: conſtat id enim

R de

† *Dicto Suetonii loco dicuntur hujuſmodi latinitatis cultores* antiquarii. *Juven.* VI., 454.
Ignotoſque mihi tenet antiquaria verſus:
Auctor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ XXI., 8.: ſordes verborum & hians compoſitio, & inconditi ſenſus redolent antiquitatem; nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Cœlium ex ea parte laudet, qua antiquus eſt: *adde Gell.* X., 7.

de Tertulliano, Cypriano, Arnobio, aliiſque. *Chr. Daumius* lib. de *cauſſ. amiſſ. radic.* cap. XXVII. verba profert *oculare*, *galeare*, *titubatus*, *vacuare*, *acerbare*, *aëra* plur. neutr., *clienta* pro cliens, *cupienter* pro cupide, *curatura* pro cura, *repens* pro repente, *cunctare*, *orditum* ab ordior, *funerare*, *forare*, *incerare*, quæ clariſſimi viri in Tertulliano, Apulejo, ceteriſque Afris reprehendunt. Alii in latinæ linguæ ſcriptoribus ſubnotarunt gallicifmum, cujus ipſe Cicero reus habitus fuit. *Juvenal.* lib. III. *ſatir.* 7. namque *Caſp. Barthius* hæc de Gallis lib. XXXIII. cap. 17. *adverſ.* profert: *ævo a legitimo latinitatis flore jam lapſo flumen ingenuæ & a natura velut manantis eloquentiæ ſpernebatur, & in ejus locum ſuccedebat ſtudium immane conciſe & argute loquendi, quo omnis eruditio & eloquentia abſolvi videbatur: id quod in Gallicanorum, aut ab iis oriundorum epiſcoporum, ingeniis ab alta majorum ætate hæſit.* Huc quoque pertinent *græciſmi*, qui etiam in monimentis veteris Latii ſcriptorum fuſi ſunt: vetus Romanorum lingua multa debet Græcorum linguæ, ac produnt quidam, *Æneam* fatis ductum veniſſe in Italiam; *Dionyſius* vero p. 49. perſuadere conatur τὸ τῶν τρώων ἔθνος ἑλληνικὸν ἐν τοῖς μάλιςα εἶναι, *Trojanorum gentem maxima parte græcanicam fuiſſe*, de quo argumento capite ſuperiori dicta ſunt quædam. Adhæc romanis prima cura litterarum græcarum fuit, qui fecerunt auſpicium ab Homero, cujus præceptis atque exemplis puerile pectus ad virtutem præparetur: legebant græcorum ſcripta, in iiſque omni meditatione verſabantur, ita ut ex illis

quæ-

quædam tranſferrent in linguam Romanam, quædam imitarentur; quo factum eſt ut non pauca de Græcorum dicendi more receperint in linguam veteris Latii: græciſmus vero eſt modus dicendi, quo græcos eorumque loquendi figuram imitati ſunt; exempla heic colligere, non neceſſe eſt, habebis iſta copioſe apud *Dan. Vechnerum hellenolex.* integro libro Lipſ. MDCLXXX., *Gerh. Jo: Voſſium inſt. orat.* lib. IV., *Jo: Vorſtium* de *latinitate merito ſuſpect.* c. XXI., *Aug. Buchnerum* de *commutata ratione dic.* c. XX., *Caſp. Scioppium grammatic. philoſoph.* p. 188., *Jac. Maſenium palæſtra ſtili* lib. III. p. 303., *Franc. Sanctium* in *Minerva* p. 546., *Chr. Cellarium cur. poſt.* cap. 9., adde *Dan. Georg. Morhofium* de *Patavinitate Liviana* cap. VI. Sed quum nullus fere veterum auctorum eſt, quin adhibuerit græciſmos, id quod etiam de optimis ſcriptoribus conſtat, hos interdum in græco loquendi modo imitari poſſumus; quo circa uſum græciſmorum alium eſſe rectum, alium vero vitioſum eſſe cenſemus: ille in eo conſiſtit, ſi ejuſmodi græciſmos adhibeamus, qui haud nimis ab analogia latinæ linguæ diſcedunt, atque auctoritatem ſatis probatam præ ſe habent, etiam modum, uti decet, teneamus: Ex hoc facile patet, in quo contineatur uſus vitioſus: oritur vitium, ubi uſurpantur ejuſmodi græciſmi, qui minus ſunt elegantes & ab analogia latinæ linguæ multum ſunt remoti, cujuſmodi ſunt, ſi infinitivi ponantur pro conjunctivis, gerundiis, participiis; item ſi conſtructiones græcæ latinis, quæ elegantiores ſunt, ſubſtituantur: ad quod vitium etiam pertinet, ſi quis nimio hoſce græciſmos ſtu-

 dio

dio ſectatur, quod ex antiquioribus fecerunt *Salluſtius*, & *Tertullianus*, ex recentioribus *Juſtus Lipſius*, quorum ſtilum, quum magis ad Græcorum, quam Romanorum loquendi conſuetudinem interdum compoſitus eſt, nemo temere imitabitur: verum quum græciſmi in veterum auctorum monimentis frequentes occurrant, neceſſe eſt, ut qui iſta velit accurate intelligere, linguæ græcæ ſubſidia adferat: ad quem dicendi morem, quem ſecuti ſunt Romani auctores, quum interpretes illorum non ſemper animum adverterint, factum eſt, ut ſine ratione loca corrupta eſſe ſibi perſuaſerint iſtaque voluerint emendare: rei hujus proferamus exemplum, nempe *Tacitus hiſtor.* lib. v. *princip.* habet: *Titus ut ſuperior ſui jam crederetur, decorum ſe promtumque in armis oſtendebat*: in his verbis latet græciſmus, quum *ſuperior ſui* per caſum gignendi ponitur pro *ſuperior ſe*, quod latine, illud vero græce dictum eſt; conſtructionis hujus ad uſum Græcorum compoſitæ immemor *Lipſius* ſine cauſſa ſuſcepit emendationem, atque legit *ut ſuper fortunam crederetur*. Adhæc ſi ad patriæ noſtræ rationem velimus reſpicere, ad hujuſmodi vitium peregrinitatis referre poſſumus *germaniſmos*, id eſt conſtructiones & phraſes ad linguæ germanicæ analogiam compoſitas, quarum exempla habemus in elegantiſſimo libro *Jo: Vorſtii* de *latinitate merito ſuſpecta*. Id tamen adhuc monendum, quod omnes peregrinas voces ex lingua hac ejicere haud poſſimus; interdum enim neceſſitate coacti iſtas recipere atque uſurpare debemus, quum in latina lingua nullæ extant, quæ cum eadem

vi,

vi, ſignificatione, atque elegantia ſunt conjunctæ: neceſſe tamen eſt, ut heic agamus circumſpecte, nec promiſcue omnes admittamus peregrinas voces, inprimis quando habemus latinas, quibus idem dicere poſſumus: conſiderandum quoque eſt, ubi & de quo argumento, quove dicendi genere loqui debeamus, ſi in uſurpandis peregrinis vocibus nos prudenter gerere velimus. Cicero interdum græcis diſtinxit latina, ſed in illis tantum libris, in quibus philoſophiam docuit, aut ad viros litterarum peritiſſimos ſcripſit; at quando egit in ſenatu, vel in foro cum multis, ſtudioſe ab omnibus peregrinis vocibus ſe abſtinuit, ut ex ipſius orationibus patet. Vitium hoc peregrinitatis dicitur quoque *idiotiſmus*: ſunt, qui eum ad orationis virtutes referunt; hinc *Seneca controv.* lib. VII. *idiotiſmus eſt inter oratorias virtutes, quæ raro procedit; magno enim temperamento opus eſt & occaſione quadam:* ſed hujus vocis origo ſapit vitium quoddam, ac ſignificat proprium ſive ſit unius, ſive ſit plurium, ac peculiarem loquendi conſuetudinem, quæ a ratione linguæ communi conſenſu atque auctoritate confirmata diſcedit; vide *Chr. Cellarium cur. poſt.* proleg. p. 7. & cap. V. p. 172.: hujuſmodi idiotiſmos in Salluſtio jam veteres notarunt.

§. XVII.

Denique ad latinitatis vitia referri debet *neoteriſmus*, qui eſt ea dicendi forma, qua non ſolum nova vocabula ac phraſes ſine neceſſitate uſurpantur; verum etiam vocibus, quæ in ſe probatæ ſunt, novæ ſignificationes adtribuuntur. Et vetuſtiori, & recentiori ætate

Digitized by Google

contigit, ut multa vocabula in latinitatem ſint invecta, etiam ſignificationes ſæpe mutatæ: qua in cauſſa quid a ſtili elegantioris ac purioris ſtudioſis ſit obſervandum, explicari debet diſtincte: nova enim vocabula non penitus ſunt proſcribenda, quoniam neceſſitas rerum novarum, de quibus dicimus, interdum nos cogit iſta adhibere: etiam ſcribendi ratio iſta jure quodam ſibi vindicat; quocirca ſi quis theologus in eo ſcribendi genere verſatur, ut religionis chriſtianæ capita, aut aliud argumentum ſacrum explicet ſimpliciter ac doceat, merito utitur vocibus eccleſiaſticis *baptiſmus*, *bona opera*, *pœnitentia*, aliaque, ut illis, quæ proponit, conſervet perſpicuitatem; aliter res ſe haberet, ſi oratorio munere fungeretur, in quo ſcribendi ac dicendi modo major opera danda eſt latinitati: idem dicendum eſt de jureconſultis, medicis, ac philoſophis, eorumque vocabulis technicis: ſed ubi nulla nova vocabula uſurpandi neceſſitas adeſt, iſta quoque elegantiori ſtilo æque ac commode reddi poſſunt, merito cultorem latinæ linguæ ſe ab illis abſtinere decet: de hoc argumento plura dicemus, ubi infra de jure augendi latinam linguam diſputandi erit occaſio. Alia impuri ſermonis genera poſſent commemorari, cujuſmodi eſt κοινισμὸς quem *Quinctilianus* lib. IIX. cap. 3. ita deſcribit: *κοινισμὸς adpellatur quædam miſta ex varia ratione linguarum oratio, ut ſi Atticis Dorica, Jonica, Æolica etiam dicta confundas: cui ſimile vitium eſt apud nos, ſi quis ſublimia humilibus, vetera novis, poëtica vulgaribus miſceat*: ſed non eſt, quod omnia hæc genera

accu-

accurate explicemus, inprimis quum facultatem latine ac bene ſcribendi non tam multis præceptionibus, quam exercitatione adſidua, quæ lectione atque imitatione abſolvitur, nobis debeamus comparare: quocirca illos tantum commendamus, qui ſingulari induſtria argumentum de puritate latinæ linguæ ſunt perſecuti, *Olaum Borrichium*, in cujus *diſſertation. academicis*, quas *Severinus Lintrupius* edidit, tom. II. p. 145. extat elegantiſſima commentatio de *ſtudio latinitatis puræ*, & *Daniel. Georg. Morhofium*, cujus librum de *pura dictione* publici juris fecit celeberrimus Jo: *Laurent. Moshemius* MDCCXXV., hicque ſine dubio eſt liber, quem promiſerat de *Patavinitate Liviana* p. 528.

§. XVIII.

Hactenus de prima ſtili virtute, ſive puritate: ſecunda eſt *perſpicuitas*, quæ facit, ut orationes noſtræ finem ſuum obtineant, id eſt intelligantur & mentis noſtræ cogitationes aliis clare pateant: hinc *Ariſtoteles* lib. III. *rhet.* c. 2. λέξεως ἀρετὴ, σαφῆ εἶναι, σημεῖον γάρ, ὅτι ὁ λόγος ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον, *dictionis virtus ſtatuitur, ut aperta & dilucida ſit, cujus rei ſignum eſt, quod niſi oratio rem declaret, finem ſuum non adſequetur*: & *Quinctilianus* lib. II. c. 3. *nam & prima eſt eloquentiæ virtus perſpicuitas, & quo quiſque ingenio minus valet, hoc ſe magis attollere & dilatare conatur*: adde *Jo: Sturmium* III. 7. de *elocutione*, *Melchior. Junium* in *præceptis artis dicendi* cap. 8. *Joach. Paſtoris epiſtolam de eloquentiæ ſtudio* apud *Th. Crenium* in *coll. ſcriptor. de philol. ſtudiis liberalis doctrinæ* p. 258., & *Jo:*

Henr.

Henr. *Ackerum* in *methodo ſcribendarum epiſtol.* p. 12. 13. Obſcuritas orationis oritur partim a ſtilo, partim a ſententiis mentiſque cogitationibus: cauſſa, quæ eſt ab ipſo ſtilo, ad tria capita referri poteſt: (1) ad ipſa *vocabula* ac phraſes, ſi iſta ſunt obſoleta, peregrina, noviter inventa, quo & pertinent locutiones nimis translatæ, aut quibus ad fabulas atque hiſtorias obſcuriores ac ſecretiores alluditur: exempla habemus in Plauto, aliiſque comicis, item in Juvenali, Perſio, Statio, aliiſque hujus generis carminum auctoribus, cujuſmodi collegit *Gerh. Jo. Voſſius inſtit. orat.* lib. IV. cap. 7. (2) ad *conſtructiones*, ubi ordo verborum nimis eſt perturbatus, id quod fit, quando inciſa nimis cumulantur: elegantiam, ac ſuavitatem per ſuperſtitioſum, ac nimium ſtudium ſectamur, quo omnino interdum cogimur, perturbatas conſtructiones adhibere, atque ea, quæ juxta ſe ponenda ſunt divellere: iterum habemus exempla in poëtis, qui vel eo nomine ſcriptoribus ſolutæ orationis ſunt obſcuriores, quoniam per metrum interdum naturalem conſtructionis rationem negligunt, quod & illorum oratorum exempla comprobant, qui a veræ ſolidæque eloquentiæ laudibus alieni, unice id meditantur, quomodo quamvis periodum exornare, ac ſingulas voces ita collocare velint, ut eadem menſura maneat, idemque ſonus oriatur. (3) ad *formam ſtili*: ſunt ſtili genera, quæ niſi circumſpecte adhibeamus, facile occaſionem obſcuritatis poſſunt ſuppeditare; id quod præcipue fit cum in ſtilo conciſo, tum circumducto, quum facile intelligi poteſt, quod quo longiores, aut breviores ſunt periodi, eo obſcu-

ſcuriores eſſe ſoleant: eadem eſt ratio ſtili ſublimis, cujus virtutes niſi accurate obſerventur, facilis via eſt ad genus frigidum, quod abundat ineptis hyperbolis, acuminibus parum argutis, abſurdis epithetis, dure translatis locutionibus, ſuperſtitioſo & adfectato numero, ex qua dicendi forma omnino oritur obſcuritas. Docet id nos ipſa experientia; quod ſi enim ejuſmodi oratores audimus, aut orationes illorum legimus, qui vera diſſerendi facultate valent, ea, quæ ſignificare voluerunt, facili negotio capere, atque intelligere poſſumus; illorùm autem, in quibus nulla ſolidæ eloquentiæ vis ineſt, ſermones maxime ſunt obſcuri: ſumma virtus veræ eloquentiæ eſt perſpicuitas, quam recti artis hujus cultores merito diligenterque ſectantur. Sed obſcuritatis cauſſa non ſolum ab ipſo ſtilo petenda eſt, verum etiam ab indole cogitationum, ac ſententiarum, quæ proferuntur: hoc iterum varia ratione ſolet contingere; modo enim diſſerimus de ejuſmodi argumentis, quæ in ſe ſunt obſcura, nec ratione noſtra capi, nec verbis clare exprimi poſſunt, cujus obſcuritatis nemini culpa quædam adtribui poteſt: modo res, de quibus dicendum eſt, in ſe ſunt claræ; ſed qui de illis verba fecit, nec claras, nec diſtinctas notiones illarum ſibi formavit, id quod iterum cauſſa obſcuritatis fieri poteſt: modo ſcriptores adferunt obſcuriores ſententias, hiſtorias, fabulas: legendi ſunt viri celeberrimi *Jo. Franc. Buddeus philoſ. inſtrumental.* part. II. cap. 2., & *Jo. Clericus* in *arte critic.* tom. I. part. 2. ſect. I. cap. 8. 9., & ſect. 2. cap. 7.

§. XIX.

§. XIX.

Tertia virtus latini ſtili *ſuavitas* eſt: de hac eleganter diſſerit *Jacob. Facciolatus* orat. *quod latina lingua non ex grammatic. libris ſit comparanda*, p.10.: *tametſi latinæ linguæ laudem (ut ante dixi) neque totam, neque precipuam in ſolęciſmis vitandis collocari puto, quod eſt emendate loqui; ſed in curſu quodam, & molli concluſione verborum, ut nihil claudicet, nihil diffluat, nihil fluctuet; ſed tota permiſta, & temperata numeris æquabiliter, conſtanterque feratur oratio, quod unum eſt, ſi recte ſentio, latine loqui.* Græce hæc ſuavitas dicitur χαριεντισμὸς, quam vocem *Phavorinus* p. 1858. explicat per λόγον εὐτράπελον. ἐν ᾧ διακεῖται ὅτε λέγων καὶ ὁ ἀκούων, *orationem venuſtam, ſuavem, qua delectatur dicens, & audiens*; & *Caſpar Scioppius de ſtili hiſtorici virtutibus, & vitiis* p. 5. *ſuavitas efficitur cavendo vitia quædam, quæ pronuntiatu, & auditu moleſta ſunt, ut ſunt aſperitas, ſive aſper conſonantium concurſus; hiatus, ſive concurſus vocalium in fine præcedentium, & initio ſequentium vocabulorum; repetitio ſyllabarum; continuatio verborum, & nominum, tam longorum, & brevium; continuatio ſimiliter cadentium, ſimiliterque deſinentium, ſive continuus uſus repetitionis ejusdem ſoni in fine ſententiarum. Dionyſius Halicarnaſſ.* περὶ ὀνομάτων συνθέσεως, ubi generatim, omiſſis aliis, cap.XII. edit. Oxon. p.19. ita ſcribit: λείπεται, τῇ μίξει καὶ κράσει καὶ παραθέσει συγκρύψαι τὴν παρακολουθοῦσαν αὐτῶν τισιν ἀτοπίαν, τραχέσι λεῖα μισγόντα, καὶ σκληροῖς μαλακὰ, καὶ κακοφώνοις εὔφωνα, καὶ δυσεκφόροις εὐπρόφορα, καὶ βραχέσι μακρὰ, καὶ τἄλλα τὸν αὐτὸν τρόπον

εὐκαίρως

εὐκαίρως συντιθέντα, καὶ μήτε ὀλιγοσύλλαβα πολλὰ ἑξῆς λαμβάνοντα μήτε πολυσύλλαβα πλείω τῶν ἱκανῶν, μηδὲ δὴ ὁμοιότονα παρ᾽ ὁμοιοτόνοις, μηδὲ ὁμοιόχρονα παρ᾽ ὁμοιοχρόνοις κ. τ. λ. σχήμασί τε μὴ τοῖς αὐτοῖς διαμένειν καὶ τρόπους μὴ τοὺς αὐτοὺς ἐπιφέρειν, ἀλλὰ ποικίλλειν. Μηδὲ δὴ ἄρχεσθαι πολλάκις ἀπὸ τῶν αὐτῶν, μηδὲ λήγειν εἰς τὰ αὐτά, *ſupereſt, ut miſtura, & temperata poſitione, ac ſitu aſperitatem, earum nonnullis, quæ videtur ineſſe, occultemus, levia miſcentes aſperis, duris mollia, ſonora maleſonantibus, prolatu faciliora difficilioribus, longa brevibus, ceteraque omnia pari ratione concinne componentes; ut neque paucarum ſyllabarum dictiones multas ordine adſumamus, neque plures ex polyſyllabis, quam neceſſe ſit, aut quæ ſunt ejuſdem accentus, aut temporum ſimilium; nec iiſdem loquendi formulis immorandum; nec iiſdem continuo, ſed variis figuris utendum eſt; neque principia ſunt ab iiſdem ſæpius ſumenda, nec in ſimilia definendum*: adde *Quintilianum* IX. 4. Quam ſuavitatem ut obſervemus, vocalium concurſus, vel repetitio continua in uno commate, vel membro eſt evitanda, e.g. *omnia ea vitia avaritia habet*, quod permutatione vocum poteſt corrigi: conſonantium ſtridor, præſertim qui ineſt litteris R. S. X. removeri debet: cavendum eſt, ne plures ſyllabæ breves, vel longæ continuentur, v. g. *omnes noſtros ſenſus conturbarunt*; ne ultima vocis præcedentis littera, tam vocalis, quam conſona, vel ſyllaba fiat ſubſequentis initium e. g. *via ardua, nec gratus uſquam, fortunata nata, Juvenal ſatir.* X., 122.: monoſyllaba plura male continuantur; miſcenda

ita

itaque ſunt brevibus longa, & plurium ſyllabarum, longioribus vero ea, quæ paucas habent ſyllabas: confer *Joach. Lancii inſtitutiones ſtili latini* p. 21. 22.; ex quibus facile adparet, quod hac ſuavitate plures regulæ, quas vocant *elegantiarum*, innitantur, quandoquidem voces ponendæ, transferendæ, permutandæ ſunt, ut ſermo auribus exiſtat ſuavis. Ad hanc ſuavitatem etiam *numerus* pertinet, quem adpellant *oratorium*, de quo multi cum vetuſtiori, tum recentiori ætate diſſeruerunt: vide *Ariſtotelem* lib. III. c. 8., *Ciceronem* lib. III. de *orat*. c. 44., *Dionyſium Halic*. περὶ συνθ. ὀνομ. cap. 17. & 18. *Hermogenem* περὶ ἰδεῶν tom. 1., veteres grammaticos *Rufinum*, *Terentianum*, *Varronem*, *Probum*, *Chariſium* apud *Pithoei antiq. rethor*. p. 318., e recentioribus *Jovit. Rapicium* de *numero oratorio*, & alios, quorum mentionem habui *diatr. crit. de latinitate poëtic*. p. 13. Hic numerus ſpecies eſt ſuavitatis hujus, & quum in orationibus verſatur, dicitur *oratorius*; hinc dici poteſt, dari etiam numerum in hiſtoriarum, atque epiſtolarum argumentis, qui adpellandus ſit *numerus ſimplex*. Quidquid dicant de variis pedibus, quibus hæc ars oſtenditur, & quæcumque tradant præcepta; id tamen clarum eſt, quod certis regulis numerus hic terminari non poſſit, & princeps momentum illius aurium nitatur judicio: quo nomine primum ſtudioſe perlegas veterum monimenta clariore voce, ita, ut animum tuum ad vocum juncturam, & quo modo locatæ ſint, advertas; deinde ipſe ordinem vocum, quem auctor tuus obſervavit, immutes, ut videas, quam ſoni ſuavitatem aures tuæ per-

percipiant: confer *Philippi Caroli obſerv. in Gellium* p. 378. 499.

§. XX.

Præter has ſtili virtutes, puritatem, perſpicuitatem, & ſuavitatem, de quibus adhuc diſſeruimus, requirunt nonnulli *dignitatem*; ſed non eſt, ut de illa agamus ſigillatim: quamvis enim illa ſtilus omnino ſe commendare debeat; minus tamen eſt propria virtus ſtili. Poſtulat hæc dignitas, ut ſtilum ad regulas prudentiæ, ac ſpeciatim decori componamus, id quod non ſolum in artificioſo, verum etiam in omni ſermone, immo in ipſis actionibus obſervari debet; quocirca ea, quæ philoſophi præcipiunt de decoro, heic ſunt adplicanda: ut devitemus vocabula obſcœna, poſtulat non ipſius ſtili indoles; ſed lex, quam ipſa natura nos docuit, ne aliorum puras, ac caſtas mentes lædamus: ne quidquam admittamus, quod noſtram auctoritatem in diſcrimen coniicere poteſt, aliiſque futurum eſt invidioſum, requirit prudentia: immo hæc magis ſpectant ad res, de quibus dicimus, quam ad ipſa verba, ac ſermonem eiuſque formam, qua præcipue ſtilus abſolvitur. Id addimus: ſupra quædam de latinitate *pura*, & *impura* protulimus; ſupereſt adhuc aliud illius genus, quod *translatum* eſt, & *proprium*: latinitas caſta, & impura reſpicit ad uſum vocum earundemque auctoritatem, num illæ exemplis auctorum, qui probæ notæ ſunt & ingenio ſuo ſermoni adtulerunt lumen, poſſint confirmari, nec ne? ſed latinitas propria, & metaphorica verſatur in ſignificationibus vocum, num iſtæ nativæ ſint, an trans-

Digitized by Google

latæ? *Cicero* lib. III. de *orat.* cap. 38. *veſtis frigoris depellendi cauſſa reperta primo, poſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis; & dignitatem: ſic verbi translatio inſtituta eſt inopiæ cauſſa, frequentata delectationis. Metaphora*, ſeu translatio eſt, quum vox a propria ſignificatione transfertur ad alienam, propter ſimilitudinem; & ſi iſta reperitur frequens, allegoria dicitur, e. g. *Cicero* ad *diverſos* XII. 25. 13. 14. *quamobrem conſcende nobiscum, & quidem ad puppim: una navis eſt jam bonorum omnium, quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus, utinam proſpero curſu; ſed quicumque venti erunt, ars noſtra certe non aberit*: neque tamen licitum eſt metaphoras pro lubitu fingere, ſed optimi cujuſque auctoris auctoritatem ſequi debemus; quamobrem aliæ metaphoræ decoræ ſunt, aliæ duræ, & frigidæ; item aliæ oratorum, aliæ poëtarum: confer *D. G. Morhoſium* de *Patavinit. Liviana* cap. VII., *Jo. Georg. Grævii epiſt.* editas a *Fabricio* p. 74.; *C. S. Schurtzfleiſchii præfat. diſſert. accademic.*, *Jo. Guilielmi Bergeri præfat. diſſertat. accad.* MDCCXVIII., & *diatriben criticam* noſtram de *latinit. poëtica*.

CA-

CAPUT III.

De Præſtantia latinæ linguæ, iſtamque diſcendi ratione.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum in hoc capite ratio exhibetur §. I.

Primum diſſeritur de præſtantia latinæ linguæ, ita ut recenſeantur auctores de hoc argumento §.II.

Controverſiæ de eo commemorantur generatim §.III.

Speciatim quomodo alii linguæ huic parum, alii nimium adtribuant §.IV. V.

Quibus expoſitis, monſtratur, quid in hac ſententiarum diverſitate ſit amplectendum §. VI.

Deinde diſputatur de cultura latinæ linguæ, ac oſtenditur illius neceſſitas §.VII.

Modus, ubi veterum Romanorum exercitia ſtili illuſtrantur §.VIII.IX. X.XI.XII.

Hoc autem antiquitatum capite illuſtrato, ipſa ... linguam diſcendi traditur, præmiſſo indice auctorum de hoc argumento §.XIII.

Quem ipſa ſubſidia ad culturam linguæ hujus neceſſaria expoſita ſubſequuntur §.XIV. XV. XVI.

PErſecuti ſumus hiſtoriam latinæ linguæ, & rationem ſtili, quidve in illo pulcrum eſt, explanavimus: nunc eſt muneris noſtri, demonſtrare viam, qua ſtili elegantiam adſequi, vetus Latium, & illius decora nobiliſſimaque ingenia ſalutare, & ex illorum moni-

mentis proficere queamus. Via hæc juvenibus, & illis, qui ad iter hoc ſuſcipiendum deſtinati ſunt, aperienda eſt ſincere, ne in ipſa ad latinorum regiones profectione multa ſentiant adverſa, a recto viæ tramite aberrent, ſerius juſto ipſum Latium attingant: atqui hoc præcipue præceptorum officium eſt, qui juventuti in bonis litteris inſtituendæ præſunt, ut ejuſmodi aperiant viam, quæ ſuavis eſt, amœna, haud longior, ac ſpectat ad interiora ipſius veteris ejusdemque cultioris Latii; ſed pauci ex illis, qui in ſchola litterarum diſciplinis nutriuntur, has attingunt regiones: verſantur quidem per multos annos in ipſa via; verum quum cultius perluſtrare cogitant Latium, deportati ſunt in inſulas barbarorum, & ex uſu, ac conſuetudine ſuorum id conſecuti, ut quidquid ſcribant, aut dicant, ſapiat barbarum dicendi morem. In cauſſis delitescentis hujus purioris latinitatis ſunt interdum ſcholarum magiſtri, qui alumnis ſuis haud patefaciunt viam, qua Romanas regiones poſſint adire, & quidquid erudita tulerit antiquitas, introſpicere; namque ſi hujuſmodi litterarum doctores ipſi, haud ingreſſi ſunt hanc viam, neceſſe eſt, cum præceptores, tum alumnos a recto aberrare itinere. Ut igitur pateat, qua ratione facultas eleganter latine loquendi, ac ſcribendi, ſolidaque Romanæ linguæ cognitio ſit comparanda, nunc culturæ hujus præcepta breviter tradere animus eſt: ſed ut hæc præcepta in animis diſcentium majorem vim habeant, quædam de præſtantia, ac neceſſitate latinæ linguæ præmittere volumus; quo ſolidior enim eſt cognitio

boni

boni cujuſdam, eo majori cupiditate mens ad amplectendum illud trahitur.

§. II.

Primam igitur ſcriptionis hujus partem ad commendandam latinæ linguæ præſtantiam conferre debemus: antequam ad ipſam rem accedimus, pro nobis præſcripta dicendi ratione auctores argumenti hujus ſunt commemorandi, quorum duo habemus genera; alii enim linguam hanc generatim commendarunt, ex quibus nominamus

Ubertum Folietam, cujus tres libri de *linguæ latinæ uſu, & præſtantia* extant, qui Romæ prodierunt MDCXXIV., iterum editi cura *Jo. Laurentii Moſhemii*, Hamburg. MDCCXXIII. cujus ſtudium, quod in libro hoc non ſolum denuo publicando, in quo operæ typographicæ longo tempore ceſſarunt, ſed etiam illuſtrando, atque ornando collocavit, præclarum omnino eſt:

Janus Vincentius Gravina, qui cultiſſimus, ac jurisprudentiæ elegantioris peritiſſimus auctor, Romæ MDCXCVI. *opuſcula* edidit, in quibus extat elegans dialogus, quo *latinæ linguæ præſtantia* luculenter monſtratur. *Daniel Georgius Morhoſius* in *polyhiſtore* tom. 1. lib. 6. cap 3. §. 5. ita de illis judicat: *alius eſt ab hoc recentiſſimus auctor, longeque diſſertiſſimus Jo. Vincentius Gravina hodieque ſuperſtes; cujus opuſcula nuperrime* MDCXCVI. *in* 12. *Romæ publici juris facta, oſtendunt, quantum vir ille in dicendi ſcribendique facultate profecerit, & quam omnem terſe, eleganter, nitide, ſemet explicandi artem, tum & alios permovendi vim, unus optime calleat:* non ſolum MDCCXIII.

Digitized by Google

Traj. ad Rhen. cum ipſius *orationibus* cura *Jo. Baptiſtæ Ancionii*; verum etiam in nova editione *originum juris civilis*, Lipſiæ MDCCXVII. iterum prodierunt.

Chriſtianus Maſecovius in diſſertatione academica de *linguæ latinæ prærogativa*, Regiom. MDCCII. primum oſtendit ipſam linguæ hujus dignitatem, qua excellat præ aliis linguis; eamque petit ex eo, quod ſit lingua doctorum, & ſapientum, magnatum, eccleſiæ: deinde in cauſſas hujus excellentiæ inquirit, iſtaſque facilitatem, Romanorum florens imperium, ac providentiam divinam eſſe adſerit.

Jacobus Burckard in oratione de *latinæ linguæ a majoribus diligenter excultæ, & adamatæ; hodie ex adverſo neglectæ, & contemtæ cauſſis*, MDCCXIV. Hiſce addi poſſunt, qui argumentum hoc non ex inſtituto, ſed in tranſitu attigerunt, quum modo præcepta ſtili romani tradiderunt, ac de ratione linguam latinam addiſcendi ſunt commentati, ex quibus tantum nominamus *Chr. Henr. Weiſium* de *ſtilo romano* lib. I. cap. 2., & *Jo: Starckium* in *inſtitut. philol. & rethoric. de ſtilo* cap. I.; modo litterarum humaniorum utilitatem, ac præſtantiam generatim commendarunt: nec ſilentio præterire poſſumus elegantem diſſertationem de *linguæ latinæ cultura, & neceſſitate*, quam *Jo. Laurentius Moshemius* præmiſit laudatis libris *Uberti Folietæ* de *linguæ latinæ uſu, & præſtantia*: alii ſpeciatim de diſciplinarum generibus monſtrarunt, quomodo ad culturam illarum rite inſtituendam latinæ linguæ ſtudium ſit neceſſarium: quid illius cauſſa a divinioris doctrinæ ſtudioſo ſit obſervan-

vandum, oſtendit *Jo. Franciſcus Buddeus* in *iſagog. in univerſam theolog.* p.109. *Chr. Falſterus* autem in *cogitationibus variis philologicis* p.16. late docet, philologiæ, & litteris humanioribus prius vacare hominem oportere, quam theologiæ totum ſe tradere: quod ad juris prudentiam adtinet, neceſſitatem latinæ linguæ cultoribus illius commendarunt *Laurentius Andr. Hambergerus commentatione de utilitate ex humanioribus litteris in jurisprudentiæ ſtudia capienda* Ienæ MDCCXIV., doctiſſimus *Joan. Salomon Brunquellius* in *hiſtoria juris romano-germanici* pag.5.: de aliis diſciplinis idem dicendum, & ſatis ab eruditis viris probatum eſt, quod romana lingua haud poſſint carere.

§. III.

Variæ diſputationes fuerunt de præſtantia latinæ linguæ, in quibus difficile fuit, id tenere, quod medium eſt inter nimium & parum: vix enim græcæ, ac romanæ litteræ ex tenebris, in quibus adhuc jacuerant, emergere cœperant, quum in Gallia, atque in Italia viri egregii laudabilem operam ad ſermonem patrium purgandum, atque expoliendum adhiberent; quo factum eſt, ut inter illos, qui veterem Romanorum linguam litteris reddere adnitebantur, atque illos, qui eandem operam patriæ linguæ navabant, contentio de dignitate, ac præſtantia laboris oriretur. In ipſa Italia dimicabant inter ſe, num latina, an hetruſca lingua in libris, qui poſteritati eſſent tradendi, deberet adhiberi? fuerunt, qui utriuſque linguæ ſtudium conjungendum eſſe putabant, *Jo. Caſa*, *Petrus Bembus*,

bus, *Cœlius Calcagninus*, atque alii, quamvis plures eſſent, qui aut pro latina, aut hetruſca lingua tantum pugnabant: Italicam quippe, ac ſpeciatim hetruſcam linguam, quæ poſt fata *Petrarchæ*, *Dantis*, ac *Boccacii* derelicta jacuerat, revocare, atque priſtinæ dignitati reſtituere conati ſunt *Arioſtus*, *Taſſus*, *Benius*, aliique; qui cum in peculiaribus libris, tum in aliis ſcriptis contendebant, Italorum ſermonem lingua romana multo eſſe ſuperiorem, illumque majori cultura, ac diligentia eruditorum hominum dignum: ſed hiſce alii magnis viribus ſe oppoſuerunt, atque latinam linguam hetruſcæ multis modis præferendam eſſe cenſuerunt: præter *Muretum*, & *Manutium* reliquit duos libros *de dignitate*, *& excellentia linguæ latinæ præ hetruſca Romulus Amaſæus*, *& Hubertus Folieta* edidit libros tres de *latinæ linguæ uſu*, *& præſtantia*, quorum ſupra jam habuimus mentionem. Si nos dicere debemus, quid de hac aliiſque hujus generis controverſiis, quæ ad dignitatem linguæ cujusdam præ altera ſpectant, ſentiamus, iſtas nullius fere momenti eſſe merito adfirmamus: quodſi enim ad indolem ipſam linguarum reſpicere velimus, omnes linguæ inter ſe æqualem habent dignitatem, quum ſingulis mentis ſenſa poſſunt exprimi; ubi autem uſum linguarum quarundam conſideraveris, hac propoſita quæſtione: num magis peregrinus quidam, ac ſpeciatim latinus, quam patrius ſermo ſit uſurpandus? ad hanc haud ſimpliciter, neque negando, neque adfirmando, reſponderi poteſt: diſpiciendum enim eſt, quænam in ſcriben-

do

do quis conſtitutum ſibi habeat finem? quodſi enim illis conſulere volumus, qui ſunt homines plebeii, litterarum rudes, aut ſaltim latinæ linguæ non ſatis intelligentes, ac videmus, quod per uſum linguæ vernaculæ aliorum utilitatem magis promovere poſſimus, merito hanc latinæ præferendam eſſe cenſeamus. Proinde ſi hoc accurate, atque æquo animo conſiderare voluiſſet *Petrus Burmannus*, quem magnum decus eſſe elegantioris ejuſque romanæ doctrinæ eſſe conſtat, neutiquam abjecta omni humanitate, quam cuique debemus, genti noſtræ tam vehementer iraſci, atque in hæc verba profeſſore humanitatis litterarum plane indigna, atque in laudem harum diſciplinarum, quæ non ſolum in elegantia cognitionis, verum etiam moris continentur, injurioſa erumpere potuiſſet: *quis non indignetur, graviſſimam, & ſeveram Germanorum nationem, ita jam ab aliquo tempore in delendo latini ſermonis uſu laborare cœpiſſe, ut publicæ academicarum cathedræ, & privatarum ſcholarum ſubſellia tremendo illo, & inſuavi vernaculæ linguæ mugitu reboare audiantur*, in *oratione de publici humanioris diſciplinæ profeſſoris proprio officio, & munere* p.29. Germanorum ſane natio non cœpit in delendo uſu latini ſermonis laborare: teſtantur tot monimenta ingeniorum, quæ Germania jam tulit, quæ nunc alit, quod uſus latini ſermonis adhuc vigeat: tot extant libri, qui latina lingua ſunt ſcripti, qui præcipiunt de hoc ſermone, qui culturam illius maximo commendant. Quodſi *Burmannus*, aut quidam ex illius adſeclis nobis obiiciat, quod li-

bri latini a noſtra natione conſcripti minus ſint elegantes, ac longe remoti a priſco romanæ eloquentiæ ornamento: id verum eſſe de plurimis, haud inficiamur; ſed hoc ad accuſationem illius vindicandam haud valere, arbitramur; etenim declamat adverſus ipſam Germanorum nationem, eoque nomine omnes illius eruditos viros: quid? num vitium hoc gentis noſtræ eſt proprium? nonne inter ipſos cives *Burmanni*, inter Gallos, inter Italos multi ſunt, qui loquuntur, ac ſcribunt latine, minus autem eleganter, ornate, ac caſte? non omnes ad faſtigium eloquentiæ, ad quod *Burmannus* peruenit, ſe evehere poſſunt: illos autem, qui per ignaviam, aut erroneam opinionem litteras haſce faſtidiunt, tantum abeſt ut excuſemus, ut graviori animadverſione dignos eſſe cenſeamus. Multo minus *Burmannus* accuſationis ſuæ fundamentum, & rationem ex eo petere poteſt, quod Germanorum natio uſum vernaculæ cum romana lingua conjungere cœpit: id quod licet iterum verum ſit, quam in rem commentationes, quæ in plurimis germanicis academiis nunc vernacula fieri ſolent, teſtantur; haud tamen in hac conſuetudine quidquam, quod vituperandum ſit, deprehendimus: non deletur uſus latini ſermonis: multa adhuc dicuntur, & ſcribuntur Romanorum lingua: ſunt quoque in academiis noſtris multa adjumenta harum litterarum, quæ quamvis non tam ſplendida, ampla, & copioſa ſint, ac in Belgio, propria omnino litterarum humaniorum ſede; florent tamen, & apud nos alia diſciplinarum genera, in quibus colendis nos majori ſtu-

ſtudio ac Belgæ, elaboramus: ſed hæc dicta ſunt in tranſitu, quæ ſcribendo ſine meditatione, ac deliberato conſilio in mentem venerunt. Redimus ad ipſam rem ſcriptionis hujus, a qua per cauſſam Burmannianam parumper digreſſi fueramus: obſervavimus, quod vernacula interdum præferenda ſit linguæ latinæ, ubi in uſum hominum rudiorum ſcribamus: nunc addimus, quod romana lingua debeat adhiberi, ſi talia litteris ſint conſignanda, quæ tantum ad eruditos ſpectant, & ab illis intelligi poſſunt. Præter Italos aliæ gentes de eodem argumento diſputarunt: in Gallis *Joannes Labourerius* in libro, *les avantages de la langue Françoiſe ſur la langue latine*, quem edidit *Samuel Sorberius*, linguæ ſuæ excellentiam præ latina adſervit, cui ſe *Sluſius* oppoſuit, ac romani ſermonis gloriam majorem eſſe adfirmavit: legenda ſunt, quæ de his controverſiis obſervavit *Jo: Laurentius Moshemius diſſertat. de linguæ latinæ cultura & neceſſitate*, præmiſſa *Folietæ* libris de linguæ latinæ uſu & præſtantia §.XIII. p. 31., & in *notis* ad *Folietam* p.82. In huiusmodi diſceptatione multum tribuitur adfectibus, pro quorum ratione linguæ cuidam pretium ſtatuitur: cupiditates ac propenſiones perverſæ mentes humanas ſæpe ita capiunt, ut haud videant, quid ſit verum, juſtum, & utile; nec intelligant, qualis modus pretii jure, ac merito debeat teneri: habemus rei hujus clariſſima exempla in Italis illis, qui tanto ſtudio imitandum eſſe Ciceronem putabant, ut alia voce, quam Tulliana uti religioni ſibi ducerent:

rent:

rent: vitio hoc laboraſſe *Petrum Bembum*, *Jacobum Sadoletum*, *Paullum Manutium*, *Chriſtophorum Longolium*, aliosque, de quibus infra in capite de *imitatione* copioſus dicemus, notum eſt. Immo nonnullos tantus furor occupaverat, ut crederent, majorem laudem ponendam eſſe in imitatione Tulliana, quam in religione Chriſtiana: ſed tamen non defuerunt ipſi meliorum litterarum magni auctores qui hoc nimium latinitatis idque omnino ſuperſtitioſum ſtudium caſtigarent. *Angelus Politianus* lib. IX. *epiſtolar. num.* 16. ad Paullum Corteſium teſtatur, ſe hoſce ineptos Ciceronis imitatores haud poſſe laudare: *non enim*, inquit, *probare ſoles, ut accepi, niſi qui lineamenta Ciceronis effingat. Mihi vero longe honeſtior tauri facies, aut item leonis, quam ſimiæ videtur, quæ tamen homini ſimilior eſt: nec ii, qui principatum tenuiſſe creduntur eloquentiæ, ſimiles inter ſe, quod Seneca prodidit: ridentur a Quinctiliano, qui ſe germanos Ciceronis putabant eſſe, quod his verbis periodum clauderent, eſſe videantur*: eandem ſuperſtitionem perſtrinxerunt *Eraſmus Roterodamus* in *Ciceroniano*, *Henricus Stephanus* in *pſeudo-Cicerone*, *Fridericus Taubmannus* in *diſſertat. de lingua latina*; adde *Jo. Franciſcum Buddeum* in *iſagoge hiſtorico-theologica ad theologiam univerſam* p. 111. ſeq., qui hæc late atque erudite ediſſeruit.

§. IV.

Duplex eſt illorum genus, qui in exiſtimatione latinæ linguæ rite ſtatuenda ab eo, quod verum ac juſtum eſt, aberrare videntur. Alii

Alii linguam hanc ita diſcendam eſſe fatentur, ut quæ non iſta ſint ſcripta poſſint intelligi, noſtræque cogitationes, ſi neceſſitas ferat, latine exprimi; ſed num hoc fiat ornate, an barbare; num quis imitetur Ciceronem, ac Nepotem, an Plautum, & Apulejum, nihil referre ſibi perſuadent: ſufficere putant, ſi quis ita poſſet ſcribere, ut quæ voluiſſet ſignificare, alii intelligant; proinde de ſermone, recte adhibendo minime ſunt ſolliciti; non curant grammaticorum regulas, quas ſi & obſervant, neutiquam tamen id ſectantur, quod linguæ hujus caſtitas, atque elegantia requirunt; barbariſmis omnia, quæ ſcribunt, implent; pro ſua libidine fingunt vocabula, immiſcent græciſmos, germaniſmos; formant periodos, in quibus nulla plane ineſt elegantia, nulla ſuavitas. Hanc iniquiorem in linguam Romanorum voluntatem juſtam eſſe aliis perſuadere, ac negligentiæ ſuæ præſidium conciliare conantur; eruditionem non in verbis, ſed in ipſis rebus quærendam eſſe dicunt, ac provocant ad exempla illorum, qui ſummam litterarum laudem, ac nominis famam fuiſſent conſecuti, licet haud eleganter atque ornate ſcripſerint: immo nonnulli culturam elegantiorum litterarum, ac ſpeciatim romanæ linguæ dignitati ſuæ noxiam eſſe credunt, hancque tantum ad grammaticos, atque inferiorum ſcholarum magiſtros pertinere opinantur: hoc modo horum hominum genus non ſolum latinas litteras ſpernit, verum etiam petulans eſt, atque in cultores ornati, ac romani ſermonis, quorum ſtudia maxime ſunt laudanda, injurioſum; ſuos barbariſmos

T con-

conjungunt cum conviciis, produntque ſe & inſcitia ingenii, ac mentis malitia laborare; ubi enim caſtitatis linguæ hujus cultores viderit, illos grammaticaſtros, verborum regulos, ac barbara voce pedantes adpellant.

§. V.

Eſt aliud hominum genus, quod non minus de dignitate latini ſermonis haud recte ſentit; hanc in eo faſtigio collocatam eſſe cenſent, ut in caſtitate, atque elegantia orationis romanę, in ſubtilitatibus grammaticis, ac criticis omnis eruditionis ſalus contineatur, quæ penitus ſine litterarum romanarum incolumitate, ac flore haud florere poſſet: tantam eſſe linguæ hujus excellentiam tuentur, ut iſta cælites haud poſſint carere: nonne *Melchior Inctoferus hiſtoria ſacra latinitatis* lib.v.cap.2. & 4. exiſtimavit, *beatos in cælo latine locuturos, & Chriſtum interdum latine locutum eſſe*? nonne *Joachimus Fortius Ringelbergius* adfirmavit, *gloriam latine, & polite ſcribendi inter humanos conatus omnes ſummum tenere locum*, ac confeſſus eſt, ſe *decreviſſe in hac finire vitam*? ſed quis non videat, homines hoſce mediocri ingenio fuiſſe præditos? quis non miretur illorum effata, quæ ſignificant, quod nimius latinitatis amor intellectum in ejuſmodi tenebras conjecerit, ut quid in hac cauſſa ſit verum, ac rectum, haud potuerit intelligere. Alii, qui ad hoc minus recte de pretio linguæ romanę ſentientium genus pertinent, putant, ſi quis expoſuerit de grammaticis ſubtilitatibus, aut loca quædam veterum auctorum illuſtraverit, ac feliciter emendaverit, factum id eſſe haud ſine ſingulari ope di-

divina, immo ad hanc operam deſtinatum fuiſ-
ſe divinitus: conſcripſit *Chr. Daumius* diſſerta-
tionem de *amiſſarum linguæ latinæ radicum*
cauſſis, quam eſſe doctiſſimam, nemo famæ
auctoris, atque ipſius argumenti intelligens
negabit; ſed ut ſententiam *Jo. Zſchendorfii*, qui
in præfatione judicat *ſpiritus ſancti impetu in-*
citatum Daumium ad hoc opus acceſſiſſe, quis
comprobet, haud facile impetrabit: quid? ſi
hæc accurate expendere, ac dijudicare velle-
mus, iniqui poſſent cenſeri, qui in hoc ni-
mio latinitatis ſtudio antiquos auctores, qui
deorum cultores fuerunt, ſumma veneratione
proſequuntur; in legendis illorum monimen-
tis omne fere tempus conſumunt, atque ex
illis, ut ſibi perſuadent, tantam capiunt vo-
luptatem, ut omnes aliæ litteræ ſuis deliciis
multo ſint inferiores: quo facile fieri poteſt,
ut ubi animus illorum hiſce muſis unice in-
nutritus fuit, alii libri, qui elegantiam roma-
nam haud præ ſe habent, illis videantur ru-
diores, horridiores, ac plane impoliti, a qui-
bus hac de cauſſa abhorrent: haud ſine men-
tis juſto dolore cogitari, multo minus dici po-
teſt, quo modo fuerint ſummi elegantiorum
litterarum, præſertim eruditionis romanæ
auctores, qui clariſſima a ſe dederunt nomi-
na; per nimia autem harum rerum ſtudia ita
fuerunt capti, ut ſacris libris, aut nullam
dederint operam, aut per maximam mentis
impietatem animum ab illis alienum declara-
verint: quæ Cicero, aut Livius, aut Virgi-
lius ſcripſerunt, magis illis placent, quam
quæ ipſe Deus ad ſalutem illorum ſempiternam
dixit, ac litteris conſignanda curavit: habe-

mus horum hominum exempla, quæ re ipſa triſtia ſunt, ac lugubria: de *Angelo Politiano* conſtat, quomodo per nimia paganorum ſcriptorum ſtudia ſacras litteras ſit aſpernatus; *Jo. Ludovicus Vives* lib.II. de *veritate fidei chriſtian.* p.264. auctor eſt, *totam eum ſacram lectionem adſpernatum*; ac *Philippus Meſanchthon* tom.III. *declamation.* p. 545. dicit, *ſemel ſolum eum ſacras litteras legiſſe dixiſſeque, nullum ſe tempus pejus collocaſſe*: idem traditur, odas Pindari carminibus divinis Davidis non tam prætuliſſe, quam æquiparaſſe, quamvis hoc ab aliis *Lazaro Bonamico* tribuatur; extant alia hujuſmodi exempla, de quibus præſtat tacere, quam loqui: ita litteræ, quæ mentes reddere deberent humaniores, illas interdum ita corrumpunt, ut quod hominum merito eſt proprium, religionem quippe deſerant, ac cogitationes ſuas majori ſtudio ad fictos deos quos poëte græci, ac latini canunt, quam ad verum Deum, omnium rerum opicem referant: at hæc litterarum ſtudia non ſuo vitio religioni, ac pietati ſunt inimica; injuria eſt hominum, qui per pravas animorum cupiditates illis abutuntur. Reſtant alii, qui non minus, quam ſuperiores a nobis adhuc memorati, in ſtatuendo latinæ linguæ pretio peccare nimio videntur, illi quippe, qui ſuperſtitioſo ſtudio Ciceronem imitantur, atque exiſtimant, nihil ſine Cicerone latine dici poſſe; proinde laudem, ac decus litterarum ſuarum unice in imitatione Ciceroniana ponunt, alioſque, qui malunt libertatem amplecti, quam in ſcribendi ratione ſervire, contemnunt, eoſque longe a faſti-

gio

gio veræ eloquentiæ romenæ abeſſe putant: pro hoc ſtudio, quo in Ciceronem ſuum feruntur, anxio ac ſollicito animo conquirunt voces, ac formulas dicendi Tullianas; conſectantur Tullianas longiores periodos, numerum illarum, ac ſententiarum frequentiam. Studium imitandi bonos auctores, & qui in his princeps eſt Ciceronem, nemo ſana mente præditus vitioſum eſſe pronuntiabit; ſed id ſedulo cogitandum, quod imitatio, ubi per iſtam elegantem, ac inter ſe bene nexam orationem fingere volumus, libera atque ab omni ſerviendi neceſſitate remota eſſe debeat: pro recta, ac laudabili imitationis ratione haud ſufficit, voces, formulas loquendi Ciceronis adhibuiſſe, ad exemplum illius periodos compoſuiſſe, atque eaſdem ſententias uſurpaſſe: id, quod orationem Tullianam maxime ornat, eſt lumen, ſplendor, dignitas, ac gravitas, quas virtutes in ſermone nemo poterit feliciter adſequi, atque exprimere, niſi ſua ingenii mentiſque indole Ciceroni reſpondeat: ſed de hoc argumento poſthæc plura dicamus, ac ſimul commemoremus, quomodo in Italia orta ſit factio illa Ciceroniana.

§. VI.

Optimam viam ſequitur, qui etiam hac in cauſſa id, quod inter nimium, & parum eſt medium, eligit atque amplectitur; neque enim illorum ſententia eſt adprobanda, qui latinæ linguæ tantum pretium ponunt, ut ex flore illius omnium muſarum ſalutem dependere ſibi perſuadeant; neque eorum opinio eſt recta, atque æqua, qui de caſti ſermonis cultoribus ſiniſtre ſentiunt, atque illos contemnunt.

Nos igitur cum aliis de hac re ita ſentimus, quod cultura purioris, elegantis, ac caſtæ linguæ neceſſaria quidem ſit, atque utilis, ad iſtam tamen decus, ac laudem omnium litterarum, atque eruditionis haud unice referre debeamus: cognitionem linguæ hujus eſſe neceſſariam, ita ut non abſolutam, ſed ejuſmodi neceſſitatem intelligamus, quam ratio, ac conditio litterarum noſtrarum effecit, in ſe clarum eſt; res enim eruditorum communi, ac propria lingua haud carere poſſe, fixum eſt, ac ratum: qui litteras conſectantur, habere inter ſe debent ſocietatem, ac conjunctionem, ut alter alteri opem adferat; quæ inventa, atque excogitata ſunt, propagari, atque ad hominum utilitatem juris publici fieri poſſint. Jam ut ad hanc metam perveniamus, atque eruditionis fructus aliis exhibeamus, aut omnes linguæ, quibus gentes inter ſe diſtinctæ ſunt, ediſcendæ; aut ex omnibus aliqua eligenda, quæ omnium eruditorum propria ſit, quave colloquuntur: quænam autem lingua hæc eſſe debeat, id neque ex indole illius, neque aliarum litterarum ratione eſt dijudicandum; ſed res ſoli hominum arbitrio relinquenda: quocirca licet romana lingua privilegium hoc, ac per illud ſingularem præ aliis dignitatem acceperit, aliam tamen eruditi potuiſſent introducere, & per iſtam idem præſtare, quod nunc per romanam præſtant. Antequam Romani armorum peritia tot populos ſubigerent, fineſque imperii proferrent, Græcorum ſermo ita florebat, ut quicquid eſſet elegans, atque eruditum, illud legeretur, atque explicaretur græce: ipſis priſcis romanis

pri-

prima cura græcarum litterarum fuit, quibus eodem uſu græca erat, quo nobis latina lingua: potuiſſent igitur viri eruditi græcas litteras ſubrogare latinis; ſed quum Romani ad gentes armis ſuperatas linguam hanc tranſmitterent, atque in illis tot eruditi viri eſſent, qui politioris doctrinæ diſciplinis, præcipue eloquentiæ ſingularem operam dabant, ac nominis celebritatem conſequebantur, factum eſt, ut & per amplitudinem imperii, & litterarum romanarum gloriam, ipſa gentis hujus lingua non mediocrem famam ſibi compararet, aliisque diſcendi iſtam, imponeret neceſſitatē.

§. VII.

Hac ratione veterum Romanorum ſermo eruditorum lingua propria ſenſim, ac ſenſim conſtituta, ac confirmata fuit; igitur ex hoc patet, quod nemo in litteris poſſit verſari, niſi linguę hujus adjumenta habeat: quod ſi ita eſt, ſicuti eſt, itidem ſine difficultate poteſt demonſtrari, quod ejusmodi rationem linguam hanc excolendi tenere debeamus, qua ad facultatem pure, ornate atque eleganter loquendi, ac ſcribendi pervenimus. Non eſt, quod in quæſtione: num is, qui ornate, ac pure loqui, ac ſcribere poteſt, melior illo ſit reputandus, qui orationem agreſtem, aſperam, jejunam, ac barbaram adhibet; qui genus dicendi obſcurum, illiberale, ac plebejum ſectatur? explicanda longiorem meditemur diſputationem. Tres præcipue ſunt virtutes, quæ ſermonem commendant, puritas, perſpicuitas, atque elegantia: de perſpicuitate nemo dubitabit, quod iſta omni ſermoni maxime ſit neceſſaria, quum hanc ratio, cur loqui, ac

ſcri-

Digitized by Google

ſcribere ſoleamus, poſtulat, quæ in eo eſt poſita, ut aliis mentis noſtræ ſenſa exprimamus, hique intelligant quæ ſentimus, cogitamus, ac volumus. Sed multi ſunt,qui puritatem, caſtitatem, atque ornatum latini ſermonis faſtidiunt, ac ſiniſtre de illis, qui harum virtutum in formanda oratione ſunt ſtudioſi, ſentiunt, exiſtimantes, ſufficere ita loqui, ac ſcribere, ut alii mentis cogitationes expreſſas capere, atque intelligere poſſint; ſtudia vero caſtæ, atque elegantis romanæ linguæ pertinere ad ſcholarum inferiorum magiſtros, ac grammaticos: immo ſunt, qui quum in hac cauſſa judices, ac cenſores eſſe volunt, non ſolum veritatis, verum etiam modeſtiæ leges violant, atque ad contumeliarum, ac conviciorum libidinem delabuntur; ſolent enim hæc optima, & laudabilia ſtudia ignominioſo, ac barbaro *pædantiſmi* nomine perſtringere. At hoc ignavum hominum genus turpiter errat: ipſi fatentur, ſermonem debere eſſe perſpicuum; ſed qua ratione poſſit eſſe perſpicuus, neglecta caſtitate haud videmus: nonne voces ubi ſunt barbaræ, novæ, impropriæ, nec præ ſe habent auctoritatem, orationem reddunt obſcuram? idcirco neglectum caſtitatis ſtudium cauſſa eſt hujus obſcuritatis: cur in vernacula tua, ſive illa ſit teutonica, ſive alia, ejuſmodi vocabula formulaſque dicendi uſurpas, quæ uſum hominum probatæ auctoritatis præ ſe ferant, nec pro libidine tua voces obſoletas, atque abrogatas revocas, aut novas fingis, aut vim illarum ſignificandi immutas? nonne te ab hac licentia abſtines, ut poſſis vitium obſcuritatis devitare? vides ergo, quam arcta

ſit

ſit conjunctio inter caſtitatem, ac perſpicuitatem. Eadem eſt ratio elegantiæ, quæ non minus, quam caſtitas orationis promovet perſpicuitatem, ubi ejuſmodi juncturam verborum obſervamus, qua naturali nexu omnia fluunt, eoque nomine ſermonem non ſolum ſuaviorem, verum etiam planum, & facilem efficiunt: quamquam alia adhuc eſt ratio, quæ hanc elegantiam commendat; adfert iſta orationi ornamentum, quod ſectari ſaltim melius eſt, ſi haud neceſſarium dicere velimus, quam illud negligere: ſed tamen licet culturam purioris latinæ linguæ merito omnibus, qui litteris operam navant, commendemus; id tamen non ita eſt interpretandum, ac ſi omnes ea ratione, quam grammatici, philologi, ac critici tenent, verſari debeant in linguæ hujus exercitatione; aliud enim eſt, ſtilum; aliud vero grammaticam, ac philologiam romanæ linguæ colere: illud communem; hoc propriam eruditorum operam requirit.

§. VIII.

Poſtquam monſtravimus, quomodo cultura romanæ linguæ ſit neceſſaria, reſtat, ut breviter oſtendamus, qua ratione ſtudia linguæ hujus ita ſint ſuſcipienda, ut quis facultatem ſtili purioris ſibi poſſit adquirere: ſed antequam ad rem ipſam explanandam accedamus, libri hujus ratio poſtulat, quædam de exercitatione ſtili, quam ipſi priſci Romani inſtituerunt, præloqui. Varii ſunt auctores, qui argumento huic eruditæ antiquitatis illuſtrando poſſunt inſervire: ex veteribus nominandi ſunt *Quinctilianus*, *Plinius* junior, ac *A. Gellius*, qui in variis locis litterarum ſtudia,

Digitized by Google

dia, ac modos colendi iſta apud veteres Romanos recenſent, ac ſæpe ea obſervant, quæ utilia, ac fructuoſa præcepta eſſe, atque ad imitationem a nobis adplicari poſſunt. Recentiori ævo plures exſtiterunt, qui in hoc antiquitatum capite enarrando diligenter ſunt verſati, quorum nonnullos nominaſſe, non ab re erit: ſunt illi *Jo. Wowerius* de *polymathia*, quem ſupra laudavimus; *Jo. Schefferus*, qui in libro de *ſtilo exercitiisque ejus ad conſuetudinem veterum*, de quo itidem ſuperiori capite jam diſſeruimus, multa habet de variis exercitationis generibus, quæ Romani in ſtilo adhibuerunt; *Chr. Cellarius* in *diſſertationibus academicis* p. 341., *Conrad Budde* de *ſtudiis liberalibus apud veteres Romanos* Jen. MDCC. *Georg. Nicol. Kriegk* de *modis inclareſcendi apud Romanos* Jen. MDCCVII. quibus addi poteſt diſſertatio noſtra de *variis modis litteras colendi apud veteres Romanos*, quæ extat in *parergis academicis* noſtris.

§. IX.

His præmiſſis ad ipſos Romanos eorumque exercitia ſtili nos convertimus: veteres Romani elementa plerumque domi, & in contubernio matris diſcebant, quibus adreptis producti extra limen audiebant grammaticum græcum, & rhetorem latinum: quo autem uſu nobis latina lingua eſt, eodem priſcis Romanis fuit græca, qua omnium diſciplinarum præcepta tradebantur, ut jam obſervavimus. Quo nomine, quæ de ſtudiis illorum, præſertim de ſtilo proferre animus eſt, ad noſtram gentem, atque ætatem ita poſſunt adplicari, ſi pro græcis latina, & pro latinis teuto-

to-

tonica velimus ſubſtituere. (I) diſcebant præcepta *grammatices. Quinctilianus inſtitut. o at.* 1.4.5. *eloquentia quoque non mediocri eſt opus ut de una quaque earum, quas demonſtravimus, rerum dicat proprie, & copioſe: quo minus ſunt ferendi, qui hanc artem* (grammaticam) *ut tenuem, ac jejunam cavillantur; quæ niſi oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quidquid ſuperſtruxeris, corruet, neceſſaria pueris, jucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes, & quæ ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis, quam oſtentationis*: quumve hæc grammaticæ ars a variis varia ratione diſtinguitur, heic intelligitur grammatica technica, quæ complectitur ὀρθοέπειαν, recte loquendi formam, & ὀρθογραφίαν, recte ſcribendi ſcientiam. Quibus perceptis (II) *legebant* ſcripta auctorum græcorum, eaque varii generis, ſive fuerint philoſophi, ſive hiſtorici, ſive poëtæ, ſive oratores; hinc Theophraſtus auctore *Quinctiliano* lib. x. cap. I. dicebat *plurimum conferre lectionem poëtarum oratori*; & ipſe adfirmat, *hiſtoriam quoque alere orationem poſſe*. *Cicero* teſtatur lib. I. de *orat.*, *confirmare nos in præceptis latine loquendi lectionem veterum oratorum*. Verum in his perlegendis obſervabant ordinem: hinc *Cicero* de *oratore*: in *oratione præcipitur primum, ut pure, & latine loquamur, deinde ut plane, & dilucide, tum & ornate loquamur; poſtremo, ut ad rerum dignitatem apte loquamur*: adde *Quinctilian.* lib. II. cap. 5.

§. X.

Legebant hæc monimenta ſtudioſe. *Plinius* lib. VII. *epiſt.* 9. *non dixi, quæ legenda arbi-*

bitrarer; quamquam dixi, quum dicerem, quæ ſcribenda. Tu memineris, ſui cujusque generis auctores diligenter eligere: ajunt enim, multum legendum eſſe, non multa. Quinctilianus x. cap. 1.: *diu non niſi optimus quisque, & qui credentem ſibi minime fallat, legendus eſt, ſed diligenter, ac pene ad ſcribendi ſollicitudinem; nec per partes modo ſcrutanda omnia, ſed perlectus liber utique ex integro reſumendus eſt.* Initio haud ſoli legebant, quod *Gellius* ſuo exemplo teſtatur lib. 11. cap. 23. *Cæcilii Plocium legebamus, haud quaquam mihi & qui aderant diſplicebat; libitum eſt, Menandri quoque Plocium legere, a quo iſtam comœdiam verterat.* Quum res obſcuræ, & difficiles occurrerent, uſi fuerunt eruditioribus grammaticorum ingeniis; vid. *Gellium* XIII. 29., XVI. 6., XIX. 10.: quumve eſſent abſentes, id fiebat beneficio litterarum, quo grammaticorum operum tituli de *rebus per epiſtolam quæſitis* pertinent, cujuſmodi olim ſcripſit Valigius Rufus, teſte *Gellio*. Præter hæc veteres tanta induſtria libros probos conquiſiverunt, ut eos optimæ fidei ob unius verbi genuinam ſcripturam cognoſcendam multo ære conducerent. Julianus rhetor apud *Gellium* XVIII. 5. inquit: *ut non turbidæ fidei, nec ambiguæ, ſed ut puræ liquentisque eſſet, equus ne, an eques Ennius ſcriptum reliquiſſet; librum ſummæ, atque reverendæ vetuſtatis, quem fere conſtabat Lampadionis manu emendatum, ſtudio pretioque multo unius verſus inſpiciendi gratia conduxi: & eques, non equus, ſcriptum in eo verſu inveni.* Idem *Gellius* II. 3. oſtendit, Fidum Optatum exhibuiſſe li-

librum Æneidos ſecundum miræ vetuſtatis, comparatum in Sigillariis viginti aureis, unde veram lectionem loci alicujus, de quo non certi erant, hauriebat.

§. XI.

(III) *Obſervabant* ea, quæ ſtudiis erant ſalubria, atque utilia, quum legerent veterum monimenta; quæve fuerant obſervata, repetebant diligenti memoria: namque ait *Gellius* de ſe XIX., 7. *atque ita molli quodam tempeſtatis autumnæ die ego, & Julius Celſinus, quum ad eum cœnaſſemus, & apud menſam audiviſſemus legi Levii Alceſtrin, rediremusque in urbem, ſole jam fere occiduo, figuras habituſque verborum nove, aut inſigniter dictorum in* Leviano *illo carmine ruminabamur: & ut quæve vox indidem digna animadverti ſubvenerat, qua nos quoque poſſemus uti, memoriæ mandabamus.* Denique (IV) addiderunt exercitationem, ſeu *imitationem*, de qua eleganter diſſerit *Plinius* VII. *epiſt.* 9., qui ait utile inprimis eſſe, *ex græco in latinum, & ex latino vertere in græcum*. *Quinctilianus* X., 5. pr. *vertere græca in latinum veteres noſtri oratores optimum judicabant*; & paulo poſt: *ſed & illa ex latinis converſio multum, & ipſa contulerit*: ſic enim proprietatem ſplendoremque verborum, copiam, figuram, vim explicandi, præterea optimorum imitatione facultatem inveniendi ſimilia parari, exiſtimat *Plinius*; addit, quod inſtar magiſterii eſt, ut qui præceptore deſtituitur, ſibi ipſe poſſit conſulere: videlicet jubet, *quæ legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quaſi æmulum ſcribere, lectiſque conferre, ac ſedulo*

penſitare, quid tu, quid ille commodius: quæ vero ibi de ſtilo cenſentur, ita noſtro latino ſermoni adcommodamus, ut pro græcis latina, pro latinis teutonica ſubſtituamus. Alios adhuc habebant exercendi adoleſcentulos modos, quorum unum ex *Auguſtini* lib. I. *confeſſion.* cognoſcimus, nempe *aliquid dicere ſolutis verbis, quale poëta dixiſset verſibus*, quod facit ad verborum rerumque copiam cum parandam, tum augendam; ideoque *M. Tullius* pro *Archia* oratione multum poëtis legendis tribuit ad oratoriam facultatem conſequendam. Veteres Romani Græcorum ſcripta diligenter fuerunt imitati: ſic Tullius imitatus eſt Demoſthenem; lege *Demoſthenem orat. contra Ariſtog.* p. 443., & *Ciceronem pro Cluentio* p. 53. cum *Cauſino* de *eloquentia* lib. III. c. 17. p. 130. ſqq.: jam olim Ciceronem cum Demoſthene contulerat Cæcilius Siculus, de quo *Suidas*; poſtea idem præſtitit *Plutarchus*, quamquam hic vitæ tantum habuit rationem, & noſtra ætate libro gallico *Rapinus*. *Quinctilianus* X. I. *inſtit.*: *M. Tullius quum ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſset, effinxit vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis*. Terentius multum debet Menandro, prout ipſe *prologo Andriæ* fatetur; loca quibus eum imitatus eſt, collegit *Andreas Schottus*: Salluſtius a *Velejo Paterculo* II. 36. 2. dicitur *Thucydidis æmulus*: Virgilius imitatus eſt Homerum, vide *Gellium* IX. 9., *Macrobium* V. *ſaturn.*, *Fulvium Urſinum* in *Virgilio Græcorum ſcriptorum collatione illuſtrato* Antw. MDLXVIII. 8., *Rapini obſervat. in poëmata Homeri & Virgilii*, *Fabricium*

cium bibliothec. græca lib. II. c.7. p.353.: Tacitus legiſſe dicitur Thucydidem, & Polybium.

§. XII.

Addere quædam poſſem de *emendatione*, atque *retractatione*, quæ exercitiis fuit ſolemnis; item quomodo audiverint profeſſores, & magiſtros litterarum: ſed argumentum hoc illuſtravi *diatrib.* de *dedicationibus librorum veterum latinorum* p. 16., quam *Cellarii epiſtolis* præmiſi. Nobiliſſima quoque pars ſtudiorum Romanorum erat *recitatio* eorum, quæ conſcripſerant, quamvis non pertineret præcipue ad adoleſcentes, ſed ad adultiores, viros, & ipſos principes: quoties enim aliquis poëta, hiſtoricus, aut alius eruditus compoſuiſſet carmen, hiſtoriam, orationem, non committebat, ut ederetur ſtatim; ſed vocabat amicos, peritos, intelligentes homines, quibus vel privatim, vel publice tanta cum cura prælegebat, ut obſervaret eorum ora, & ex ſignis cognoſceret, placeretne, aut improbarent? quam cenſuram ſubire, non dubitavere doctiſſimi viri Cicero, Plinius junior, Tacitus, Symmachus, alii: lege dictam *diatriben*, *Samuel. Pitiſci lexicon antiquitatum roman.* tom II. p.600., & *Jo. Alb. Fabricii bibliograph. antiquar.* c.XX.

§. XIII.

Nunc ad rem ipſam accedimus, ad id quippe argumenti noſtri caput, quo rationem latinam linguam diſcendi ſtrictim exponere, ac præſcribere animus eſt. Clariſſimi viri extiterunt, qui de hac re expoſuerunt, ac conſilia de comparanda latinæ linguæ cognitione ſuppe-

Digitized by Google

ditarunt, quorum nonnullos recenſere, non ab re erit: qui de ſtilo, ac ratione illum colendi tractarunt, ſupra jam memoravimus; nunc illos addimus, qui ſpeciatim de ratione diſcendi Romanam linguam egerunt, quale quid tradiderunt.

Antonius Schorus, cujus extant libri duo de *ratione diſcendæ docendæque linguæ latinæ & græcæ*, qui prodierunt Argentorat. MDXLIX. quæ editio eſt prima, MDLXXIII. MDCLXXI., item Leovardiæ MDCXCV., ubi præter *Schori* diſſertationem de *ratione obſervandi* acceſſit *Jo: Rivii* libellus de *ratione docendi*: edidit quoque librum de *ratione docendæ diſcendæquæ linguæ latinæ Jo. Chriſtian. Neu*, ac præfationem præmiſit: auctor hic magis docet per exempla, quam præcepta, atque inprimis magiſtros harum litterarum inſtruit, quomodo veteres auctores explicare, atque diſcentes per varias obſervationes rectam linguæ hujus indolem docere debeant:

Jo. Sturmius, qui librum ſcripſit de *ratione latinæ linguæ reſolvendæ*, quem iterum edidit *Jo. Georgius Jochius* Ienæ MDCCIV.: inſtitutum autem auctoris eſt, viam monſtrare, quomodo ſecundum varias rerum claſſes, de quibus loquendi & ſcribendi occaſio eſſe poſſit, vocabula ex optimis auctoribus ſint colligenda atque obſervanda, hacque ratione cultor linguæ huius copiæ atque ubertati ſibi adquirendæ proſpiciat: alia ingenii monimenta celeberrimus, ac quum viveret, litterarum humaniorum ac rerum, quæ ad felicitatem ſcholarum promovendam pertinent, intelligentiſſimus auctor reliquit, quæ optimis

mis conſiliis de latina lingua cognoſcenda ſint referta: ubi ad auctores latini ſermonis recentioris ævi pervenimus, iſta recenſebimus:

Franciſcus Floridus Sabinus in *lectionibus ſubciſivis* libr. 1. cap. 2. p. 1000. tom. 1. *theſauri critici Jani Gruteri*, ubi præcipue agit de lectione, atque imitatione auctorum:

Chriſtianus Becmannus, qui edidit *manuductionem ad latinam linguam*, quæ præmiſſa eſt ejusdem libro de *originibus latinæ linguæ*; prodiit MDCXIV., & tertium MDCXIX. diligenter in iſta omnia capita, quæ cum ad grammaticam, tum ad ſtilum romani ſermonis formandum pertinent, ſunt tradita:

Fr. Taubmannus, cujus diſſertationem de *lingua latina* habemus, additam ipſius *ſchediaſmatibus poëticis innovatis* MDCXIII., in qua auctor diſſerit cum de neceſſitate, tum de accurato ſtudio latinæ linguæ; ſubjecta eſt commentatio de *extemporali latini ſermonis temeritate*:

Jo. Caſelius, auctor multarum præceptionum, quæ exercitationem in hac lingua egregie juvare poſſunt, ſi modo iſtæ ſedulo obſervarentur, nec multi noſtra ætate hujusmodi doctrinas parvi facerent: heic commendamus illius *cohortationem ad latinum ſermonem accuratius paullo diſcendum*, quæ prodiit Helmſtad. MDCV. adjecta *Turnebi* libello de *vino*, cujus quum nulla amplius extarent exempla tempore *Heidmanni*, hic cohortationem hanc iterum edendam curavit Goslar. MDCXVII.: idem de latinæ linguæ ſtudio excitando ſollicitus fuit in elegantiſſima

præfatione, quæ *Aldi Manutii phraſibus latinæ linguæ* præfixa eſt; docet ibi, magnam perniciem ingenuis litteris creari, quod latina lingua, aut negligatur tantopere, aut aliter ac deceat, diſcatur: hæc præfatio licet ſolide atque erudite ſit conſcripta, non omnibus tamen editionibus *phraſium Manutii* eſt præmiſſa:

Caſpar Scioppius, qui in *conſultationibus de ſcholarum ac ſtudiorum ratione, deque prudentiæ & eloquentiæ parandæ modis* Amſtelodam. MDCLX., multa præcepit de ratione latinam linguam diſcendi: etenim pag. 7. monſtrat *ordinem parandæ eloquentiæ latinæ*; pag. 21. conſultatione ſecunda diſserit de *prudentiæ & eloquentiæ parandæ modis in adoleſcentis cujusdam Germani uſum*; & pag. 57. conſultatione tertia de *ſcholarum claſſicarum informatione*: edidit quoque *Mercurium bilinguem, ſive novam & compendioſam rationem latinæ, aut italicæ linguæ intra vertentem annum perdiſcendæ in eorum uſum, qui alterutram linguam jam intelligunt*, MDCXXVIII., & MDCLXXXVI.

Bohuslaus Balbinus, cujus *veriſimilia humaniorum diſciplinarum* huc ſpectant, inprimis quæ capite III. p. 16. de *latinitate* diſſeruit, ubi non ſolum latinitatis rationem & diverſitatem monſtrat, verum etiam viam ad cognitionem linguæ hujus perveniendi aperit: in reliquis capitibus multa erudite ac recte monet, quæ cultores harum litterarum legere ac obſervare debent:

Jo: Henricus Boeclerus, cujus extat diſſertatio de *comparandæ latinæ linguæ facultate*,

quæ

quæ non ſolum addita eſt *Jo: Schefferi* libro *de ſtilo*, ſed etiam extat tom. III. *diſſertationum Boecleri* p. 532., de qua jam ſupra diſſeruimus:

Jo. Ludovicus Praſchius, qui in publicam lucem edidit: *organon latinæ linguæ, hoc eſt, novam eamque perſpicuam didacticam, qua pure latina lingua (una cum bonis moribus atque ſcientiis) juſto ordine, ab initio ad ſummum usque faſtigium doceri addiſcique queat, idque facile & citra temporis ſumtuumque jacturam, imo cum voluptate & per ludum quaſi, absque adminiculo veſtibuli, januæ, aliorumque omnium novorum librorum, una cum ſubſidiis eam in rem neceſſariis, vel triplici opuſculo*: in hoc *organo* non ſolum breviorem, verum etiam faciliorem rationem diſcendæ latinæ linguæ, illa, quam adhuc magiſtri ſcholarum uſurparunt, præſcribere voluit: quibus expoſitis exhibet *onomaſticon* duplex, nec non *theſaurum onomaſticum*: pro diligentioribus addidit quoque notitiam latinam, grammaticam vernaculo ſermone conſcriptam ac in duas partes diviſam, theoriam quippe ac praxin grammaticæ: hanc grammaticam ſequuntur *primordia latini ſermonis*, & appendix de *progreſſibus & complemento latini ſermonis*: ad hoc complementum impetrandum tria requiri putat: primum ut grammatice recta & abſoluta ſit oratio; deinde ut puram, elegantem & æquabilem ſtili formam adſumat; denique ut eloquentiæ capiat faſtigium: ad primum commendat præ novis ac copioſis grammaticorum libris *Phocæ artem de nomine & verbo*, & *Donati editionem ſecun-*

dam:

Digitized by Google

dam : ad ſecundum *rhetoricam ad Herennium*, ex qua & principia ſtili, & ſtilus ipſe, & fundamẽta artis oratoriæ addiſci poſſint: ad tertium lectionem primum Curtii, deinde Ciceronis librorum rhetoricorum, & Quinctiliani, ac denique Terentii, Nepotis, Suetonii, Velleii, ac Livii : hæc conſilia auctor repetit, ac defendit *in expoſitione rationum, quibus organon latinæ linguæ nititur*, quæ prodiit Ratisbonæ MDCLXXXVII.

Tanaquillus Faber, qui lingua gallica edidit *methode pour commencer les humanitès grecques & latines* MDCLXXII., ſcripſerat jam MDCLII. ad Claudium Sarravium de hoc argumento, atque ſententiam ſuam expoſuerat, qua ratione pueri in litteris humanioribus eſſent formandi ; poſt hæc docendi hanc rationem ad ipſum filium ſuum adplicavit, eumque ab anno decimo usque XIV. quo immatura morte deceſſit, utraque lingua ita formavit, ut cum viris potuerit certare: hæc fuit occaſio libellum, cujus mentionem fecimus, edendi ; in iſto enim docendi modum, quem in formando filio ſecutus eſt, expoſuit. Ipſe in epiſtola ad illuſtriſſimum virum de Morangy conſiliarium regium de hoc docendi inſtituto teſtatur : *hoc certe liquido adfirmem, intra pauculorum annorum ſpatium ita inſtitui & informari poſſe, ut qui via pervulgata deducti fuerint, puerulos dicas ; illos autem viros eſſe, & ad ſplendorem litterarum natos dejeres* : ſummam libri hujus recenſet *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. II. cap. 9. §. 44. ſeqq.

Tho-

Thomas Crenius, qui ſcripta eruditorum virorum de ratione litteras docendi & diſcendi conjunctim edidit, diviſa in tres partes, quamvis hæ diverſa ratione fuerint inſcriptæ; prima enim, quæ prodiit MDCXCII. Roterod. hanc inſcriptionem habet: *conſilia & methodi aureæ ſtudiorum optime inſtituendorum*, in qua varia extant monimenta, quæ ad ſtudia linguæ pertinent, cujuſmodi ſunt *Jo: Caſelii* de *lingua latina addiſcenda* diſſertatio; *Caſparis Scioppii conſultationes de ſcholarum & ſtudiorum ratione, deque prudentiæ & eloquentiæ comparandæ modis*; *Olai Borrichii cogitationes de variis latinæ linguæ ætatibus*, ut de aliis taceamus, in quibus itidem conſilia de his litteris recte inſtituendis habemus. Secunda pars ita inſcripta: de *philologia, ſtudiis liberalis doctrinæ, informatione & educatione litteraria generoſorum adoleſcentium, comparanda prudentia juxta & eloquentia civili, libris & ſcriptoribus ad eam rem maxime aptis, quoque ordine ſcriptorum hiſtoriæ romanæ monimenta ſint legenda, tractatus*, Lugdun. Batav. MDCXCVI. lucem publicam adſpexit: ex ſcriptis, quæ heic collecta ſunt, huc inprimis ſpectant *Joachimi Paſtorii* de *juventutis inſtituendæ ratione diatribe*, & *Jo: Schefferus* de *informatione litteraria* §. VI. Tertia pars edita Lugduni Batav. MDCXCIX. continet tractatus de *eruditione comparanda* variorum eruditiſſimorum virorum, quamvis pauca ibi ſint monita, quæ ad culturam linguæ hujus pertineant: ipſe doctiſſimus *Crenius* obſervationes hiſce libris adjecit, quæ interdum de hiſce ſtudiis præcipiunt, ac noti-

tiam

Digitized by Google

tiam ſcriptorum huc ſpectantium ſuppeditant. Hiſce addi poſſunt alii *methodorum* ſcriptores, quorum indicem exhibent *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterar.* lib. II. cap.7., *Jo.Chr. Langius* in *protheoriæ erudit. humanæ* præfat. & p.400., *Burc.Gotthelf. Struve* in *præfatione*, quam præmiſit *Baptiſtæ Guarini* libello de *ordine docendi & ſtudendi*, quos & ipſi recenſuimus cum *in Entvvurff der allgemeinen Gelehrſamkeit* lib. I. cap 4., tum in *lexico philoſophico* p. 2469.: præter hos legendi quoque ſunt

Jo: Clericus, qui in *arte critica* part. I. cap. I. agit de iis, quæ lectioni veterum præmitti debent; ac cap.2. de ordine in lectione ſcriptorum latinorum obſervando:

Daniel Georgius Morhofius, in cujus *polyhiſtore litterario* lib. II. cap.9. agitur de *methodo in linguis*, *latina præcipue & græca*, *diſcendis tenenda*, ubi auctor variorum conſilia, conſuetudines linguam latinam diſcendi, ac ſcripta illorum de hoc argumento recenſet ac dijudicat: memorat quoque §.32. auctoris *medicinæ mentis* conſilium de linguis addiſcendis, de quo addimus, quod contra iſtum diſputaverit *Jo. Whitte diſſertationibus philologicis de linguis tradendis* p.48., quæ prodierunt MDCCVII.

Georgius Paſchius, qui in libro de *inventis nou-antiquis* p. 119. itidem diverſa latinitatis addiſcendæ compendia, & conſilia refert, ea inprimis, quæ ſpectant ad civitatem latinam inſtituendam:

Jo. Matthias Geſnerus, qui in *inſtitutionibus rei ſcholaſticæ* cap. II. ſect. 3. fructuoſa,

ac

ac ſalubria præcepta de ſtudio latinæ linguæ rite inſtituendo dedit:

Georgius Nicolaus Kriegkius, cujus *conſtitutionem ſcholæ Ileſeldenſis* ſupra jam laudavimus, in qua rite, ac ſolide de litteris humanioribus, ac ſpeciatim de latinæ linguæ ſtudiis præcepit:

Jo. Laurentius Mosbemius, cujus diſſertationem de *linguæ latinæ cultura, & neceſſitate*, quam præmiſit *Folietæ* libris de *latinæ linguæ uſu, & præſtantia*, itidem jam laudavimus:

Janus Vincentius Gravina in *orationibus & opuſculis* orat. 1., qua agit de litterarum ſtudiis, ac rationem quoque declarat, qua latinam linguam diſcendam eſſe putat; ac præclare monet, quod facultas illius haud comparanda ſit ex grammaticorum libris, ordinemque præſcribit in legendis vetuſtioris Latii auctoribus.

§. XIV.

Diſputatum fuit, num latina lingua ſolo uſu, atque exercitatione, an grammaticorum regulis, ac præceptis ſit diſcenda? Utriusque ſententiæ extiterunt auctores: nos quæ de hoc argumento ſentimus, jam in prolegomenis explanavimus, quum de ſtudiis linguarum rite inſtituendis generatim diceremus; quocirca nunc ſcripta quædam, quæ huc ſpectant, commemorare volumus. *Sanctii Minervæ* addita eſt commentatio, in qua probatur, quod qui latine garriant, ipſam latinitatem corrumpant: confirmare adnititur auctor, quod facultatem latinæ linguæ non loquendo, ſed ſcribendo adſequi, eoque nomine ſtilum diligen-

gen-

Digitized by Google

genter exercere debeamus: adducit ſex objectiones illorum, qui ſtudia linguæ hujus inprimis uſu, atque exercitatione in loquendo abſolvi putant, atque ad ſingulas reſpondet: recte inter alia obſervat, quod latinus ſermo, niſi exercitatio ſtili accedat, ſolo loquendi uſu corrumpatur; aliud enim ſit latine, aliud grammatice loqui; loquendo comparanda quidem ſit facultas grammatica, non vero latina. Cujus ſententiæ, quæ in ſe recta eſt, rationes facile patent: hoc enim modo, neque caſtitatem vocum, ac locutionum, neque elegantiam conſtructionis, & periodorum pueri diſcunt; inprimis ſi ad hujuſmodi colloquia, ſive in loquendo exercitia magiſtri adhibentur, quorum ingenia non ſatis in ſtudiis purioris, atque elegantis latinæ linguæ exculta ſunt, ac perpolita: proinde *Quinctilianus* dicit: *ante omnia ne ſit vitioſus ſermo nutricibus, quas, ſi fieri poſſet, ſapientes Chryſippus optavit, certe quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in his haud dubie prior ratio eſt: recte tamen etiam loquantur, has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus, ut ſapor, quo nova imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt: & hæc ipſa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora ſunt. Nam bona facile mutantur in pejus: nunc quando in bonum verteris vitia? Non aſſueſcat ergo, ne dum infans quidem eſt, ſermoni, qui dediſcendus ſit*, lib. 1. cap. 1. *inſtitut. orat.* Sed in eo a veritate aberratie videtur *Sanctius*, quod ipſum loquendi lati-

latine uſum improbet, qui in ſe haud vitioſus eſt, modo ita adhibeatur, ut ſermonis hujus virtutes haud negligantur. Quod enim ad rem ipſam adtinet, duo illius ſunt capita: alterum eſt, num ſolo uſu cognitio latinæ linguæ ſit comparanda; id quod omnino negandum eſt: alterum vero, num comparata latini ſermonis facultate, uſus illius in loquendo inſtituendus ſit; id quod cur fieri haud poſſit, minus videmus. Immo ſi conſideramus tot tamque diverſa negotia eruditorum, ſæpe illis loquendi latine neceſſitas imponitur: agit quoque de hoc argumento *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. II. c. 9., atque illorum exempla profert, qui hanc rationem linguam latinam diſcendi ſunt ſecuti, cui addere poſſumus *Georgium Paſchium* de *inventis nov. antiquis* p. 129.; ex inſtituto autem diſſeruit de hoc capite doctiſſimus *Jo. Chriſtophorus Otto* in diſſertatione de *latini ſermonis uſu maturius exercendo*, quæ prodiit Lipſiæ MDCCXIV.

§. XV.

Ut pateat, quæ ſit noſtra ſententia de ratione, qua cultura latinæ linguæ debeat inſtitui, diverſitatem cognitionis linguæ hujus merito præmonemus. Triplex illius datur genus: alia enim eſt cultura *grammatica*; alia *ſtili purioris*; alia *critica* ac *philologica*, quæ ſingulæ ſpecies propria habent ſubſidia, quæ ad illarum ſtudia poſſunt adhiberi: per culturam *grammaticam* conſequimur linguæ latinæ facultatem, qua grammatice ſcribere & loqui poſſumus; cultura autem *ſtili purioris* efficit vim ac copiam romane & latine ſcri-

bendi, & loquendi; namque aliud eſt, ſcribere romane, aliud grammatice: grammatica vulgarem loquendi & componendi oſtendit conſuetudinem; doctrina autem ſtili purioris tradit quoque præcepta de caſtitate, elegantia, atque aliis ſermonis virtutibus adſequendis. Equidem nemo latine atque eleganter loqui ac ſcribere poteſt, niſi ſimul obſervet regulas grammaticorum; quapropter grammatica a doctrina ſtili haud ſeparari poteſt: ſed non omnes, qui grammatice tantum loquuntur, ſimul loqui debent latine atque eleganter; quocirca grammatica ſine doctrina de ſtilo conſiſtere poteſt. Cultura latinæ linguæ *philologica* ſollicita eſt de vocum, dictionum, formularum auctoritate, earundemque ſignificationibus, quod proprium munus eſt atque officium philologiæ ſtricte ſic dictæ. In præſenti maxime attingamus ſubſidia, quæ culturæ ſtili purioris neceſſaria ſunt, quumve ab illa grammatica haud poteſt ſecerni, illius quoque habebimus rationem †. Quod igitur ad ſubſidia adtinet, per quæ feliciorem profectionem romanam nanciſci licet, horum alia *præparant* viam; alia vero *perficiunt* ipſum iter: illa quæ præparant viam, ſunt *grammatica*, & *lexicon*

† *Singulis hujus culturæ generibus neceſſaria ſunt hæc ſubſidia*, grammatica, lexicon, lectio, obſervatio, & imitatio, *quamvis diverſa ratione debeant adhiberi: ſic aliter ſeſe habet ſtudium grammaticæ, lexici, lectionis, obſervationis, imitationis in cultura grammatica; aliter in cultura ſtili purioris: aliter in cultura philologica romanæ linguæ.*

xicon, quibus addas *hiſtoriam latinæ linguæ*. Grammatica,& lexicon faciunt, ut juvenibus hæc via ſit amœna, quum illa exhibet & tradit regulas quaſdam;hoc vero vocum copiam, & ſignificationes: grammaticæ ſtudium haud plane negligendum eſt,quod non modo exempla veterum Romanorum, ſed ipſius quoque linguæ,& grammatices indoles teſtantur. Illi, qui exiſtimant, linguas felicius uſu percipi, quam præceptis, & lectione ſcriptorum, ab hac ſententia recedunt; ſed rationes, quas habent, non ſunt graves, ut ſupra jam obſervavimus: diſci poteſt lingua quædam uſu ſine præceptis grammatices, atque auxilio lexici; verum non feliciori ac nobiliori ſucceſſu:namque convenit cum ratione, quod prius intelligenda ſit lingua, quam loquendo & ſcribendo uſurpanda, quoniam multo facilius eſt intelligere, quam ſcribere, aut loqui: ut autem commodius, facilius quoque diſcamus intelligere linguam, id facit grammatica, quæ regulis ſuis præparat viam, cum ad lectionem, tum imitationem quoque veterum auctorum: præter hæc lingua dependet ex uſu & conſuetudine ita, ut heic nulla detur libertas cogitandi, vel potius loquendi ac ſcribendi, cujus conſuetudinis regulas, non dicam ſpeciales, generales ſaltem docet grammatica. Sigiſmundus quidem Imperator ſibi vindicavit jus grammaticum, quum in Concilio Conſtantienſi edixerit, ſe jus habere præ grammaticis pronuntiare *ſchiſmam* pro *ſchiſma* tertio flexionis genere; ſed confutat illud *Joachimus Camerarius præfamine grammatices græcæ*. Lexicorum uſus eo abſolvitur, ut ſi-

ſignificationes dictionum formularumque ex illis cognoſcantur, quarum cognitio intelligendis linguæ auctoribus ſumme neceſſaria eſt; copiam vero verborum vimque dicendi ex illis haurire, repugnat indoli cum lexicorum, tum ingeniorum, quæ diſcendæ linguæ ſeſe conſecrarunt. Qui dictionum copiam haud collegit; deprehendit vero in lexicis abunde formulas unius rei, quomodo quæſo, optimas, quæve rei ipſi reſpondent, poterit eligere, niſi præſtet ingenio, & jam cognoverit, quid quæque ex illis formulis valeat, quidve ſit illi tribuendum? effundit lexicon utilitatem ſuam in auctorum lectionem, ut facilius intelligantur, eorumque mentis ſententiæ clarius pateant: quamobrem nemo dubitabit, uſum hujuſmodi librorum inter alia ſubſidia jure meritoque locatum fuiſſe, quæ viam ad ipſum vetus Latium præparant: huc pertinent verba clariſſimi *Jo: Matth. Geſneri*, nobis amici in *inſtitutionibus rei ſcholaſticæ* cap. 11. ſect. 2. num. 23 p. 60. *diu hærere hoc vitium juventuti ſolet, ut quum lexicis utuntur, quidquid primum occurrerit, illud arripiant, miſerosque adeo centones conſarcinent, quos intelligere etiam, quid ſibi velint, difficile ſit: neque profecto mirum eſt, id ita evenire; quum enim priuſquam ullam ex lectione vocabulorum ſibi copiam acquiſivere, jubeantur ea lingua componere aliquid, aut ſcribere, cujus nihil fere intelligant; non poſſunt judicare, quid cuique loco conveniat, quid minus:* paullo poſt: *primus lexici uſus ſit in quærenda ignotæ vocis ſignificatione, non in quærenda ignota voce, qua alia, quæ nota eſt, reddatur.*

Alia

§. XVI.

Alia ſubſidia iter perficiunt: horum ſunt noſtra ſententia tria, *lectio, obſervatio, imitatio*; *lectio* maxime neceſſaria eſt, in primis quod ad illam linguam adtinet, cujus gens, atque adeo ipſa viva conſuetudo expiravit, nec quidquam, præter veterum conſcripta monimenta, ſupereſt, ex quo cognitio illius debet hauriri ac derivari. Immo vernacula lingua lectione eorum ſcriptorum, qui excellunt iſta, perpolitur, perficitur, ornatur: percipimus illam uſu: ſed qualis eſt? eſt vulgaris & communis dicendi forma, quæ omnino ab ea, qua ſcribunt politiores, diſcrepat; alia quippe lingua eſt vulgaris ac plebeja, alia docta. Sunt exempli cauſſa duo homines gente Germani, qui æquali facultate teutonica loquuntur: alter legit ſtudioſe ſcripta teutonice eleganterque conſcripta; alter vero in conſuetudine & uſu acquieſcens lectionem curæ ſibi neutiquam habuit: age, uterque componat epiſtolas, orationes, ut adpareat, num ſtili elegantia & caſtitate ſint æquales? magnum ſane diſcrimen intelligens harum rerum deprehendet, & quam ſalubris ſit lectio, quamve magnam adferat utilitatem, haud obſcure obſervabit. Tria momenta, quæ ad hoc legendi ſtudium pertinent, debent ſubnotari: primum eſt, quinam auctores ſint legendi? ſecundum, quo ordine ſint legendi? tertium, quo modo ſint legendi? de quibus infra pluribus differendi nobis erit occaſio. *Obſervatio* eſt ſtudium, quo in auctoribus ejuſmodi res obſervamus, quæ utiles ſunt, id eſt, quæ ad caſtitatem, perſpicuitatem, ſuavitatem, elegantiamque

que ſtili pertineant, ſive id fiat ope ſolius memoriæ, ſive ſcripturæ: quo pertinet ſtudium & ratio excerpendi, de qua, cujus ſit utilitatis dignitatiſque, infra verboſius diſputabimus. *Imitatio* vero ea, quæ obſervata fuerunt, transfert ad uſum & facit, ut illius auctoris, quem legimus, vim & modum diſſerendi effingamus. Addimus verba clariſſimi *Goth. Vockerodt.* de *recta & antiqua eloquentia* p. 51. *ex quo itaque latinus ſermo patrius eſſe deſiit, & uſu loquendique conſuetudine vulgari non amplius percipitur, ſed in ſcholis ad certam normam diſcendus, & ex idoneis monumentis, legendo & imitando, eſt hauriendus: quis tam ſtultus eſt, ut, in tanta linguæ confuſione & perturbatione, non ſequi velit normam loquendi optimam & certiſſimam, quæ vetuſta illa latinitatis lege conſtituitur, metirique univerſam linguæ antiquæ excolendæ rationem antiquitatis præſcriptione, & dirigere regula uſus recti, quæ in vetuſtis monumentis dominatur? & ſi omnino loquendi magiſtri deligendi ſunt, cur malis non præferentur boni? ſi ſcholæ noſtræ ſermonis diſciplina carere non debent, cur barbaræ, confuſæ, & difficultatibus impeditæ non anteponeretur recta, ſimplex, & expedita?*

CA-

CAPUT IV.

De Grammaticis Latinis.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Summa capitis hujus indicatur §.I.
Grammaticorum tres claſses conſtituuntur: hinc primum diſſeritur de grammaticis antiquioribus generatim §.II.
Speciatim de eorũ nominib. §.III. *ad* VII. *munerib.* VIII. IX.
Quibus expoſitis, ipſi veteres grammatici latini recenſentur §.X.
Ac cõmemorãtur, qui iſtos junctim ediderunt §.XI. *ad* XV.
Deinde de grammaticis mediæ ætatis §.XVI.
Tum de grammaticis recentioris ætatis, ubi primo loco memorantur, qui artem hanc inſtaurarunt, atque emendarunt §.XVII.
Deinde qui varia grãmaticæ latinæ compendia conſcripſerunt §.XVIII. XIX.
Hiſce traditis, exhibetur notitia ſcriptorum, qui ſpeciatim partem quandam grammaticę illuſtrarunt; ac diſſeritur de ſcriptoribus litterarum romanarum §.XX.
Pronunciationis latinæ linguæ §.XXI.
Orthographiæ romanæ §.XXII. *ad* XXVIII.
Proſodiæ romanæ §. XXIX.
Syntaxeos latinæ §. XXX.
Hiſce obſervationes ſubjiciuntur de indole, neceſſitate, auctoritate, ac cultura grammat. latinæ §.XXXI. *ad* XXXV.

Quæ

Digitized by Google

Quæ ſuperiori capite brevibus attigi, jam verboſius illuſtrare, in animo eſt: propoſui ſubſidia duplicis generis, quorum alia præparant viam; alia ipſum perficiunt iter. Inter illa locum ſuum tenet *grammatica*, cujus momenta capite hoc ita illuſtrabo, ut primum breviorem illius hiſtoriam ævi vetuſtioris, medii, ac recentioris tradam: deinde obſervationes quaſdam de grammaticarum præſtantia, indole, & genuino veriorique uſu ſubjiciam. Ne ſuboriatur confuſio, lectorem præmonendum eſſe exiſtimo, quod *grammaticarum* vox a me ea ponatur ſententia, ut ſimul ad philologiam interdum reſpiciat.

§. II.

Ut accuratius perſequamur argumentum noſtrum, debet obſervari, quod ars *grammatiſtica* ab ipſa grammatica, quæ præcepta linguam curatius diſcendi exhibet, multum differat: illa altioris antiquitatis eſt, quam hæc; vide *Hermannum Hugonem* de *prima ſcribendi origine* Antuerp. MDCXVII. 8., *Gerh. Jo. Voſſium* de *arte grammatica*. l. III. p. 8., *Jo. Wowerium* de *polymathia* c. V. p. 36., *Jo. Alb. Fabricium bibl. græc.* tom. I. p. 159., & ejuſdem *bibl. antiquar.* p. 609. De origine grammatices generatim non ſumus ſolliciti, quia de Romanorum litteris diſputamus: de primo illorum cultu, quem in artem grammaticam contulerunt, ſic loquitur *Svetonius* de *illuſtribus grammatic.* cap. 1.: *grammatica olim Romæ ne in uſu quidem, nedum in bono, e ullo erat, rudi ſcilicet ac bellicoſa etiam tum civitate, nec dum magnopere liberalibus diſciplinis vacante: initium quoque*

ejus

ejus mediocre exſtitit ; ſi quidem antiquiſſimi doctorum, qui iidem & poëtæ & oratores ſemigræci erant (Livium & Ennium dico, quos utraque lingua, domi foriſque docuiſſe adnotum eſt) nihil amplius, quam græce interpretabantur ; ac ſi quid latine ipſi compoſuiſſent, prælegebant: nam quod nonnulli tradunt, duos libros, de litteris ſyllabiſque, *item* de metris, *ab eodem Ennio editos, jure arguit Lucius Cotta, non poëtæ, ſed poſterioris Ennii eſſe, cujus etiam* de augurandi diſciplina *volumina feruntur* : & cap.II. *primus igitur, quantum opinamur, ſtudium grammaticæ in Urbem intulit Crates Mallotes, Ariſtarchi æqualis. Mallotes* igitur, cui patria *Mallos* urbs Ciliciæ, primus Romanorum grammaticus fuit, & ætate Ariſtarchi ingenio nituit, qui Ariſtarchus grammaticus Alexandrinus floruit olympiade CLVI. ſub Ptolemæo Philometore: videantur *Suidas*, *Athenæus*, *Strabo*, & *Leo Allatius* de *patria Homeri*.

§. III.

Dicendorum de antiquis grammaticis eum ordinem ſequamur, ut primum nomina, deinde officia illorum exponamus, ac demum eos ipſos recenſeamus. Quod ad *nomina* adtinet ; initio dicti ſunt *litterati*, *Suet.* c.I.cap.IV. *Diomed.* II.p.424.edit.*Putſchii*: *artium genera ſunt plura, quarum grammatice ſola litteralis eſt, ex qua rhetorice & poëtice conſiſtunt* : *idcirco litteralis dicta, quod a litteris incipiat ; nam & grammaticus latine litteratus eſt adpellatus, & grammatica litteratura, quæ formam loquendi ad certam rationem dirigit.* Grammatica vocatur *litteratura*, a *Fabio* lib. II. cap.14.,

Mar-

Martiano Capella lib.iii., *Mario Victorino* lib.i. *artis grammat.*, & aliis; vide *G. I. Voſſium* de *art.grammat.* p.2., & *Schottum obſ. hum.*iii. 14. A litteratis differunt litteratores. *Suetonius* d.l. *ſunt, qui litteratum a litteratore diſtinguant, ut græci grammaticum a grammatiſta; & illum quidem abſolute, hunc mediocriter doctum exiſtiment, quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat*: idem diſcrimen *Capitolinus vit. M Antonini philoſ.*cap.ii. notat: *uſus eſt magiſtris ad prima elementa Euphorione litteratore, grammaticis Apro & Pollione*. Litteratores vocãtur *magiſtri litterarii* apud *Vopiſcum* in *Tacito* cap.vi., *primi magiſtri* apud *Auguſtinum confeſſ.*i.13., *magiſtri ad prima elementa* a *Julio Capitolino* d.l., item *litteriones* ab *Ammiano Marcellino rerum geſtar.*lib.xvii.c.22.: adde *Apulejũ florid.* p.363., *Jo. Wovveriũ* de *polymathia* cap.iv.p.28., *Budde.* in *diatrib. de ſtudiis liberalibus apud veteres Romanos* p.18.19., & *Samuël. Pitiſcum obſerv. ad Sveton.* cap.iv. de *illuſtr. grammat.* p.1067.

§. IV.

Poſthæc vocati ſunt *grammatici*, ut habet *Suetonius* cap.iv. *appellatio* grammaticorum *græca conſuetudine invaluit. Grammatica*, inquit *Marius Victorinus* ἀπὸ τῶν γραμμάτων, i.e. *a litteris, a quibus incipere debet*: adde *Iſidorum origin.*i., 3. *A grammaticis* diſtincti ſunt *grammatiſtæ*, qui differunt ut *literati*, & *litteratores*. *Apulejus floridis* p.363. *prima cratera litteratoris ruditatem eximit, ſecunda grammatici doctrina inſtruit*; confer. *G.I. Voſſium* de *arte grammat.* p.5. Interdum etiam ar-

artem ſcribendi & legendi nomine grammaticæ comprehenderunt: nec ſemper diſcrimen γραμματικῶν & γραμματιςῶν accurate obſervatum fuit, qua de re legi poteſt *Jo. Wowverius* de *polymath.* p. 34. 35. *Suetonius* d.l. ait; *ſunt, qui litteratum a litteratore diſtinguant, ut græci grammaticum a grammatiſta: & illum quidem abſolute, hunc mediocriter doctum exiſtiment.* Grammatica in duas quaſi ſcholas diviſa fuit, quarum altera rudior ac pœne popularis, quæ a poſteris dicta fuit grammatiſtica, & a Romanis, auctore *Varrone*, *litteratio*; altera perfectior, quæ pertineret ad politiores, cujus nomen fuit *grammatica*, quam Romani etiam *litteraturam* dixerunt: nomen græcum deinde etiam ad Romanos transmigravit. *Lampridius* de *Alexandro Severo* c. III. *nam in prima pueritia litteratores* (grammatiſtas) *habuit Valerium Cordum, & T. Veturium, & Aurelium Philippum libertum patris: grammaticum in patria græcum Nebonem, rhetorem Serapionem, philoſophum Stilionem: Romæ grammaticos, Scaurinum Scaurini filium, doctorem celeberrimum, rhetores Julium Frontinum, & Bæbium Macrinum, & Julium Granianum.*

§. V.

Grammatici porro adpellati ſunt λογόφιλοι, qui in verbis occupati ſunt, & φιλόλογοι ex veterum uſu ſunt ſtudioſi hiſtoriarum, & variæ eruditionis: vide *Jo: Wowverium* de *polym.* cap. XV. p. 114., & *Jo. Chr. Wolfium* ad *Libanii epiſtolas* p. 225.. Quamvis in antiquis lapidibus ſæpe occurrat adpellatio *grammatici philologi*; *Seneca* tamen *epiſt.* CVIII. diſtinguit gramma-

ti-

ticum a philologo, & ipſa vox *philologiæ* pro variarum litterarum eruditione a veteribus uſurpatur. Hinc *Suetonius* cap. x. de Attejo: *philologi adpellationem aſſumſiſſe videtur; quia ſicut Eratoſthenes, qui primus hoc cognomen ſibi vendicavit, multiplici variaque doctrina cenſebatur*. Quum itaque interdum grammatica dicitur φιλολογία, & grammatici φιλόλογοι, ſignificatio vocum harum latius debet extendi, ut ſcientiam variarum litterarum comprehendant: unde *Fabius* lib. II. c. I. *Grammatice, quam in latinum transferentes, litteraturam vocaverunt, tenuis a fonte, aſſumtis poëtarum hiſtoricorumque viribus, pleno jam ſatis alveo fluit: cum præter rationem recte loquendi non parum alioqui copioſam, prope omnium maximarum artium ſcientiam amplexa ſit*.

§. VI.

Grammatici antiquitus *criticorum* quoque nomen tulerunt. *Dio Chryſoſtomus orat.* LIII. de *Homero*: οἱ δὲ αὐτὸ τοῦτο τὴν διάνοιαν ἐξηγούμενοι, οὐ μόνον Ἀρίσταρχος, καὶ Κράτης καὶ ἕτεροι πλείους τῶν ὕστερον γραμματικῶν κληθέντων, πρότερον δὲ κριτικῶν. *Clemens Alexandrinus ſtromat.* I. p. 309. Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κυμαῖος πρῶτος τοῦ κριτικοῦ εἰσηγήσατο τοὔνομα, καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη. ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένη τὸν Κυρηναῖον φασιν. ἐπειδὴ ἐξεδωκεν οὗτος βιβλία δύο, γραμματικὰ ἐπιγράψας, ὠνομάσθη δὲ γραμματικός *Apollodorus autem Cumanus, primus critici nomen ſuſcepit, & adpellatus eſt grammaticus. Nonnulli autem dicunt Eratoſthenem Cyreneum: quoniam autem duos edidit libros, quos inſcripſit grammaticos, nominatus eſt grammaticus*. Servius Papi-

pirius Pætus *litteratiſſimus criticus* a *Cicerone* lib.IX.*epiſt.*16.vocatur,qui ſeipſum IX.*epiſt.*10. *criticum antiquum* nominat: quemadmodum vero a græcis κριτικοὶ, ita latinis *judices* dicti ſunt; vide *Horatium* lib.I.*ſat.*10., *Quinctilianum* lib.x., *Aul. Gellium* lib.x. cap. 18.Latiores erant grammaticorum fines; hinc quidam ex illis de poëtarum carminibus præcipue judicaverunt, qui in primis dicebantur *critici*. *Euſtathius* Homeri ſcholiaſtes, ad Iliad. β. nominat κριτικοὺς τοὺς κατὰ τὴν γραμματικὴν παράδοσιν εἰδότας κρίνειν τὰ ποιήματα: hunc ſequitur *Cæl. Rhodiginus lect. antiq.* lib.XIV.c.II. quo de *criticorum ratione dierum* exponit: *ſunt &*, inquit, *nomenclatura eadem grammatici*, *Euſtathio tradente*, *qui poëmata ad examen vocant judicantque*: conf. *Philippi Caroli obſervat.in A. Gellium* XIII. 15. p.491.,*Andr. Schottum* lib.IV.cap.3.*Tull.quaeſtion.*,*G.J.Voſſium* de *arte grammatica* cap.1. & 6.,*Caſp.Scioppium* de *arte critica* p.1.ſeqq., *Jo. Clericum præfat.art. crit.* Quo etiam nomen *cenſorum* pertinet,quod criticis & grammaticis fuit impoſitum, quum de ſcriptis aliorum ferrent judicium. *Horatius* lib.II.*epiſt.* 2.v.109.

Atqui legitimum cupiet feciſſe poëma,
Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti.

idem de *arte poëtica* ad Piſones, de ſenum exponens moribus v.173.

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor caſtigatorque minorum.

§. VII.

Polyhiſtores nominati quoque ſunt grammatici: varii eruditi viri in antiquorum mo-

nimentis memorantur, qui dicti ſunt polyhiſtores, ac fuerunt grammatici: multi referunt ad hos C. Julium Hyginum, illuſtrem grammaticum, qui præfuit bibliothecæ palatinæ; ita exiſtimant *Jo: Lomeier* de *bibliothecis* cap. XIII. p. 256., *Gerh Jo: Voſſius* de *hiſtoric. latin.* lib. I. cap. 20. p. 102., qui hanc in cauſſam memorat *Hieronymum* in *chron. Euſeb.* ad annum MMVIII., *Wovver*. de *polymath.* cap. XV. §. 8. p. 152., *Jo: Albertus Fabricius biblioth. latin.* lib. II. cap. I. not. p. 303.; quæ opinio his *Svetonii* de *illuſtribus grammat.* cap. XX. verbis nititur: *Cajus Julius Hyginus, Auguſti libertus, natione Hiſpanus, etſi nonnulli Alexandrinum putant, & a Cæſare puerum Romam advectum, Alexandria capta; ſtudioſe & avide imitatus eſt Cornelium Alexandrum grammaticum græcum, quem propter antiquitatis notitiam* polyhiſtorem *multi, quidam* hiſtoriam *vocabant.* Verum verba hæc non Hygino, ſed Cornelio Alexandro agnomen *polyhiſtoris* attribuunt, qui Alexander Cornelius nomen hoc tulit, ut copioſe *Jo: Jonſius* de *ſcriptorib. hiſtor. philoſ.* lib. II. cap. 16. p. 235. probat, adde *Jo: Mollerum prolegom. ad Morhoſ. polyhiſt.* p. 2. Apion grammaticus quoque, contra quem Flavius Joſephus ſcripſit, dicitur *polyhiſtor*, de quo videre poſſumus *Gellium* V. 14. Verum adpellati ſunt *polyhiſtores* a varia rerum ſcientia, prout grammatica non ſolum deſignabat artem bene loquendi, aut ſcribendi, ſed & hiſtoriarum ac fabularum cognitionem: hinc *Svetonius* d. l. de Cornelio Alexandro, grammatico græco commemorat, quod eum propter antiquita-

tis

tis noticiam *polyhiſtorem* multi, quidam *hiſtoriam* vocaverint, de quo *Euſebius*: συνάδει δὲ τούτοις ὁ πολυΐςωρ Ἀλέξανδρος, πολύνους ὢν καὶ πολυμαθὴς ἀνὴρ, τοῖς τε μὴ πάρεργον τὸν ἀπὸ παιδείας καρπὸν πεποιημένοις Ἕλλησι γνωριμώτατος, *concinit iſtis Alexander polyhiſtor, vir acutus & variæ ſcientiæ, ac græcorum iis notiſſimus, qui non perfunctorie fructum cepere ex ſtudiis.* quo nomine Telephus, teſte *Suida*, librum ſcripſit πόσα χρὴ εἰδέναι γραμματικόν, *quantum ſcire oporteat grammaticum.* C. *Julius Solinus* opus ſuum ex hiſtoria naturali Plinii collectum, *polyhiſtoris* nomine inſcripſit; confer *Morhofii præfation. polyh.*: quomodo vocati ſint grammatici *magiſtri*, item *profeſſores*, id declarat *Wovver.* de *polymath.* p. 29.

§. VIII.

Quod ad munera veterum Grammaticorum adtinet, illa diverſa fuerunt: tria illorum genera obſervantur: alii τεχνικοί, alii ἱςορικοί, alii κριτικοί vocantur. Grammaticam τεχνικὴν, ſive μεθωδικὴν *Quinctilianus* 1. 15. definit *rationem recte loquendi*, ad quam duo pertinent lectio, & emendata locutio: vide *Jo: Wovverium* c. 1. p. 54. 55. Grammatica ἐξηγητικὴ in ſcriptorum interpretatione verſata eſt, quum explicarint poëtas, prout Plautum illuſtrarunt veteres grammatici Aruntius Celſus, Flavius Caper, L. Siſenna: legendi ſunt *Jo: Alb. Fabricius bibl. latin.* p. 8., *Jo: Scheffèrus gymnaſio ſtili* p. 57., & *Jo: Maſſonius vita Horatii* p. 20. κριτικὴ conſiſtebat in emendatione, & judicio de codicibus, quibus grammatici ſtatuebant pretium, cujus rei teſtimonium habemus apud *Gellium* v., 4. *apud Sigillaria forte*

te in libraria conſedimus ; atque ibi expoſiti erant Fabii annales , bonæ atque ſinceræ vetuſtatis libri , quos venditor ſine mendis eſſe contendebat : grammaticus autem quiſpiam e nobilioribus ab emtore ad ſpectandos libros adhibitus , reperiſſe unum in libro mendum dicebat:adde *Jo: Clericum arte critica* p.111.ſ.1.c.2. p.25.26., & *Samuel. Pitiſcum* in *Svet. de illustr. grammatic.* p.1079. 1090.Qui plura deſiderat , ille conſulere poteſt *G.J. Voſſium* de *arte grammatic.* p.12.20. 21.23.,*Jo: Wovverium* de *polymath.* p.52.114.144.ſeqq.,*Jacob. Perizonium* ad *Sanctii Minervam* p.12.13.,interpretes *Svetonii* de *illuſtribus grammaticis*, præcipue *Pitiſcum* , *obſervationes Halenſes* tom.1. obſ.4. §.28. , & *diatr. noſtr. de dedic. libr. veter.rom.* p.9.10.

§. IX.

Grammatici fere omnes fuerunt ſervi , poſtea vero a dominis ſuis manumiſſi , quorum nomina etiam ſolebant adſumere : ſed ubi ars hæc majora incrementa cepit , ſibique gratiam patronorum conciliavit , grammaticis quoque honor adtributus fuit , auctore *Svetonio* de *illuſtr.grammat.*cap.III. : illorum erant *tanta pretia, mercedeſque tam magnæ , ut conſtet Lutatium Daphnidem , quem Lenæus Meliſſus per cavillationem nominis πᾶνὸς ἄγημα dicit , ducentis millibus nummum Quinto Catulo emptum, ac brevi manumiſſum.* Ubi igitur hi homines inclaruerunt , munus illorum plerumque fuit , ut vel bibliothecis ordinandis , vel principum liberis erudiendis præeſſent : ſic præfuit bibliothecæ Palatinæ , ſive quæ poſita erat in Palatio C. Julius

Hygi-

Hyginus grammaticus, ut habet *Suetonius* de *illuſtr. grammat.* c.xx.n.1.; Romanæ Dionyſius Alexandrinus, teſte *Suida*: Alexandrinæ Demetrius Phalereus, ut *Tertullianus apol.* c. xviii.teſtatur: *Ptolemæorum eruditiſſimus ex ſuggeſtu Demetrii Phalerei, grammaticorum tunc probatiſſimi, cui bibliothecarum præfecturam mandaverat*: Cajus Meliſſus curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu ſuſcepit,apud *Svetonium* cap.xxi. Cæſar M. Varroni comparandi & digerendi bibliothecas græcas latinaſque negotium dedit, eodem auctore in *vita Cæſaris* cap.xliv.; adde *Chr. Faiſteri quæſtiones romanas* p.174. Quod ad reliqua veterum grammaticorum momenta adtinet, ubi & quomodo docuerint, quam mercedem acceperint, quæ fata multos grammaticos ſint conſequuta, ea hujus loci non ſunt, nec de illis adeo ſolliciti ſumus, quum iſta non ſolum *Svetonius* ejuſdemque interpretes, ſed *Wovverius* quoque, *Voſſius*, & alii copioſe explicarunt.

§. X.

Nunc ad ipſos veteres grammaticos accedamus, & principes illorum pro ſpatii ratione commemoremus: alii eorum poſteritati nihil reliquerunt, nec quidquam præter nomen notum eſt: aliorum opera, quæ tradiderunt litteris, partim injuria tempeſtatum interciderunt; partim poſterorum utilitati ſunt conſervata. Debet quoque triplex grammaticorum genus obſervari, quod alii fuerint τεχνικοὶ, alii ἐξηγητικοὶ, alii κριτικοὶ, quamvis nonnulli illorum, qui fuerunt ἐξηγητικοὶ, recte quoque ad lexicorum claſſem referventur.

Quod ad eos adtinet, de quibus nihil ad nos pervenit, varios illorum recenſet *Svetonius*, quo pertinent Crates Mallotes, Sævius Nicanor, Aurelius Opilius, M. Antonius Gnipho, Pompilius Andronicus, Orbilius Pupillus, Attejus Philologus, Valerius Cato, Laberius Hiera, Lenæus, Q. Cæcilius Epirota, Lucius Craſſitius, Scribonius Aphrodiſius, C. I. Hyginus, C. Meliſſus: deſideramus quoque libros duos Ennii junioris, quibus de litteris ſyllabiſque, item de metris commentatus eſt; libros Julii Cæſaris de analogia, & quæ ſcripſerunt Nigidius Figulus, Cornelius Nepos, Aruntius Comminianus, Plinius ſecundus, Valgius. Ex veteribus criticis clari ſunt L. Ælius Stilo, Santra, Varro, Nigidius Figulus, Verrius Flaccus, Palæmon, Aſcanius, & alii. Valerius Probus, ut de eo *Svetonius* prodit, *multa exemplaria contracta emendare ac diſtinguere, & adnotare curavit, ſoli huic, nec ulli præterea grammatices parti deditus*: plura habebis apud *Gerh. Jo: Voſſium* de *arte grammatica* lib. 1. cap. 4. 5. 6., & libro de *philologia*, † *Jo: Albert. Fabricium bibliotheca latina* vo-

† *Dolendum eſt, quod hiſtoria veterum grammaticorum iis, quibus par eſſet, commentariis haud fuerit illuſtrata. Svetonius multa habet præclara: ſed ipſi operi non ſatiſfecit. Bailletus tom. 11. p. 1. p. 189. ita judicat:* l'ouvrage de Suetone nous ſeroit d'un plus grand uſage, ſi nous avions les ecrits de ces grammairiens illuſtres, dont il parle. Neanmoins comme c'eſt une piece de l'antiquité on la doit reſpecter, & la reputation de ſon Auteur doit

volum III.p.773.,& *Chr. Falſterum* in *quæſtionibus romanis* p.156.,& in *memoriis obſcuris clariſſimorum quorundam ingeniorum & monumentorum apud veteres Romanos ex latebris ſuis erutis & renovatis*, quæ prodierunt MDCCXIX.

§. XI.

Quamvis multa veterum grammaticorum interciderint, habemus tamen nonnulla ex ſcriptis illorum conſervata: fuerunt clariſſimi viri, qui hæc opera illorum in ſummam redegerunt, ea denique conjuncta faſciculis quibuſdam protulerunt in lucem, quo opere functi ſunt *Dionyſius Gothofredus*, *Jo: Theodor. Bellovacus*, *Elias Puſtchius*, & *Georgius Fabricius*, de quorum labore jam paucis diſſeramus. *Dionyſius Gothofredus* † protulit *auctores latinæ linguæ* in unum reda-

doit la faire eſtimer, quoy qu'on puiſſe dire qu'un homme qui ſe mêleroit d'ecrire aujourd'huy ſur une matiere ſemblable, & qui ne feroit pas mieux, auroit bien de la peine a ſe ſavver de la cenſure des critiques de ce ſiecle: *poſt Svetonium nemo exſtitit, qui hoc hiſtoriæ argumentum illuminaſſet; auctores autem recentioris ævi plurima debent Svetonio*: *laudatur Petr. Ang. Spera libris quinque de* nobilitate profeſſorum grammaticæ & humanitatis utriuſque linguæ, cum eorum elogiis *Neap.*MDCXLI.4.,*vide Toppii* biblioth.Neapolitan. *Scioppius habet quædam in* conſultationibus de ſcholarum & ſtudiorum ratione p.73.

† *Pariſiis natus* MDXLIX., *& variis locis* pu-

dactos corpus, adjectis notis, Gen. MDXCV. MDCII. MDCXXII. In hoc corpore continentur 1 M. Terentii Varronis quæcunque ſuperſunt ex libris XXIV. de lingua latina; 2. M. Verrii Flacci fragmenta: 3. Sexti Pompeii Feſti fragmenta; 4. Nonnii Marcelli liber de varia ſignificatione verborum: 5. Fabii Planciadis Fulgentii de priſco ſermone ad Chalcidium: 6. Iſidori Hiſpalenſis epiſcopi originum, ſive etymologiarum libri XX. 7. grammaticorum veterum Cornelii Frontonis, Nonii Marcelli, Agrætii, Ælii Donati, Aruntii Celſi, Fl. Soſipatri Chariſii, Q. Aſconii Pediani, Marii Servi Horati, Sex. Pompeii Feſti, Q. Terentii Scauri & Agellii de differentiis & proprietate latini ſermonis excerpta; vocum aliquot apud Terentium explicatio: 8. calendarium vetus romanum: 9. de nominibus impoſitivis ex Conſtantini cenſura fragmentũ, quod tribuitur Tito Probo: 10. Valerii Probi de notis Romanorum interpretandis libellus: 11. notæ juris a Magnone collectæ; Petri Diaconi de notis litterarum more romano liber ad Conradum Imp. Romanum; de notis ponderum & menſurarum, ſive de minutiis ex Demetrio Alabaldo: incerti auctoris antiqui de notis litterarum ſingularium & dictionum con-

publice litteras juris & humanitatis profeſſus eſt: obiit Argentorati MDCXXII. *fama nominis ſui totum litterarum orbem implevit, quoniam ſcientiis omnis litteraturæ excelluit mire: vide Witte* vit ICtorum dec. 1., *& Freberum in* theatro *p.* 1034.

contractiꝰ ſcriptarum : 12. Bedæ Venerabilis presbyteri brevis tractatus de computo, ſive loquela per geſtum digitorum : 13. liber gloſſarum : de opere hoc copioſe diſſerit celeberrimus *Jo: Alb. Fabricius bibl. latin.* p.763. & volumine III.p.580.

§. XII.

Opera *Jo. Theod. Bellovaci* veteres grammatici duodecim latini junctim editi ſunt MDXVI. ex officina Aſcenſiana fol.,cujus operis ſumma hæc eſt: 1. Diomedis libri III. 2. Q. Rhemnii Palæmonis ars ſecunda. 3. Aſpri junioris grammatici ars. 4. Aelii Donati editio prior, & poſterior, item de barbariſmo, vitiis, & tropis. 5. Servius Honoratus in ſec. edit. 6. Sergius grammaticus. 7. Phocas de nomine, & verbo, item de aſpiratione. 8. Caper de orthographia, & proprietate. 9. Agrætius de orthographia,& proprietate. 10. Probi grammatici inſtitutiones artium, item catholica. 11. Cornelius Fronto de vocum differentiis. 12. grammaticus alter de punctis, & accentibus; hanc collectionem refert ad libros rariores auctor *novæ librorum rariorum collect.* faſcicul. 1. præf. p. 20.

§. XIII.

Elias Putſchius, Antwerpienſis edidit Hanov. MDCV. † grammaticos veteres collectos, & emendatos, quo opere continentur. 1. Fla-

† *Jo. Henr. Boeclerus bibliographia* p. 22. *exiſtimat, opus Puſchii prius, quam Gothofredi adſpexiſſe lucem: ſed hoc erratum ab eo fuit.*

1. Flavii Soſipatri Chariſii inſtitutionum grammaticarum libri v. 2. Diomedis de oratione, partibus orationis, & vario rhetorum genere libri III. 3. Priſciani Cæſarienſis commentariorum grammaticorum libri XVIII., ejusdem partitiones verſuum XII. principalium, ſive primi cujusque in ſingulis libris Æneidos, liber de accentibus, de declinatione nominum, de verſibus comicis, de præexercitamentis rhetoricæ; de figuris, & nominibus numerorum, & de nummis, ac ponderibus ad Symmachum liber. 4. Q. Rhemnii Fannii Palæmonis Vicetini ars grammatica. 5. M. Valerii Probi grammaticarum inſtitutionum libri II., ejusdem de notis Romanorum interpretandis libellus; notæ juris a Magnone collectæ ad Carolum M. Imp., Petri Diaconi de notis litterarum more Romano liber ad Conradum I. Imp., notarum veterum explicatio ex Papiæ gloſſario: notarum juridicarum explanatio ex veteribus membranis: notæ numerorum, ac ponderum ex antiquo codice. 6. Phocæ grammatici ars: ejusdem de aſpiratione; Aſpri junioris grammatici ars. 7. Ælii Donati ars, ſive editio prima: de litteris, ſyllabisque pedibus, & tonis, editio ſecunda: de octo partibus orationis: de barbariſmo, ſolæciſmo, ſchematibus, & tropis. 8. Servii Marii Honorati in ſecundam Donati editionem; de ratione ultimarum ſyllabarum liber ad Aquilinum: ars de pedibus verſuum, ſive centum metris. 9. Sergii grammatici in primam Donati editionem commentarius: ejusdem in ſecundam editionem commentarius. 10. ars Celidonii, ſive Cledonii

donii Romani. 11. Maximi Victorini de re grammatica ſive de orthographia liber; ejuſdem de carmine heroico; de ratione metrorum commentarius. 12. D.Aurelii Auguſtini de re grammatica liber. 13. ars P.Conſentii V.C.de duabus orationis partibus nomine, & verbo. 14. Flacci Alcuini, ſive Albini Caroli M. Imp. magiſtri grammatica. 15. Eutychis grammatici diſcipuli Priſciani de diſcernendis conjugationibus libri II. 16. Cornelius Fronto de differentiis vocabulorum. 17. incerti de differentiis vocum. 18. Velius Longus de orthographia. 19. Flavii Capri de orthographia; ejuſdem de verbis dubiis. 20. Terentii Scauri de orthographia. 21. Agrætius de orthographia, proprietate, & differentia ſermonis. 22. Magni Aurelii Caſſiodori de orthographia liber; ejuſdem de arte grammatica ad Donati mentem fragmentum. 23. Beda de orthographia; ejuſdem de metrica ratione liber unus: 24. Terentiani Mauri de litteris, ſyllabis, pedibus, & metris carmen. 25. ars grammatica Marii Victorini de orthographia, & ratione metrorum. 26. Marii Plotii de metris liber; ars Cæſii Baſſi de metris. 27. Attilii Fortunatiani ars, & de metris Horatianis. 28. commentarius *Rufini* in metra Terentiana. 29. Cenſorino adſcriptum fragmentum de metris. 30. Ambroſii Macrobii Theodoſii de differentiis, & ſocietatibus græci latinique verbi libellus. 31. libellus Bedæ vulgo inſcriptus de orthographia: de his ſcriptis veterum grammaticorum diſſerunt celeberrimi *Fabricii*, *Jo. in hiſtoria bibliothecæ* par.3.p.494. *Jo. Albertus biblioth.latin.*p.781.

&

& volumine III. illius p.724.; vitam vero Putſchii recenſet *Jo. Conrad. Zeltnerus* in *centuria correctorum in typographiis eruditorum* p.447. qui annum MDCI. memorat, quo hæc veterum grammaticorum collectio prodierit.

§. XIV.

Georgius Fabricius collegit quoque libellos veterum grammaticorum, eorum in primis, qui de differentiis, & proprietate ſermonis latini ſcripſerunt, Lipſiæ MDLXIX. 8. hoc faſciculo adparent. 1. Cornelius Fronto, quem etiam ediderat Lucas Loſſius Baſil. MDLXVI. 8. præmiſſa vita illius; Fabricius adjecit notas criticas. 2. Nonius Marcellus, de quo *Fabricius bibl. lat.* p.766. 3. Agrætius de proprietate, & differentia ſermonis, qui etiam extat p.2266. collectionis *Putſchii*. 4. Ælius Donatus. 5. Arruntius Celſus, qui Terentium, & Virgilium notis illuſtravit. 6. Fragmentum Flavii Soſipatri, quod *Vulcanius* quoque ſubjecit *gloſſariis*, ſive *theſauro utriusque linguæ* Lugd. Bat. MDCLXXVII. 7. Q. Aſconius Pedianus. 8. Marius Servius Honoratus illuſtris interpres Virgilii. 9. Sex. Pompejus Feſtus. 10. M. Terentius Varro. 11. Q. Terentius Scaurus. 12. A. Gellius; quæ monimenta de differentiis, & proprietate latini ſermonis extant quoque in opere *Dionyſii Gothofredi*, eademque cum *Iſidori originibus* edita fuiſſe a *Bonav. Vulcanio*, jam monuit *Fabricius* c. l.; legenda ſunt, quæ doctiſſimus *Jo. David Schreberus* in *vita Georgii Fabricii* p. 228. de hac collectione obſervavit. Sunt adhuc alii, qui nonnullos veteres grammaticos junctim paſſim aliis operibus ſubjecerunt; ſed horum

jam,

jam *Fabricius* mentionem fecit, cui addi poteſt *Adrian. Baillet* in *jugemens ſur les ouvrages des auteurs* tom.III. p 26. *D. G. Morhofius* de grammaticis *Dionyſii Gothofredi polyh. litter.* lib. IV. cap. 10. §. 2. ita judicat: *quamquam ſi verum fateri velimus, auctores hi etymologiam potius tractant, quam ut artis grammaticæ regulas pertractent: ſuntque in iis etymologiis multa eorundem deliria, quum nemo infelicius in hoc ſtudiorum genere ſit verſatus, quam ipſi Romani, ut ſunt plerique nationis vernaculæ grammatici peſſimi verborum interpretes.* Omnino res ita ſe habet: veteres grammatici, quorum ſcripta viri eruditiſſimi ediderunt, multa interdum tradiderunt, quæ ſunt nugæ, in primis ubi in etymologiis explicandis verſantur, id quod illi præcipue fecerunt, quos collegit *Dionyſius Gothofredus*; quocirca collectiones *Putſchii*, & *Fabricii* majoris ſunt pretii, ac dignitatis: ſed tamen hoſce auctores plane abjiciendos eſſe a cultoribus latinæ linguæ, in primis ubi ad philologiæ Romanæ ſtudia tractanda ſe converterunt, perſuadere nolimus; inter præcepta enim ſterilia, quæ habent, occurrunt obſervationes, quæ linguæ huic lucem adferre poſſunt.

§. XV.

Superſunt alii adhuc grammatici, qui ſe ad philologiam, & criticam contulerunt, eamque variis ingenii ſui monimentis reddiderunt ornatam: huc pertinent *M. Terentius Varro*, cujus ſupra mentio facta eſt, vide *Caſp. Scioppii artem criticam* p.5.; *Aſconius Pedianus*, auctor *commentariorum in orationes Ciceronis*, qui adhuc exſtant, quamvis mu-

tiſſ in quaſdam e. g. in Verrem, pro C. Cornelio, contra Antonium, Catilinam, in L. Calpurnium Piſonem; *A. Gellius*, libris XX. *noctium Atticarum*, quibus multa diſſerit, quæ ſpectant ad philologiam Romanam; *Fabius Quinctilianus*, qui in *inſtitutionibus oratoriis* nobiliora philologiæ argumenta profert; Julius Solinus in *collectaneis rerum memorabilium*, ſive *polyhiſtore*; *Cenſorinus*, non eo opere, quod ſcripſit de *die natali*, ſed aliis libris, qui perierunt, quoniam a *Priſciano* lib. I. de *grammat.* dicitur *excellens grammaticus*; *Macrobius*, *commentariorum in ſomnium Scipionis* a Cicerone deſcriptum libris duobus, & *ſaturnaliorum conviviorum* libris VII., quibus profert interdum, quæ philologiam Romanam illuſtrant, quamvis uberior ibi ſegnis ſit antiquitatum; *Ælius Donatus*, cui *commentarii in Virgilium*, & *Terentium* adtribuuntur: *Servius* interpres Virgilii; *Marcianus Capella*, qui ſcripſit dictione aſpera ſatiram novem libris, quorum duo priores continent philologiæ ἀποθέωσιν, ſive fabulam de *nuptiis philologiæ, & mercurii*: in Juvenalem adhuc ſcholiaſtes quidam vetus extat, item in Perſium, quem plerique adpellant *Cornutum*: in Horatium *Acron* ſupereſt, & in Statium *Luctatius*, qui & dicitur *Latatius*, *Placidus Lactantius*: vide pluribus *Adr. Baillet* in *jugemens* tom. II. p. 8. ſqq., & *Jo. Henr. Boecleri bibliographiam criticam* p. 24.

§. XVI.

Medio ævo, prout triſtiora fata Romanorum lingua experta eſt; ita ſtudium quoque grammaticæ plane neglectum, ut omnia in

Lar-

barbarorum inſulis nata viſa fuerint. Monachi hanc grammaticæ diſciplinam tractarunt inepte, ac præcepta illius conſcripſerunt ſermone ligato. *Alexander Doleſius*, ſive *De Villa Dei*, qui floruit MCCXL. *doctrinale grammatices* carmine leonino compoſuit, quod cum interpretatione *Ludovici de Guaſchis* prodiit litteris Gothicis Venet. MCCCCLXXXIII., & cum *Petri Hiſpani tractatibus* Moguntiæ, & iterum ſub titulo *grammatices latinæ* MCCCCLXXXVI., & Norimb. MCCCCXCII.; vide *Cornelium* a *Beughem* de *incunabulis typographiæ* p. 9.; initium hujus operis fuit:

Scribere clericolis paro doctrinale novellis
Quod legant pueri pro nugis Maximiniani.

Idem *Beughem* meminit *Petri Heliæ grammaticæ* metro hexametro ſcriptæ, cum commentario *Jo. Sommerfeld* Argentorati MCCCCXCIX. fragmentum hujuſcemodi grammaticæ metricæ profert *Adamus Rechenbergius diſp. de ineptiis litterariis* p. 550. *exercitat.* quod huc tranſcribere, non ab re erit:

Lac lactis *ponit*: allec allecis *habebit*,
Is *poſt pone* ſal, Is mel, felque *dedere*,
Curtam pone ſallis, *longam dant* elis, & olis.
Ul, & Il *dant* is, conſul, pugil *eſt tibi teſtis.*
An *erit* is *juncta, fietque penultima longa.*
E ſuper en *dat* inis *curtam, ſed deme* lienis,
Renis, ſplenis, ſirenis, *ſed* in *dabit* inis.
Or *ſibi copulat* is, *ſed quedã propria dant* tis.
Is *poſt* ar *pone, ſed* far *facit* r *geminare*.
Quæ primaria ſunt, *niſi* naris *curta manebunt*.
In derivativis neutro producitur aris.
Primicialis erit vox, in qua dicitur eſſe

Primum propoſitæ data ſignificatio ſectæ.
Eſt derivativa vox, quæ deſcendit ab illa,
Simplicium norma formabis compoſitiva;
Dictio compoſitam dicetur habere figuram cetera.

corrupta fuit tempeſtate iſta *orthographia*: invenerunt modos litteras ſyllabasque contrahendi, in quorum cognitione ſingularem ponebant eruditionem. Epiſcopus Otto quum quendam ad munus ſacrum vellet commendare, his utebatur litteris: *Otto Dei gratia, rogat veſtram clementiam, ut velitis iſtum clericum conducere ad veſtrum diaconum*, quæ verba contracte ſcripta clericus quidam epiſcopo prælegere juſſus, ſic pronunciavit: *otto dei gram, rogat veſtram clam, ut velit iſtum clincum clamum convertere in vivum diabolum*, vide *Lomejerum* de *bibliothecis* p. 121. edit. *Schmidii*: corrupta fuit *proſodia*: *etymologia*, e.g. *Jo.* a *Janua* derivat *abyſſus* ab *ad ipſus*, quia ad ipſam omnes aquæ revertuntur, tanquam ad matrem: *aforiſmus* eſt quaſi *aporiſmus* dictus a *poris*, quum ſint apertiones parvæ, & minora foramina corporis: *ancilla* componitur, vel ex *am*, quod ſit *circum*, & *cilleo*, *cilles*, i.e. *moveo*, quia circum circa movetur ad ſervitium: vel ab ἀνὰ, quod eſt *ſurſum*, & *cilleo*, id eſt *moveo*, *ſuſtineo*, eo quod ancilla ſit firmitas dominæ; vel ab *ancio*, quod dicatur curvum, & propterea dicatur *ancilla*, quia curvetur ad ſervitium: *aſinus* quaſi *aſidus*, tanquam a *ſedendo*, quia homines antequam haberent equos, inſidebant aſinis; vel ab *a*, & *ſenos*, *ſenſus*, quaſi *ſine ſenſu*, quia brutum, & ſtolidum eſt animal: vide

& plura apud *Zwingerum orat. de barbarie ſuperiorum ſeculorum* p.129.ſqq. quæ extat in *Georg.Henr.Goetzii princip.græce docto*, & *Ad. Rechenbergium dict.diſſ.* p.553. : corrupta denique fuit *syntaxis*, cujus exempla capite primo in medium protulimus.

§. XVII.

Magnus grammaticorum proventus *recentiori* ætate fuit, quorum numerum opus majoris molis vix capere poteſt: ut brevitati noſtræ fiat ſatis, nec officio noſtro, quo omnia clare, & qua decet diligentia proferre debemus, deſimus; principes ex illis ſeligamus, qui meritis ſuis excellunt, & ſalubriora grammatices tradunt præcepta. Varia grammaticorum horum genera ſunt: alii integra artis hujus opera ſcripſerunt; alii partes illius quasdam illuſtrarunt: alii ſunt majoris, alii minoris dignitatis: alii grammatices ſtricte dictæ explicarunt regulas: alii cum illis conjunxerunt philologiam: de omnibus horum generibus quædam diſputabimus; ita ut primo loco grammaticæ vindices, qui inſtaurarunt illam, atque emendarunt, producamus in medium.

Emmanuel Alvarez † primus eſt, qui veterum nugas reliquit, & ad ſaniora ſeſe convertens, ſcripſit *inſtitutionem grammaticam* lib. III. de etymologia, de ſyntaxi, de proſodia, Dilingæ MDLXXIV. Venet. MDLXXX. Colon. MDXCVI. hanc grammaticam illuſtravit *Antonius*

† *Luſitanus ex Madera inſula*, *vide Antonii* bibliothecam hiſpanicam novam *p.262.*, & *Bailleti* jugemens *tom.*III. *p.97.*

nius Velleſius, ipſe Luſitanus Eboræ MDXCIX. 4. ex iſta duo compendia compoſuerunt linguæ latinæ *Richardus Heſius*, & *Richardus Richardi*; hic Italus, ille Germanus: prodiit quoque auctore *Antonio Maria Torrigio*, Romano, *catalogus verborum difficiliorum grammaticæ Emmanuelis Alvari*, Rom. MDCVI. Porro hæc grammatica in Luſitania, Romæ, Venetiis, Dilingæ, & in Polonia, ut jam monui, & aliis locis edita eſt. *Caſpar Scioppius* de *veteris, & novæ grammaticæ latinæ origine, dignitate, & uſu* de auctore hoc ait: *nam & ipſe longe cultius dicendi genus, quam non dico veterum quisquam (nam peſſime omnes latine ſcripſerunt) ſed quam recentiores plerique in arte tradenda, præſtitit; & ea ex optimo quoque veterum auctorum exempla ſeligere curæ habuit, quibus regulæ artis plurimum ſtabiliri, & ſine negotio a tironibus intelligi poſſent*: notari etiam poteſt *Seb. Berettarii*, Neap. ſub *Jacob. a Foſſa* nomine *eſflatio pulveris adverſus Emm. Alvarez inſtitut. grammatic. Veronæ excitati ab Orlando Peſcetto*, Monachii MDCXVI. 8.

Julius Cæſar Scaliger, qui ſcripſit libros XIII. de *cauſſis latinæ linguæ*, in quibus quæſtiones quidem tantum grammaticas exponit, ſed ea ratione, ut lectores ingenio ſubacto præditos requirat: multos aliorum grammaticorum errores notavit, atque in melioribus tradendis elaboravit: plura quæ habet, magis ſpectant ad artem criticam, & philologiam, quam ad grammaticam, quæ artem recte loquendi, ac ſcribendi docet: libri hi ſæpe prodierunt in lucem, Lugd. MDXL. ex officina

Com-

Commel. MDLXXXI. MDXCVII. MDCIX. MDCXXIII.

Franciſcus Sanchez, ſeu *Sanctius*, a natali oppido Las Brozas, quod in Extremadura provincia, *Brocenſis* cognominatus, & profeſſor exeunte ſeculo XVI. rhetorices græcæque linguæ in academia Salmanticenſi princeps, edidit *Minervam, ſeu de cauſſis linguæ latinæ commentarium*. Minerva hac id egit Sãctius, ut traderet præcepta grammatices regulis philoſophiæ innixa, prout ipſe dicit lib. I. cap. 2. grammaticorum ſine ratione nullam eſſe auctoritatem: quo nomine vetuſtiores grammaticos acerbius perſtringit, quippe quos dicit *carnifices linguæ latinæ* IV. 15. *caligare in omnibus* IV. 16. pr. adeo ſtupidos, ut ablativi abſoluti *altioris ſint conſiderationis, quam quo grammaticorum ingenium poſſit aſcendere* II. 7. & aliis locis: multa præſtitit *Sanctius*, quæ bona ſunt & egregia, licet ingenio haud maturiori minus queat commendari, quum ejuſmodi poſtulat hominem, qui in latinis litteris ſe jam exercuit: opera ejus critica in amoribus eſſe debent, qui non pervulgata ſectantur: ſed tamen ab erroribus haud plane immunis eſt, quum nimis interdum ſtudio emendandi reprehendendique veteres grammaticos indulgeret, & omnia linguæ momenta rationis regulis ſe metiri poſſe, eſſet perſuaſus. Quid ab hac Minerva ſit expectandum, ipſe auctor in præfatione oſtendit: *quotus enim quiſque eſt grammatices præceptor, qui Laurentium Vallam, & eum ſequutos non laudet, veneretur, exoſculetur? hinc licebit conieclari, quales fuiſſe oporteat rivulos, qui ex tam cœnoſo turbidoque fonte defluxerunt:*

nunc

Digitized by Google

nunc tu, mater, huic tanto malo facile mederi poteris, ſi e cathedris tuis primariis, Laurentio deturbato, Minervam, quæ tibi offertur, patiaris pro illo pueris explicari: hæc veræ latinitatis normam tradit: hac duce puer poterit poëtarum, & oratorum virentia prata ſecure perambulare; hinc dialecticæ, quæ itidem perturbata eſt, vera principia expiſcari. Nunc igitur hoc præcipue, o mater eſt inter tua, quoniam inter omnes Princeps adpellaris, ut litterarum omnium fundamenta firma & veriſſima te prima inſtituente, jaciantur: nihil omnino hic novi aſſerimus, ſtulti vulgi ridere ſermonem, ſed antiquitatem, quæ barbarorum (Mammotretos dico, catholicones, & Paſtranas) ſævitia jacuerat, ſublevamus, & in gradum reponimus: hi enim quum contra Ciceronem & reliquos latinos acerrimum bellaviſſent bellum, bonas litteras longe lateque peſſum dederunt: egregia omnino teſtimonia de opere hoc eruditiſſimi viri dixerunt. *Caſpar Scioppius conſultation.* de *ſcholarum & ſtudiorum ratione* p.54.ait, quod *Sanctius libro hoc meruerit, communis litteratorum omnium pater & doctor adpellari. Octavius Ferrarius* in *operib. var.*tom.II.p.73.dicit: *interim Sanctii Minervam cum Scioppii additionibus accipe, opus quod plus in receſſu utilitatis habet, quam fronte præferat. Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtor.litterar.*lib.IV.cap.10. §.3. dicit, *quod auctor in hac Minerva multas grammaticorum regulas explicat, & ſub conſtructione elliptica multa in latina lingua fieri oſtendit, de quibus alii regulas cudant ſuperfluas. Jo: Fabricius* in *hiſtoria bibliothec.*

part.VI.

part. vi.p.256. poſtquam obſervaverat, quod Sanctius pueris Minervam ſuam commendaverit, addidit: *pueris autem? immo & viris ac ſenibus legenda ac relegenda eſt, qui barbariem a ſe amoliri ſtudent: hic enim diſcent, Sanctium artem grammaticam ad latinæ linguæ indolem atque naturam expendiſſe, ſuperflua abjeciſſe, neceſſaria in ordinem redegiſſe, obſcura & intricata ellipſeos beneficio mirifice expoſuiſſe, nec immerito librum ſuum ab litterarum dea Minervam adpellaſſe.* Georgius Nicol. Kriegk in *conſtitut. rei ſcholaſticæ Ilfeldenſis* p. 117. *qui paullo ultra primas lineas progreſſi, latinitatemque veram ſectari prægeſtiunt, legere, & pervolutare neceſſe habent Franciſci Sanctii Minervam, librum vere aureum, prout illam Scioppius exhibuit*: plura teſtimonia adducere, non eſt neceſſe. Verum quamvis liber hic plauſu ac laude a pleriſque harum litterarum amatoribus dignus ſit habitus, nihilominus tamen iſtum impugnare voluit *Auguſtinus Maria De Monte*, Savonenſis, cujus *Caſparis Scioppii Minervam Sanctianam impugnatam & refutatam* ſecundum exemplum Romanum recenſuit, ac doctiſſimam præfationem præmiſit clariſſimus *Jo: Erhardus Kappius*, Lipſiæ MDCCXXIII.; in eo autem *Montius* maxime erravit, quod hanc Minervam *Scioppio*, veluti auctori adtribuerit: alia judicia propter hanc grammaticam expertus eſt *Scioppius*; etenim *Jo: Henricus Boeclerus* in *bibliographia critica* p.23. dicit, *quod Minerva hæc a Scioppio fuerit ſuppreſſa*: *Thomas Crenius* diſſert. de *juribus librariis* §. xciv.p.100. eum in numerum plagiariorum ad-

Digitized by Google

adſcribit, a qua accuſatione eum alii defendendum eſſe putarent: ipſum opus prodiit Salmanticæ, non Madriti MDLXXXVII. 8.; tum a duce Alcalæo, Hiſpanici regis legato, Romam deportatum in *Caſp. Scioppii* manus pervenit, qui id multis ornatum laudibus & obſervationibus auctum, Patavino iterum prelo ſubjecit MDCLXIII.; cujus editionis exemplum *Marquardus Gudius* ex Italia Amſtelodamum detulit, ubi prodiit MDCLXIV.: poſthæc ſummus *Jacobus Perizonius*, ſingulare elegantioris litteraturæ ornamentum, hoc Sanctii monimentum obſervationibus illuſtravit, cujus editio primum Franequer. MDCLXXXVII. lucem vidit publicam, quæ deinde repetita fuit MDCXCIII. MDCCII. MDCCXIV. cui poſtremæ editioni major adnotationum copia acceſſit: vide de *Sanctio* ejusdemque *Minerva Antonii bibl. hiſpanic. nou.* tom. I. p. 361., *Bailleti jugemens* p. 111. p. 100., *Scioppium* de *veteris ac novæ grammaticæ latinæ origine, dignitate & uſu*; *Perizonium in præfatione* editionis MDCCXIV.

Caſpar Scioppius, cujus *grammatica philoſophica* ſæpe prodiit, Mediolan. MDCXXIIX. Amſtelodam. MDCLIX. cum præfatione *Marquardi Gudii*; MDCLXIV. quæ editio, ut titulus habet, beneficio *Petri Scavenii* plurimis in locis nunc demum inſigniter aucta e ſchedis ipſius auctoris, a quo omnia paullo ante mortem accuratius recognita & emendata, Franeck. MDCCIV. cura *Tobiæ Gutberletti*, bibliothecæ Franeckeranæ præfecti prodiit & Auguſtæ Vindelicorum MDCCXII. cum obſervationibus clariſſimi *Jo. Chriſtiani Herzogii.*

Quar-

Quarta *conſultationum*, quas edidit *Caſpar Scioppius*, de *ſcholarum & ſtudiorum ratione*, p.26. agit de *cauſſis grammaticæ philoſophicæ in ſcholas inducendæ*, ubi ſeptem profert rationes, quæ, ut ipſe loquitur, conſcientiis Epiſcoporum religionem ſive ſcrupulum injicere debent, ne veterem grammaticam diutius in ſcholis tolerare, ſed novam in eas introducere velint: ſumma harum rationum in eo conſiſtit, quod vetus grammatica plena ſit fraudibus & mendaciis: hocce ut comprobet, provocat ad vulgarem grammaticorum regulam, quod nomina arborum & urbium ſint generis feminini, quod manifeſte ſit falſũ, quum & ratio philoſophica & locupletum ſcriptorum auctoritas teſtentur, iſtiuſmodi nomina non habere genus, niſi ex regula terminationis, vel vi ſignificationis: ſic dicatur *Mediolanum magna*, quo ſignificetur & ſubaudiatur *urbs*, quum alioquin vi terminationis *Mediolanum* ſit genere neutrum: ſic Virgilius dixerit *altum Præneſte* ſignificans *oppidum*, & ſub *ipſa Præneſte*, ſignificans *urbem*: ita *hæc Corinthus* dicatur, quod *urbs* ſignificetur, quum alioqui *Corinthus* per terminationis regulam ſit maſculinum, quomodo a Propertio & Vellejo uſurpatum ſit: hiſce præmiſſis addit *Scioppius*: *an ergo non erubeſcendum eſt chriſtianis, quod pueros cogunt, mendacia credere & ediſcere? nec referi, quod mendacia iſta ſint de rebus frivolis; nam ſaltem mentiendi conſuetudo non eſt frivola, quum ſit homine chriſtiano prorſus indigna, nec ejus culpam ulla vel neceſſitatis, vel utilitatis elevet excuſatio; ac tanto nunc turpius*

eſt

eſt mendacia illa tolerare, poſtquam eorum falſitas publice fuit retecta & convicta; nec enim jam ignorantia quemquam culpa liberat; quum præſertim planum factum ſit, quantum detrimenti privatim ac publice importet, omnis liberalis doctrinæ fundamentum in mendaciis jeciſſe. Poſito hoc fundamento, adducit ſequentes ſeptem rationes: I. *turpe vero eſt permitti, ut pueris tantus mendaciorum numerus a magiſtris, præcipueque clericis inſtilletur.* II *veteris grammaticæ mendacia ingentibus & ſupervacuis laboribus juventutem onerant, & ingenia excarnificant.* III. *eadem mendacia plurimum temporis auferunt diſcipulis, quod vel ſtili exercitio, vel aliis diſciplinis utilius tribuerent.* IV. *eadem grammaticæ veteris mendacia innumerabilium hominum marſupia exenterant, qui non ſine maximo rei familiaris intertrimento complures annos in grammatico pulvere conſumunt.* V. *eadem mendacia plurimorum ingenia ab omni litterarum & ſcientiarum ſtudio deterrent, qui propter ingentem numerum regularum, exceptionum, appendicum, & obſervationum prius oderunt ſtudia, quam noverint.* VI. *eadem mendacia magiſtris quoque crucem figunt, & a gravioribus atque utilioribus ſtudiis eos retardant.* VII. *eadem mendacia cauſſa ſunt, cur Deus, Eccleſia, ac Reſpublica multo plurimorum opera defraudetur, quam illi minime pænitendam navare poſſent, niſi alios grammaticæ magiſtri tot annis in ſcholis contererent; alii vel temporis longinquitate, vel diſcendi difficultate territi ſtudia deſererent, aut attingere dubitarent.* Sed ſi quis has rationes accurate con-

ſideraverit, iſtas haud ita ſolidas eſſe deprehendet, ut omnibus poſſint perſuadere, conſultationem eſſe fructuoſam, ac cultorum latinæ linguæ commoda poſſe promovere: licet enim nemo, qui harum rerum ſatis eſt peritus, infitiari poſſit, quod vulgaria grammaticorum præcepta non in omnibus capitibus accurate ſint tradita; iſta tamen abſolute mendaciorum accuſare ac proſcribere, res eſt non minus periculoſa, quam difficilis. Non omnia linguarum momenta ad philoſophiæ regulas metiri debemus; uſus enim & conſuetudo in illis magis valent, quam optimæ ac maxime ſolidæ rationes: immo quanta futura eſſet confuſio ac perturbatio apud pueros in addiſcenda hacce lingua, ſi veterum grammaticorum regulas plane negligere eaſque, quas tradidit *Scioppius*, ſequi deberent, id quod ex unica obſervatione, quam adduximus, de generibus nominum, urbium, atque arborum quiſque conjicere poteſt: Huic grammaticæ philoſophicæ præmiſit præfationem, qua agit de *veteris ac novæ grammaticæ latinæ origine, dignitate, & uſu*; edidit quoque hicce *Scioppius rudimenta grammaticæ philoſophicæ*, in uſum tironum, quæ prodierunt Mediolani MDCXXIX. & Amſtelodami MDCLXXXVI. neque non *auctarium ad grammaticam philoſophicam ejusque rudimenta*, ſub nomine *Mariangeli a Fano Benedicti*, quod etiam prodiit Mediolan. MDCXXIX: Amſtelod. MDCLIX. & in aliis locis: hocce auctarium continet decem epiſtolas, in quibus de variis argumentis, quæ ad grammaticam ſpectant, diſputat: 1. diſſerit de genere loquendi *neceſſe habeo mo-*

nitore. 2. probat, *doceor a te* non idem eſſe ac *tu me doces*, itemque recte dici *Joannes ab Auſtria* & *de Auſtria*. 3. docet, nullum genitiuum ab adjectivo regi, nec ab ullo verbo. 4. diſputat de ſyntaxi hac: *petendum eſt pacem*; deque formali ac materiali accuſativo, qui a verbis regitur. 5. probare contendit, nullum eſſe verborum modum potentialem, nec permiſſiuum. 6. obſervat, indifferenter dici, *ſcio, quod es doctus*; vel *ſis doctus*, qua occaſione ſimul monet, quæ ſint virtutes, ac vitia lexici, ſive theſauri linguæ latinæ. 7. diſſerit de ſyntaxi *viſum ire* & *viſum iri*, deque nominibus verbalibus, præcipueque participiis. 8. de relativorum, præcipueque reciprocorum ſyntaxi. 9. addit adnotationes in Alvarum de ſyllabarum quantitate. 10. agit de verſuum comicorum dimenſione. Adhæc ſub nomine *Paſc. Groſippi* edidit *paradoxa litteraria, in quibus multa de litteris nove contra Ciceronis, Varronis, Quinctiliani, aliorumque litteratorum hominum tam veterum, quam recentiorum ſententiam diſputantur*, Mediolan. MDCXXIX. & Amſtelodam. MDCLIX. In ipſa grammatica philoſophica multas quæſtiones diligenter eſſe excuſſas, ac quæ obſcura fuerunt, ad lucem producta, omnino dicendum eſt; quamvis nec hoc ſit negandum, quod interdum ſine cauſſa grammaticorum regulas emendandas ſuſceperit, ac magis ſubtiliter, quam utiliter diſputaverit: legendi ſunt de hac grammatica *Adrianus Bailletus* in *jugemens* tom. III. p. 107., *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. IX. cap. 10. §. 4., & *Georgius Paſchius*

ſchius de *inventis nov-antiquis* p.70. 71.

Gerardus Joann. Voſſius, qui omnibus fere grammaticis præripuit palmam, ex quo copioſum opus protulit de *arte grammatica*, Amſtelod. MDCXXXV. & MDCLXII. ſub titulo *Ariſtarchi*, † quod etiam extat tom.II. operum *Voſſii*. *D. G. Morhofius* d.l. n.8. ita judicat: *ſane hoc quoddam quaſi penu eſt rerum latinarum: ſed ſunt tamen in magno illo cumulo non pauca, quæ vel cenſuram aliquam merentur, vel ab illo omiſſa ſuppleri poterant. Interim nemo hactenus fuit, qui perfectius abſolutiusque opus grammaticum dederit: Sanctii veſtigia quædam in eo deprehenduntur, quæ interdum ſequitur, interdum refutat. Jo. Henr. Boeclerus bibliographia critic.* p.23. Gerardus Jo: Voſſius in *majori ſuo opere* de arte grammatica *ex Scioppio plurima ſine ulteriori examine deſcripſit, & totam fere ſyntaxin ſuam ex eodem collegit*. Juvenibus opus hoc minus commendari poteſt; ſed illis inſervit, qui in latinæ linguæ litteris jam profecerunt: vide *Thomam Crenium* de *litterar. ſtudio inſtituendo* p. 231., & *animadv. philol. & hiſtoric.* part.5.p.51., & *Bailletum* in *jugemens* tom.III. p.105. 106.

§. XVIII.

Quos adhuc grammaticæ ſcriptores memoravimus, principes ſunt artis hujus auctores, qui ei emendandæ atque ad clariſſimam lucem revocandæ ſingularem dederunt

† *Ad hanc editionem quædam adnotaverat Jo: Georgius Grævius, uti ex* catalogo bibliothecæ *ejus adparet p.*167.

Digitized by Google

operam: ſunt adhuc alii grammaticæ Romanæ auctores, quorum tanta eſt copia, ut ſi iſtos omnes vellemus recenſere, indici illorum finem quendam conſtituere, eſſet difficile; quocirca ut modum dicendorum ſervemus, quosdam tantum, eosque qui præ aliis in hoc latinarum litterarum genere excelluerunt, recenſere, animus eſt. Clariſſima nomina per hæc grammaticæ ſtudia a ſe dederunt Petrus Ramus, Philippus Melanchthon, Thomas Linacer, Jo: Rhenius, Martinus Cruſius, Nicodemus Friſchlinus, Laurentius Valla, Ælius Antonius Nebriſſenſis, Eraſmus Roterodamus, Jo: Deſpauterius, Jo: Rivius, Jacobus Mycillus, Jo: Henricus Alſtedius, Nathanaël Chytræus, Jo: Amos Comenius, Eraſmus Schmidius, Georgius Fabricius, Michaël Neander, & plures alii. Rei dignitas poſtulat, ut de quibusdam horum grammaticorum ſpeciatim dicamus, ac quos in lucem publicam ediderunt, libros referamus: memorandi igitur ſunt

Petrus Ramus, cujus ætate Lutetiæ latina lingua ita corrupta fuit, ut qui iſtam uſurpabant, neque voces recte conjungerent, neque juſtam pronuntiandi rationem obſervarent: huic barbariei ut fortiter obviam iret, ac meritorum de bonis ac humanioribus litteris æque ac de philoſophiæ diſciplinis famam ſibi compararet, contulit ſe ad præcepta grammatica latinæ linguæ conſcribenda. Grammaticam hanc ſcripſit lingua gallica, quæ deinde in latinam translata, & obſervationibus illuſtrata ſæpe prodiit MDLXXXIII. MDXC. extant aliæ libri hujus editiones &

com-

compendia;habemus enim Petri Rami grammaticam Baſil. MDLXIX. auctam atque emendatam,Francofurt. MDLXXIIX., ejusdem grammaticæ latinæ rudimenta latino-germanica Bremæ MDXCIII.,ejusdem grammaticæ latinæ libros duos Spiræ MDXCVII. , Magdeburg. MDCII.,Hanau.MDCIV.,ejusdem grammaticę latinæ epitomen Mulhuſ. MDCIV.;editæ quoque ſunt Rami *ſcholæ in liberales artes* Baſileæ MDLXXIIX., in quibus primo loco adparent *ſcholæ grammaticæ* lib.xx.,ubi auctor agit de grammaticæ præſtantia , de ſonis litterarum, de ſonis ſyllabarum , de accentu & notatione, diviſione vocum nominumque genere , de comparatione nominum , de caſu , de prima declinatione pariſyllaba , de ſecunda declinatione pariſyllaba , de pronominibus , de prima declinatione impariſyllaba , de ſecunda declinatione impariſyllaba , de adiectivis anomalis, de verbi modis & temporibus , de participiis & formis verborum, de prima & ſecunda conjugatione in *bo* , de prima & ſecunda conjugatione in *am* , de reliquis vocum generibus :

Philippus Melanchthon , cujus merita in omnem elegantiorem doctrinam præcipueque in grammaticam haud mediocria ſunt:extant multa *grammaticæ* , quam conſcripſit , compendia , quæ ſæpe in lucem prodierunt , quarum editionum indicem exhibent *Paullus Bolduanus* in *bibliotheca philoſophica* p.6.,& *catalogus bibliothecæ Carpzovianæ* part.II. p. 138. 139.Extiterunt quoque , qui uti in philoſophia, ita in hac humanioris doctrinæ diſciplina præcepta Petri Rami,& Philippi Melanchtho-

lanchthonis conjungenda ac concilianda eſſe exiſtimarunt: hac ratione prodierunt *grammatica latina Philippo-Ramea* Herborn. MDXCI. MDCXV. Steinfurti MDC., ac *rudimenta grammaticæ Philippo-Rameæ* cum *veſtibulo Jo: Amoſ. Comenii* Herborn. MDCLI.

Thomas Linacer, cujus extant libri de *emendata ſtructura latini ſermonis*, qui ſæpius editi ſunt; prodierunt enim Pariſiis MDXXXII., Lipſiæ cum præfatione Philippi Melanchthonis MDXLV., Venet. MDLVII., Lipſiæ cura Joachimi Camerarii MDLXIV. MDLXXX. & alibi: erat Thomas Linacer grammaticorum doctiſſimus, cujus laudis libri hi clariſſima præ ſe habent documenta; continent enim animadverſiones & eruditionis & acris judicii in optimos ſcriptores pleniſſimas, in quibus multa latinæ linguæ myſteria monſtrata ſunt: quo circa dignus eſt auctor hic, qui juventuti Romanarum litterarum ſtudioſæ quam diligentiſſime commendetur. *Michaël Neander in præfat. ad erotemata græcæ linguæ* p. 122. libros hoſce vocat *copioſos, doctos & omnium in hoc genere præſtantiſſimos*: laudes ejus quoque memorat *Ludovicus Vives* de *tradendis diſciplinis* lib. III. p. 521., cui addimus *Eraſmum* in *Ciceroniano* p. 83., *Daniel. Georgium Morhofium* in *polyhiſtore litterario* lib. IV. cap. 10. §. 10., *Georgium Nicolaum Kriegk* in *conſtitutione rei ſcholaſticæ Ilfeldenſis* p. 118.

Jo: Rhenius: ſub nomine illius extant *elementa latinæ grammaticæ vera, brevia, & perſpicua* Lipſ. MDCX. 8., *compendium latinæ grammaticæ pro docentibus* ibid. MDCXIII., *lati-*

na grammatica cum paralipomenis, & veterum & recentium grammaticorum coryphæis; Donatus linguæ latinæ Germanicus pro incipientibus; ſylloge grammaticalium incommoditatum; defenſio neceſſaria ſylloges, & paralipomenon contra M.Val.Harburgi oppugnationem, & alia.

Nicodemus Friſchlinus, vir latinis, ac græcis litteris maxime excultus, qui varios libros grammaticos haud mediocri eruditione refertos in lucem edidit: prodierunt I. *grammatica latina*, quæ primam lucem adſpexit Venetiis adprobante eam Aldo Manutio anno MDLXXXIII. 8.; recuſa deinde eſt Tubingæ MDLXXXV., & Francofurti hac inſcriptione: *Nicodemi Friſchlini grammatica latina compendioſe ſcripta a pluribus quam ſexcentis, tum veterum, tum recentium grammaticorum erroribus, & innumeris ſolæciſmis liberata: acceſſerunt ad finem paralipomena grammaticalia*. II. *grammatica ſtrigilis*, quæ eodem tempore cum grammatica latina jam a nobis memorata Venetiis prodiit, ac recuſa eſt Argent. MDLXXXIV., Francofurt.ad Mœnum MDLXXXVII. cum tribus dialogis adverſus Cruſium, item Argent. MDXCIV. cui editioni additi ſunt *poppiſmi grãmatici dialogi duo*: grammatica hæc ſtrigilis occaſio fuit graviſſimi certaminis, quod fuit inter Friſchlinum, & Cruſium; namque anno MDLXXXVI. Argentorati prodierunt *M. Cruſii lib. duo ad Nicodemum Friſchlinum, quorum primus animadverſiones in grammaticam ejus, duo ad ejuſdem grammaticam ſtrigilem antiſtrigilem continet*: contra quos libros Friſchlinus, ut ſe ab accuſatio-

ni-

nibus defenderet, conſcripſit tres Dialogos, quorum primus hanc inſcriptionem habet: *Nicodemi Friſchlini P.L.Com.Pal. Cæſarei pro ſua grammatica, & ſtrigili grammatica adverſus Martini Cruſii profeſſoris Tubingani contumelias dialogus primus* Francof. MDLXXXVI.; ſecundus: *N. Friſchl. poëtæ L.Comit. palat.Cæſar. dialog.* II. *pro latina grammatica adverſus Martini Cruſii, & ſociorum animadverſiones*, Marpurgi MDLXXXVI. tertius: *Nicod.Friſchlini P.L. Com.Pal.Cæſ. pro ſua grammatica adverſus Martini Cruſii, & ſociorum animadverſiones dialogus* III.*in quo omnes reliquæ labes, quæ etymologiæ, & ſyntaxi ipſius a Cruſio fuerant adſperſæ, deterguntur*; *habes etiam in hoc dialogo refutationem nugaciſſimarum nugarum Cruſii adverſus græcum ablativum* MDLXXXVI.hi tres dialogi poſthęc MDLXXXVIII. Francofurti conjunctim editi ſunt, addita ipſa grammatica ſtrigili, hoc titulo: *Nicodemi Friſchlini poëtæ, & oratoris laureati, Comitis Palatini Cæſarei, ſtrigilis grammatica denuo ab auctore recognita, & aucta: ejusdem dialogi tres, adverſus Martinum quemdam Cruſium, profeſſorem Tubinganum*: poſtquam hæc ſcripta Friſchlini in lucem prodierant, Cruſius ne cauſſæ ſuæ deeſſe videretur, edidit *defenſionem neceſſariam adverſus Nicodemi Friſchlini dialogos*, Baſileæ MDLXXXVII.huic Friſchlinus oppoſuit: *celetiſſimum grammaticum adverſus M. Cruſii defenſionem non neceſſariam, ſed potius nefariam, & plane veteratoriam, diſtributu in duos dialogos*, *Urſeliis per Henricū Nicolaum* MDLXXXVIII.ediderat quoque MDLXXXVII. Pragæ per *Michaëlem*

lein Peterle poppiſmum grammaticum pro ſtrigili ſua grammatica adverſus M.Cruſii, & moropolitarum, Tubingæ bacchantium coccyſmos; ſive antiſtrigilem diſtributum in duos dialogos ad Joſephum Scaligerum, & Juſtum Lipſium: hiſce Cruſius iterum oppoſuit *juſtam, & poſtremam reſponſionem ad ingrati deſperatique Nicodemi Friſchlini mendacem & ſceleſtiſſimum celetiſmum* Baſileæ MDLXXXVIII. Quum poſt mortem *Friſchlini* MDXCVI. prodiret tertius *poppiſmi grammatici dialogus*, Cruſius acerbiſſimam ſuſcepit defenſionem in libro ita inſcripto: *Martini Crusii in academia Tubingensi utriusque linguæ profeſſoris adverſus poppiſmi grammatici dialogum tertium, qui contra antiſtrigilem ipsius conſcriptus fuit* 1587. *a Nicodemo Friſchlino, ac ſexto anno poſt interitum ejus Francofurti autumnalibus nundinis* 1596. *editus eſt, defensio: atque hoc reſponſum non tantum vitam ipsius Friſchlini ob oculos ponit; verum etiam omnia ſcommata Friſchliniana, quæ forſan in futurum proditura ſunt, facile eludet*, Francof. MDXCIX. Scriptum hoc quum Friſchlini frater videret atque exiſtimaret, in tanta acerbitate Cruſii haud eſſe tacendum, aliud itidem vehemens ei oppoſuit, cujus hæc eſt inſcriptio: *Nicodemus Friſchlinus P. L.& Comes Palatinus Cæſareus, orator, & philoſophus præſtantiſſimus, factus redivivus, per M.Jacobum Friſchlinum, fratrem ſuum germanum, poëtam & hiſtoricum, qui porro pro fratris ſui honore, fama, dignitate, & nomine gentilitio ſtare, & pugnare conabitur pro parte virili, adverſus M.Cruſii profeſſoris Tubingani, &c. calumnias, contume-*

melias, nugas, & pura puta mendacia, quibus iſte irrequietus ſenex, & implacabilis homo nititur, totam familiam fraternam, & nomen Friſchlinicum exoſum, & inviſum reddere omnibus bonis, & doctiſſimis viris: atque hoc reſponſo non tantum vitam, mores & pietatem ipſius Cruſii ob oculos lectori ponemus; verum etiam ſcommata & convitia Cruſiana nobis indigniſſime illata, & hactenus in lucem prodita, & quæ forſan in futurum proditura ſunt, facile eludemus, Argent. MDXCIX. De hoc certamine quo, & Friſchlinus, & Cruſius leges caritatis, modeſtiæ, ac decori violarunt; legendus eſt doctiſſimus *Carolus Heinricus Langius* in *Nicodemo Friſchlino vita, fama, ſcriptis, ac vitæ exitu memorabili* p. 75., qui rationem belli hujus grammatici copioſe recenſet. III. *grammatica græco-latina e regione ſibi invicem reſpondens*, quam Friſchlinus occaſione certaminis cum Cruſio conſcripſit: namque quum Cruſius ejuſmodi grammaticam ederet, nec ut Friſchlinus credebat, accurate in hoc argumento tradendo eſſet verſatus, animum ſuum ad hoc grammaticæ genus ipſe contulit: prior pars grammaticæ hujus prodiit MDLXXXIX. quæ continet orthographiam, proſodiam, & etymologiam præſcriptam regulis latinæ, & græcæ linguæ communibus; poſterior vero MDXC. cujus quatuor ſunt libri, in quibus ſyntaxis traditur itidem regulis utrique linguæ communibus. IV. *diſputatio grammatica* MDLXXXVI. ut de aliis grammatici argumenti auctoris hujus libris taceamus, quos *Langius* citato loco p. 88. recenſet:

Martinus Cruſius, qui edidit *grammati-*

ca

cæ linguæ cum græca congruentiæ partes II. Baſil. MDLVIII. *puerilis inſtitutionis in lingua latina* partes VI. Argentorat. MDLVI. & Baſil. MDLVII. quæ autem bello grammatico adverſus Friſchlinum edidit, eorum paullo ante fecimus mentionem:

Jo. Rivius, cujus extant libri VIII. *grammaticæ*, Lugdun. MDXCI. quos *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. IV. c. 10. §. 10. vocat *omni laude digniſſimos*, & auctorem *virum doctiſſimum, qui inter præcipuos noſtræ Germaniæ eruditos locum tueatur*:

Jo. Cochlæus, cujus *grammatica latina* prodiit Argentorat. MDXIX.

Nathanaël Chytraeus, cujus *grammatica latina* edita eſt Lubec. MDCIX., & a Kirchmanno recognita, Hamburg. MDCXLIV. Lubec. MDCXL. MDCLXVII. Bremæ MDCLXIV. 8.

Caſpar Finckius, & *Chriſt. Helvicus*, quorum extat *grammatica latina ex præcipuis veterum, & recentiorum grammaticorum, philoſophorum, poëtarum coryphæis* Gieſſæ MDCX. MDCXIII. 8.

Cornelius Valerius, cui debemus libros quatuor *grammaticarum inſtitutionum* Dillingæ MDLXXIV.

Curius Lancilotus, cujus opera edita eſt *grammatica latina*, Argent. MDXVIII. MDCXI.

Franciſcus Irenicus, cujus *grammatica* lucem vidit Francofurt. MDLXIX.

Heinricus Decimator, cujus habemus *adnotationes in grammaticam Philippi Melanchthonis*, Vitemb. MDLXXXIX. ejuſdem *ſcholia in ſyntaxin Melanchthonis* Magdeb. MDCV. cujuſmodi obſervationes in hanc grammaticam

edi-

edidit quoque *Jo. Faber* MDCV. MDCIII. *Jo. Bilſtenius* vero ſcripſit grammaticam latinam ex Melanchthone, Ramo, & Linacro, & Valla concinnatam, Francof. MDCIV.

Jo. Aventinus, cujus *grammatica latina* edita eſt Auguſt. Vindelicor. MDXIX.

Cælius Secundus Curio, qui ſcripſit librum de *litteris doctrinaque puerili*, *& ratione docendi grammaticam*, Baſil. MDXLVI.

Jo. Henricus Alſtedius in *compendio grammaticæ latinæ harmonice conformatæ*, Herbor. MDCX. MDCXIII.

Michaël Neander in *compendio grammaticæ latinæ Philippi Melanchthonis pro incipientibus*, *& nomenclatore puerili novo*, Vitem. MDXCIV.

Jo. Spangenbergius in *grammatica latina*, Vitemb. MDXCIII.

Jo. Zehnerus in tractat. de *orthographia*, *proſodia*, *etymologia*, *& ſyntaxi*, Lipſiæ MDCLXIII.

Jo. Amos Comenius in *grammatica latina, nova methodo conjuncta*, Lipſ. MDCXXXVI.

Ælius Antonius Nebriſſenſis in *grammatica*, quæ prodiit MDXXIII. in epitomen redacta a *Xanto Nebriſſenſi* cum commentariis doctorum virorum, Complut. MDXXIV. Lugdun. MDXLI.

Eraſmus Schmidius in *grammatica latina* quæ ſæpe prodiit, atque in plurimis ſcholis uſus publici facta eſt: edidit quoque *centuriam præcipuarum falſitatum, incommoditatum*, *& defectuum in grammatica Rhenii*, Vitemb. MDXXVI. & *compendium ex grammatica Melanchthonis* MDCXLIX. MDCLXI.

Jacobus Micyllus in *grammaticæ latinæ rudimentis*, Francofurt. MDXL.

Aldus Manutius in *grammaticis inſtitutionibus*, Venet. MDXXIII. 4. MDLXXXI. 8.

Laurentius Antiquus libris III. *inſtitutionum grammaticarum*, Patav. MDCI.

Lucius Jo: Scoppa in *grammatica* Venet. MDLXIII.: *Jo. Deſpauterii*, *Jo. Lorichii*, *Jo. Murmelii*, *Jo. Peliſſonis* grammaticæ latinæ ſæpius in lucem editæ ſunt: extant quoque quam multæ grammaticæ, quæ in uſum variarum ſcholarum conſcriptæ ſunt: ſic prodiit grammatica latina in uſum ſcholarum Bernenſium, Bernæ MDCIV.; pro principalis gymnaſii Gieſſenſis pædagogio, Gieſſæ MDCVI. 8.; compendium grammaticæ latinæ Melanchthonis pro Norica juventute, Norimb. MDCII. MDCVI. 8.; rudimenta grammaticæ latinæ in uſum ſcholarum Haſſiacarum, Caſſel. 8. MDCVIII.; compendium grammatic. ordine & verbis Melanchthonis pro ſcholis in Comitatu Hennebergico, Lipſ. MDCXI.; compendium grammaticæ græcæ & latinæ pro ſchola Francofurtenſi, Franc. MDCXII.; compendium grammatices latinæ pro ſchola Heilbronnenſi Argent. MDCXII. 8.; grammatica latina in uſum ſcholarum Palatinatus, Hannov. MDCXXIV.; pro ſchola Argentinenſi latin. & germ. Arg. MDCXXVI. 8.; in uſum ſcholæ Bremenſis, Bremæ MDCXI. 8. MDCXVXVIII. pro pædagogio Marpurgenſi & ſcholis Haſſiæ ſuperioris; pro ſchola Altorfiana, Norimberg. Norib. MDLXXX. 8.; Henric. Uranii grammatica latina pro ſchola Embricenſi, Col. MDLXV. 8.; grammatica latina pro ſchola Ge-

 ne-

Digitized by Google

nevenſi, Genev. MDCLVIII. 8.; rudimenta latinæ linguæ in uſum ſcholæ Leidenſis, Lugdun. MDCLVIII.; in uſum utriusque ſcholæ Amſtelodan.enſis, Amſtel. MDC III. 8.

§. XIX.

Alii ſunt recentiores grammaticæ latinæ ſcriptores, qui propius ad ætatem noſtram accedunt, eo in primis nomine a nobis memorandi, quod in præceptis artis hujus rite ac perſpicue tradendis atque emendandis laudabili opera elaborarunt: ad hanc claſſem pertinent

Thomas Bangius, maximum Danorum decus, vir græcæ ac latinæ linguæ ſcientiſſimus, qui edidit *obſervationum philologicarum* libros duos juſſu regio adornatos, Hafn. MDCXL. ſunt illi plane eruditi, atque expeditam viam ad ſolidam latinæ linguæ cognitionem, atque intelligentiam veterum ſcriptorum monſtrant: habemus quoque illius *præcepta grammaticæ latinæ minora*, Hafn. MDCXL. vide *Albertum Bartholinum* de *ſcriptis Danorum* p. 136.

Andreas Reyherus, cujus *grammatica latina ad mandatum ſereniſſimi principis pro gymnaſio & ſcholis Gothanis ex probatiſſimis quibusque grammaticis concinnata* prodiit Gothæ MDXLIX. quæ deinde ſæpius recuſa eſt: auctori in conſcribenda iſta adjumento fuiſſe dicuntur Jo. Volck, phyſicus Gothanus, Georgius Heiſſus, qui eo tempore fuit conrector, & M. Ehrenberger, primus gymnaſii Gothani ſubconrector: extat quoque *introductio in grammaticam latinam*, edita Gothæ MDCLX. quæ Reyheri non eſt: quodque *compendium gram-*

grammaticæ germanicum, pro tironibus ac collegis gymnaſii Gothani poſt Reyheri obitum conſcriptum fuerit, ipſa præfatio ſignificat: vide *Godofredi Ludovici hiſtoriam rectorum gymnaſiorum ſcholarumque* part. 1. p. 13.

Jo: Georgius Seyboldus, cujus varia habemus ſcripta grammatica, de quibus autem *Daniel Georg. Morhofius* in *polyhiſtore litterar.* lib. IV. cap. 10. §. 10. ita judicat: *habemus quidem & Jo: Georgii Seyboldi alicujus varia adminicula & tyrocinia grammatica; ſed lutulenta ſunt illa, & ab homine ejus linguæ non admodum gnaro ſcripta: vix itaque adhiberi poſſunt, niſi probe emaculata & perpurgata:*

Georgius Henricus Urſinus, cujus opera compoſitæ *inſtitutiones pleniſſimæ, quibus linguæ latinæ, & præcepta vernacula ſolide traduntur, & cauſſæ notis additis accurate eruuntur, vel examinantur*, Ratisbon. MDCC. lucem viderunt: ipſa grammaticæ hujus præcepta germanico ſermone, uberiorem vero illorum explanationem latino auctor propoſuit, laudabili ſane ac prudenti docendi ratione: ſequutus eſt non ſolum veteres, ſed etiam noſtri ævi grammaticorum principes, ita ut libertate ſentiendi uſus nunc illorum placita confirmet, nunc ab illis diſcedat: adjecit varias appendices, quibus exhibuit indicem ſiglarum, ſive notarum ex libello Valerii Probi & Jani Gruteri *inſcriptionum* opere compoſitum; aliumque vocum latinarum variæ, vel dubiæ ſcriptionis: etiam in illis egit de cognatione, & permuta-

Digitized by Google

tione litterarum inter ſe; de dignoſcenda ſyllabarum quantitate; de mutatione, vel alia paſſione litterarum in derivatis & compoſitis. *Jacobus Perizonius* in præfatione præmiſſa editioni MDCCXIV. *Sanctii Minervæ* fatetur, Urſinum diligenter excuſſiſſe grammaticorum opera; eumque fuiſſe, quantum ex ſcriptis illius colligere potuerit, indolis liberæ, candidæ, apertæ, ſimplicis: deſiderat vero in eo, quod non æque ſemper intentum, ac limatum rebus ſingulis adhibuerit judicium:

Chriſtophorus Cellarius, qui edidit lingua germanica *erleichterte lateiniſche grammaticā*, quæ *libro memoriali* illius adjuncta & ſæpius cum iſto recuſa eſt: compendium hoc propter brevitatem, perſpicuitatemque ac vernaculæ linguæ uſum, quem auctor in conſcribendo iſto adhibuit, & magiſtris & alumnis linguæ hujus commendari debet:

Joachimus Langius, cujus grammatica latina, quam germanico quoque ſermone ſcripſit, atque ſub titulo: *verbeſſerte und erleichterte lateiniſche grammatica* edidit, notiſſima eſt atque in multorum verſatur manibus, cujus & plures extant editiones:

Godofredus Hoffmannus in *einleitung in die lateiniſche Sprache*, Laub. MDXCVII. & in alio libro grammatico itidem germanice ſcripto: *Weg zur compoſition der lateiniſchen ſprache*, Lipſiæ DCCII.

Auctores grammaticæ Marchicæ, cujus inſcriptio eſt: *vollſtændigere lateiniſche grammatica Marchica*, id quod compendium, recuſum quoque Iſenaci. MDCCXXIII. plane dili-

gen-

genter atque accurate conſcriptum eſt:

Torchillus Badenius, cujus extant *parentalia grammatica a philoſophia adornata, ſive obſervationes philoſophicę ad grammaticam latinam, quarum critica falce, omnibus ad lydium philoſophiæ lapidem probe examinatis, ſuperflua præceptionum quarundam ſeges demetitur, & ex agro grammatico exſtirpatur*, Hafn. MDCCXV.

Auguſtinus Maria de Monte, cujus ſtudio prodiit Romæ copioſa & luculenta latinæ linguæ grammatica, quam inſcripſit *latium reſtitutum, ſeu latinam linguam in veterem reſtitutam ſplendorem* MDCCXX. de quo opere videri poteſt doctiſſimus *Jo: Erhardus Kappius* in præfatione, quam præmiſit *Scioppii Minervæ Sanctianæ impugnatæ ac refutatæ a Montio*, cujus ſupra jam fecimus mentionem: habemus quoque grammaticam latinam lingua gallica conſcriptam, cujus titulus eſt: *novelle methode pour apprendre facilement la langue latine*, Pariſ. MDCLXVII. MDCXCVI. quo anno prodiit editio octava: anno autem MDCCXXII. Dresdæ edidit *Jo: Chriſt. Knauthius grammaticam practicam rythmicis regulis*.

§. XX.

Nunc ſpeciatim ſingulas grammaticæ partes conſiderare, ac notitiam ſcriptorum, qui ad iſtas pertinent, ſuppeditare animus eſt. Primum igitur agere debemus de *litteris Romanorum*: latini litteras ſuas græcis debent; hinc eruditi viri obſervant, quod latinæ litteræ initio multo ſimiliores fuerint græcis, quam poſtea, qua de re legi poteſt *Jo: Clericus*

cus in *arte critica* part. III. Sect. I. cap. 9. §. 8. quamvis alii moneant, vetuſtiſſimas litterarum figuras apud Romanos vix divinando quemdam adſequi poſſe, propter hunc *Quinctiliani* locum: *tranſeo vetuſtiſſima illa tempora, quibus & pauciores litteræ, nec ſimiles his noſtris earum formæ fuerunt, & vis quoque diverſa*. Initio Latini ſervarunt quoque numerum elementorum veterum Græcorum, quæ ſex & decem erant: A. B. C. D. E. G. I. L. M. N. O. P. R. S. T. V. quibus poſtea ſex addita ſunt F. K. Q. pro quo ante C. ſcripſerant; X. quæ littera uſque ad Auguſti tempora Romanis fuit ignota, pro qua C. & S. ſolebant ſcribere; Y. & Z. litteræ itidem Romanis inuſitatæ uſque ad Auguſti ætatem, qui pro Z. ſſ. pro Y. vero I. adhibebant: quod ad formam litterarum pertinet, qua veteres in ſcribendo ſunt uſi, non ſolum uſurparunt caracteres majuſculos, ſed etiam minuſculos, quos poſteriores jam Ciceronis ævo exſtitiſſe, varia veterum teſtimonia loquuntur: de litteris Romanorum nonnulli eruditi viri ſunt commentati cum vetuſtiori, tum recentiori ætate: ex veteribus

Ennius, non poëta, ſed poſterior de *litteris Romanorum & ſyllabis* duos libros ſcripſit, quorum meminit *Svetonius* de *illuſtribus grammaticis* cap. I. hiſce verbis: *nam quod nonnulli tradunt, duos libros de litteris ſyllabiſque, item de metris ab eodem Ennio editos; jure arguit Lucius Cotta, non poëtæ, ſed poſterioris Ennii eſſe, cujus etiam de augurandi diſciplina volumina feruntur*:

Meſſala, de quo *Quinctilianus* lib. I.

cap. 6.

cap.6. *an ideo minus Meſſala nitidus, quia quoſdam totos libellos non de verbis modo ſingulis, ſed etiam litteris dedit:*

Lucilius, cujus mentionem faciunt *Velius Longus* atque alii: ſed horum libri interciderunt: ex illis autem, qui ſunt ſuperſtites, legi poſſunt *Terentiani Mauri* carmen de *litteris*, *ſyllabis*, *pedibus & metris*, quod ſæpe prodiit cum ſeorſim, tum in corpore poëtarum & grammaticorum, quos collectos edidit *Elias Putſchius*; item *Iſidorus*, *Priſcianus*, *Donatus*, *Diomedes*, *Quinctilianus* lib.IV. cap.4. Nec defuerunt recentiori ætate, qui de litteris Romanorum argumentum illuſtrarunt, quo labore perfuncti ſunt

Polydorus Vergilius in opere, quod ſcripſit de *rerum inventoribus*, lib. I. cap. 6. p. 34. ubi oſtendit, quis primus litteras invenerit, vel in Latium adtulerit, ac de earum numero aucto, varietate, vi atque ſono agit:

Hermannus Hugo, cujus liber de *prima ſcribendi origine ex univerſa rei litterariæ antiquitate* prodiit Antverpiæ MDCXVII., in quo multa occurrunt de litteris ac caracteribus, ſcribendique ratione veterum Romanorum:

Caſpar Scioppius, qui in *arte critica*, quum agit p.39. de litteris corruptis, varia monet, quæ caracteres ac ſcripturam Romanorum illuſtrant:

Claudius Molinettus, qui eruditam commentationem, qua *hiſtoriam de fatis litterarum romanarum* exhibet, inſertam ephemeridibus gallicis eruditorum d.XXXI. menſis januarii MDCLXXXIV. juris publici fecit, quæ

etiam

Digitized by Google

etiam in *actis eruditorum* MLCLXXXIV. p. 196. extat, de quo argumento diſſerendi auctor nactus eſt occaſionem ex antiquis aliquot nummis, quos bibliotheca Genovefæ Pariſienſis conſervat:

Burcardus Gotthelffius Struvius, qui in *actis literariis ex manuſcriptis erutis* faſcicul. I. p. 12. ſeqq. quum diſſerit de criteriis manuſcriptorum, agit ſimul de litteris latinis earumque forma, deque ſcribendi apud veteres Romanos uſitata ratione;

Bernardus Montfauconus, qui in lucem edidit præſtantiſſimum opus, quod inſcripſit *palæographiam græcam*, Pariſ. MDCCVIII. ad lucem illius adjecta eſt diſſertatio maxime erudita de *priſcis græcorum & latinorum litteris*, quæ auctorem habet *Jo. Boubierium*, ſenatus Divionenſis præſidem:

Chriſtianus Falſterus, vir in explicanda antiquitate litterarum romanarum diligentiſſimus, qui in *quæſtionibus romanis* capite III. p. 61. diſſerit de litteris Romanorum, atque in hoc argumento ſex quæſtiones explicat: quis primus uſum litterarum in Italiam introduxit? quot fuerunt ab initio litteræ Romanorum? quibus litterarum formis in ſcribendo utebantur veteres Romani? quibus compendiis celeritatem ſcribendi adjuvare ſolebant Romani? quomodo ſcribere ſolebant veteres Romani? qualis fuit ſcriptura, quam dicunt Longobardicam?

Jo. Nicolaus Funccius, vir doctiſſimus, in tractatu de *pueritia latinæ linguæ* p. 26. & de *adoleſcentia latinæ linguæ* p. 321. Præter hos illi quoque quodammodo huc ſpectant, qui

do-

de orthographia romana ſcripſerunt, poſthæc a nobis commemorandi.

§. XXI.

Decet quoque grammaticæ latinæ cuſtorem, *pronuntiationem* linguæ huius expendere ac conſiderare: dicitur hæc pars grammaticæ ὀρθοέπεια, id eſt *recta pronuntiatio*; ſive quæ de iſta agit, quam *Quinctilianus* lib. I. cap. 5. *inſtitut. orator.* adpellat *emendatam cum ſuavitate vocum explanationem*: non ſine cauſſa meminit *ſuavitatis*; hujus enim veteres Romani in pronuntiandis ac conjungendis vocibus maxime fuerunt ſtudioſi, eoque nomine ſæpe vocabula mutarunt, ut ad pronuntiationem fierent apta ac ſuaviorem efficerent ſonum. *Cicero* in *oratore ad Brutum* cap. XLV. complura in latina lingua ſuavitatis & aurium cauſſa immutata a vetere ratione tradit: *quid vero*, inquit, *licentius*, *quam quod hominum etiam nomina contrahebant*, *quo eſſent aptiora? nam ut duellum bellum*, *& duis bis; ſic Duellium eum*, *qui Pœnos claſſe devicit*, *Bellium nominarunt*, *cum ſuperiores ſemper appellati eſſent Duellii*: adde *Quinctilianum* lib. I. cap. 4., & *Julium Cæſarem Scaligerum poëtic.* lib. III. cap. 89. Quod ſi nos rectam viam in pronuntiatione linguæ hujus ſequi vellemus, omnino exempla veterum Romanorum deberemus imitari: ſed qualis illorum fuerit pronuntiatio, definire res ardua eſt ac difficilis: lingua enim hæc debet eſſe vulgaris: quis igitur illorum pronuntiationem revocare poteſt? quis iſtam nos debet docere? hinc recte dicit *Chr. Cellarius* in *diſſertationib. acad.* p. 485. *id modo adjungimus*,

Digitized by Google

mus, neminem hodie ſupereſſe, qui veterem latinorum pronuntiationem revocare poſſit, id quod in aliis etiam linguis, quæ deſierunt eſſe vulgares, præſertim in græca, eſt obſervandum: ſatis firmum ejus, quod dixi, eſt argumentum littera græca K. latine per C. expreſſa, quæ inepte ante certas quasdam vocales ſibilatur, ante alias dure ac græcorum more pronuntiatur: v. g. Κικέρον. Cicero: Καῖσαρ. Cæſar, Κόρινθος, Corinthus, Κάτων, Cato. Id dubitatione caret, quod vulgaris pronuntiandi ratio, quæ nunc recepta eſt, longe diſcedat a conſuetudine vetuſtiori: diſcrimen quidem facimus inter litteras duriores & leniores, inter *b.* & *p.* *d.* & *t.* porro inter *f.* *ph.* *v.* *i.* & *y.* inter litteras vocales *e.* *o.* & diphthongos *æ.* & *œ.* ſed licet hanc litterarum diverſitatem ſciamus, etiam ſcribendo exprimamus; loquendo tamen ac pronuntiando iſtam haud obſervamus. Quod ad ſcriptores adtinet, qui de hac parte grammaticæ expoſuerunt, laudandi ſunt

Juſtus Lipſius, qui ſcripſit *dialogum de recta pronuntiatione latinæ linguæ*, qui ſæpe in lucem editus eſt, Antwerp. MDLXXXVI. & cum commentariis variorum de eadem materia MDLXXXVII. item MDCIX. qui etiam extat tomo primo operum Lipſii:

Deſiderius Eraſmus, qui itidem ſcripſit *dialogum de recta latini græcique ſermonis pronuntiatione*: liber hic prodiit cum ejusdem *Ciceroniano* Baſil. MDXXVIII. & ex officina Roberti Stephani MDXLVII. item Lugdun. Batavor. MDCXLVI.

Henr. Rennemannus de *recta pronuntiatio-*

tione linguæ latinæ & cognitione quantitatis lib.II. Jen.MDCIV.& Francof. MDCXII. qui liber etiam ad ſcriptores proſodiæ referri poteſt, de quibus poſt hæc dicemus:

Caſpar Scioppius, cujus *grammaticæ philoſophicæ* addita eſt tractatio de *orthoepeia, ſeu recta litterarum latinarum pronuntiatione*:

Jo. Caſelius in *commentatione de latinæ linguæ pronuntiatione cum additamento ad ſcholarum curatores*, Helmſtad. MDCXI. & Hanover. MDCLI.

Bohuſl. Balbinus in *veriſimilibus humaniorum diſciplinarum* cap.IV. §. 4. p.57. cui addimus *Beniam. Hederichum* in *introductione ad ſcientias philolog.*p.144.

§. XXII.

Pervenimus ad eam grammaticæ partem, quæ verſatur in *orthographia*, ſive arte recte ſcribendi tradenda: de ſcribendi ratione uſitata apud veteres Romanos paullo ante quædam diximus: quales autem notas habuerint, aut quæ compendia propter celeritatem in ſcribendo adhibuerint, poſthæc breviter exponere animus eſt. Jam de orthographia tantum, ejusque ſcriptoribus agamus: ſunt auctores illi & vetuſtiores, & recentiores: ex illis operam ſuam in argumento hoc illuſtrando collocarunt

Velius Longus de *orthographia*, cujus liber prodierat primum Romæ, deinde cum *Fulvii Urſini notis ad Servium, Caſſiodoro de orthographia, & aliis quibusdam* MDLXXXIX.

Marius Victorinus, Afer cujus extat liber de *orthographia*, & *ratione metrorum*, qui cum Eutyche grammatico prodiit ex editio-

ne

ne *Joachimi Camerarii* MDXXXVII., & Baſil. MDXXVII. cum aliis grammaticis:

Flavius Caper, cujus habemus libellum de *orthographia*:

Terentius Scaurus, cujus liber, qui extat de *orthographia*, ſcriptus eſt ad Theſeam:

Agrœtius, qui ſcripſit de *orthographia*, *proprietate*, & *differentia ſermonis* ad Eucherium epiſcopum:

Magnus Aurelius Caſſiodorus, ſenator ex variis grammaticis librum collegit de *orthographia*, qui cum Velio Longo aliiſque lucem adſpexit MDLXXXIX.

Beda, cui duplicem libellum de *orthographia* debemus, quorum alter aliquoties editus fuit inter opera ejus: hi quos jam recenſuimus, extant in collectione grammaticorum *Eliæ Putſchii*: ſed prout ex inſtituto expoſuerunt de orthographia; ita & alii grammatici, & philologi, quum de re grammatica præceperint, argumentum hoc ſimul explanarunt, *Verius Flaccus*, *Quinctilianus*, *Iſidorus Hiſpalenſis*, *Soſipater Chariſius* atque alii. Recentioris ævi ſcriptores orthographiæ latinæ ſunt

Jo. Tortellus de *Aretio*, ſive *Aretinus*, qui Romanæ eccleſiæ ſubdiaconus fuit, niſi hunc ad ætatem mediam referre velimus: prodiit ejus *orthographia*, & *lima Georgii Vallæ in eandem*, Venet. MCCCCXCV. MDIV. neque non editi ſunt *commentarii grammatici de orthographia dictionum e græcis detractarum*, Venet. MCCCCXXXIV. vide *Cornelium a Beughem incunabul. typograph.* p. 136., & *Adamum Rechenbergium de ineptiis litterar. &c.* pag. 553.

exer-

exercit.

Aldus Manutius, qui ſcripſit *commentarium de orthographia*, prodiit ille Venet. MDLXVI. edita quoque fuit *epitome* hujus orthographiæ MDLXXV., & MDXCI.; neque non hanc orthographiam, quæ omnino laudanda eſt, auxit *Bartius* Lipſiæ MDCXI.

Jo. Nemius, qui edidit *orthographiæ rationem graviſſimorum ſcriptorum auctoritate conſtantem*, Antwerp. MDLXXII.

Jod. Willichius, & *Laurentius Valla*; quorum prioris *orthographia* Baſil. MDL., poſterioris vero ibidem MDXLI. prodiit.

Juſtus Lipſius, cujus orthographia extat libro primo *apparatus philologiæ Jo. Michaëlis Dilherri*, qui prodiit Norumbergæ MDCXXXII. & MDCLX. 12., adjecit *Dilherrus* notas, & obſervationes; additus eſt *Lipſii tractatus de vetere latinorum ſcriptura* p. 190 & p. 200., alius de *nominibus Romanorum*, qui & reperiuntur in operibus ejuſdem tom. III. p. 1462. & 1472.

Claudius Dausquejus, ſive *Dauſquius*, Tornacenſis, cujus opus, quod de orthographia romana ſcripſit, omnium præſtantiſſimum eſt, & copioſiſſimum, quo auctor omnium aliorum labores in his ſtudiis collocato longe ſuperavit: prodiit illud Tornac. ſub titulo: *orthographia antiqui novique Latii* MDCXXXII. fol. vol. II., & iterum Pariſiis MDCXXXVII. inſcriptum *orthographia latini ſermonis vetus, & nova*: prius volumen exhibet præcepta; poſterius vero exempla: principio operis hujus auctores orthographię cum veteres, tum recentiores commemorantur:

Chriſtophorus Cellarius, cujus *orthogra-*

Digitized by Google

phia latina ex vetuſtis monumentis, hoc eſt nummis, marmoribus, tabulis, veterumque grammaticorum placitis, nec non recentium ingeniorum curis excerpta, digeſta, noviſque obſervationibus illuſtrata prodiit MDCC. MDCCIV. MDCCX. eſt ejuſmodi compendium, quod & ordine, & perſpicuitate, & brevitate omnibus ſolidæ orthographiæ romanæ auctoribus ſe ſe commendat:

Conradus Samuel Schurzfleiſchius, ex cujus acroaſibus collecta *orthographia romana* Vitembergæ MDCCVII. prodiit: acceſſit *latinitas, & orthographia utriuſque Piſanæ tabulæ Auguſtea ætate digna contra Octavium Boldonum epiſcopum Theanenſem demonſtrata a F. Henrico Noriſio, Veronenſe*: quum *Schurzfleiſchii* frater *Henricus Leonardus* MDCCXII. ederet illius *epiſtolarum arcanarum* tomum ſecundum, adjecit *ſupplementa orthographiæ romanæ* hujus ex ipſo manuſcripto:

Gottlieb Korte, qui Lipſiæ doctiſſimas diſſertationet de *orthographia latina* edidit.

§. XXIII.

Sunt quoque, qui ſpeciatim partes quaſdam orthographiæ romanæ illuſtarunt: ſic *Samuel Schmidius*, Quedlinburgenſis ſcripſit *diphthongographiam, id eſt diſſertatiunculam de vera, & genuina diphthongorum AE & OE ſcriptione*, Lipſiæ MDCLXXVII. Alii de ratione diſtinctionis, ejusque ſignis præceperunt: extat *Eryc. Puteani tabula diſtinctionum ad omnem lectionem, & ſcriptionem neceſſaria*, quæ in lucem prodiit Lovan. MDCX. invenitur quoque in *apparatu philologico* p. 309. *Jo. Michaëlis Dilherri*; præter hunc argumentum hoc illuſtra-

ſtravit *Georgius Ermelius* in *libello memoriali de periodo interpungenda*, Lipſiæ MDCCXI, cui addi poteſt *Jo. Clericus* in *arte critica* part.III. ſect.I.cap.II.edition.MDCCXII., item *Juſtus Lipſius centur*.III. *epiſt*. 39. tom. II. oper. p. 257. Priſci Romani ſcribentes majoribus litteris verba ita continua ponebant, ut vix poſſent diſcerni, niſi ſingula punctis diſcernerentur: hinc in plerisq; inſcriptionibus videmus, quod ſingulæ voces ſingulis punctis ſint ſeparatæ, præter finales verſuum, ubi veteres nulla diſtinctionis ſigna, nulla puncta ſolebant addere; immo habemus inſcriptiones punctis deſtitutas, prout olim heic omnia erant ſimplicia: ita poſtea quum latinitas deſierit eſſe vulgaris, grammatici rem in ordinem redegerunt, ac de ratione diſtinctionum præſcripſerunt regulas, quamvis & hæc antiquiora immutarint poſteriores grammatici: veterum diſtinctiones expoſuit *Erycius Puteanus* in *tabula diſtinctionum ad omnem lectionem, & ſcriptionem neceſſaria*, quam paullo ante laudavimus cap.XI. *Seneca epiſt*.40.dicit: *in græcis hanc licentiam tuleris: nos etiam quum ſcribimus, interpungere conſuevimus*: quæ *Cicero* de *oratore* lib.III.cap.46. *interpuncta verborum* vocat; vide quæ hac de re habet *Chriſtophorus Cellarius* in *orthographia latina* p.70.

§. XXIV.

De recta latine ſcribendi ratione, ſive de orthographia romana grammatici, ac philologi non conſentiunt: ortæ igitur ſunt controverſiæ orthographicæ: namque quum maxime dubia, atque ardua ſit res, definire, qualis fuerit veterum romanorum orthogra-

Digitized by Google

phia, diſputarunt, ex quo petenda ſint recta, & legitima principia artis hujus? num ex lapidibus, monimentis, aut nummis veterum, an ex analogia, etymologia, aut conſuetudine eruditorum? Nonnulli multum adtribuunt lapidibus, nummis, aliiſque hujuſmodi monimentis; quamvis, & hi inter ſe diſſentiant, num lapidibus, & inſcriptionibus, an nummis majus pretium ſit ſtatuendum? Alii vero præferunt analogiam, etymologiam, & conſuetudinem eruditorum: quodſi autographa veterum Romanorum conſervata eſſent, lucem quidem nobis adferre poſſent; rem ipſam vero haud determinare, nec certas, quas ſequi deberemus, regulas præſcribere: latini enim nunquam conſtantem ſcribendi modum ſervarunt, quod exemplis comprobat doctiſſimus *Chriſtianus Falſterus* in *cogitationibus variis philologicis* p. 172. Proinde in hac ſententiarum diverſitate optimam viam eligunt, qui lapides, nummos, aliaque monimenta conjungunt cum principiis grammaticis, analogiæ quippe, atque etymologiæ, cumque eruditorum conſuetudine. Quod adtinet ad lapides, atque inſcriptiones, illis non eandem tribuimus auctoritatem, probe ſcientes, quod in illis occurrant multæ depravationes, quæ ſuam originem habent ab inſcitia, aut negligentia lapicidarum, ac ſculptorum: ſed quod omnia in illis ſint depravata, ac corrupta, non eſt, quod dicamus. Quodſi in ſcriptura quadam lapides conſentiunt, dignitatem omnino præ ſe habet: quamobrem non ab re eſt, ſi quis in his orthographiæ romanæ ſtudiis hæc monimenta adeat, quod facili negotio fieri poteſt,

teſt, poſtquam eruditiſſimi viri ſingulari ſtudio inſcriptiones veteris Latii collegerunt, atque explicarunt: legi poſſunt

Janus Gruterus, cujus opus *inſcriptionum* plane immortale eſt, in quo habes inſcriptiones de templis, altaribus, & aliis monimentis publicis diis dicatis; de ſacrificiis, ædificiis, & operibus publicis: de ſaxis in honorem Imperatorum erectis, marmoribus faſtorum, ſacrificatorum, gladiatorum, & aurigarum circenſium: de monimentis honori magiſtratuum poſitis, & decretis publicis magiſtratuum, & tractatibus diverſarum gentium; de monimentis militum, atque eorum qui officio præerant in palatio Cæſareo, & quæ ſunt reliqua: opus hoc anno MDCCVII. cum præfatione *Petri Burmanni*, atque adjunctis obſervationibus *Jo. Georgii Graevii*, *Marquardi Gudii*, atque aliorum Amſtelodami ſplendide recuſum fuit:

Thomas Reineſius, cujus *ſyntagma inſcriptionum antiquarum cum commentariis* prodiit Lipſiæ MDCXXXII. ſyntagma hoc eſt ſupplementum operis Gruteriani, in quo exhibentur inſcriptiones a Grutero omiſſæ:

Jacobus Sponius in *miſcellaneis eruditæ antiquitatis*, in quibus marmora, ſtatuæ, numiſmata Grutero, Urſino, Boiſſardo, Reineſio, aliiſque ignota referuntur, & illuſtrantur, Lugd. MDCLXXIX.

Henricus Noriſius in *cenotaphiis Piſanis Caii*, & *Lucii Cæſarum*, Venet. MDCLXXXI.

Sertorius Urſatus, qui *marmora erudita* cum explanationibus quorundam, quæ partim in opere Gruteriano extant, partim

Digitized by Google

poſthæc reperta fuerunt edidit Patavii MDCLXXXVIII.

Raphaël Fabrettus in *inſcriptionum antiquarum, quæ in ædibus paternis adſervantur, explicatione, & additamento*, Romæ MDCXCIX.

Guilielm. Fletwood, qui *ſyllogen inſcriptionum antiquarum* cum notis quibusdam edidit, quas collegit ex Grutero, Reineſio, Sponio aliisque, inſtituto laudabili, quoniam tironibus poteſt inſervire, quibus vaſta illa opera evolvere non licet. Sunt plures alii, qui in hoc antiquitatum labore ſunt verſati, atque inſcriptiones collectas, illuſtratas, atque emendatas in lucem produxerunt, quorum indicem exhibet vir celeberrimus *Jo. Albertus Fabricius* in *bibliotheca latina* lib. IV. cap. 5. addi poſſunt marmora Arundelliana, eorumque explicationes: quæ de illis a *Seldeno*, *Lydiato*, & aliis edita, atque ſcripta fuerant, *Humphr. Prideaux* conjunxit, & novis acceſſionibus aucta in lucem edidit ſub titulo: *marmora Oxonienſia ex Arundellianis, Seldenianis, aliisque conflata* Oxon. MDCLXXVI. Scriptores rem nummariam romanam illuſtrantes recenſere, opus eſſet ſingularis libri, cujusmodi quoque extant: habemus enim *Philippi Labbei bibliothecã nummariam*; *Burcardi Gotthelfii Struvii bibliothecam numiſmatum antiquorum*, præter quos *Anſelmus Bandurius* ad calcem operis, quo numiſmata Imperatorum Romanorum a Trajano Decio ad Palæologos Auguſtos perſequitur, Pariſ. MDCCXVIII. *bibliothecam nummariam* adjecit, quam ſeparatim recuſam dedit, atque auxit *Jo. Albertus Fabricius*, Hamberg.

berg. MDCCXIX. addi poſſunt *Caroli Patini introductio in numiſmata*, & præfatio noſtra ad *Laribol. Beveruni ſyntagma de ponderibus, & menſuris* Lipſiæ MDCCXIV. Aliquando fuit amica concertatio inter *Ezech. Spanhemium*, & *Marquardum Gudium* de quæſtione: num major utilitas ab inſcriptionibus, an a nummis in inveſtiganda antiquitate ſit expectanda? quorum ille pro nummis; hic vero pro inſcriptionibus dixit: *Spanhemius* rationes ſententiæ ſuæ exponit principio diſſertat. IX. de *uſu & præſtantia numiſmatum*. Quodſi in hac controverſia animum advertere velimus ad orthographiam romanam, omnino poſſet adfirmari, quod auctoritas nummorum gravior ſit, quam inſcriptionum in determinandis ſcripturis, eam ob cauſſam, quod ſingularis cura in cudendis ac formandis nummis adhibebatur: ad hoc argumentum ſpectat quoque *Chr. Fr. Kube ſpecimen philologiæ numiſmatico-latinæ*.

§. XXV.

Præter inſcriptiones in lapidibus, marmoribus, ac nummis ſcriptores orthographiæ romanæ adhibere ſolent vetuſtiſſima volumina, antiquiſſimos codices manu exaratos: diſputatum igitur fuit, num hiſce libris major, quam illis monimentis auctoritas ſit adtribuenda? *Henricus Noriſius* in *orthographia*, quam adjectam eſſe *Schurzfleiſchii orthographiæ romanæ*, ſupra obſervavimus, cap. I. dicit: *lapides quidem, romano imperio florente inſcripti, latini ſermonis longe cer-*

tia-

tiores teſtes cenſendi ſunt, quam vetuſtiſſima quęque volumina, in quæ tot ſubinde indoctæ librariorum manus graſſatæ ſunt: ſi Virgilii, poëtarum maximi, vetuſtos codices conſulas, tot variantes paſſim lectiones ab eruditis producuntur, ut vir doctiſſimus, Pierius Valerianus, juſtæ molis volumen ex eiſdem concinnaverit: at neque eam diverſitatem, everſo una cum imperio romano eloquio, ferrea latinitatis ætas induxit; nam altero ſeculo poſt Virgilii obitum, quædam verba, non eadem in omnibus Maronis codicibus lecta, non uno loco Gellius adnotavit: & paullo poſt: *hinc, quum codices quamvis vetuſtiſſimi, ac fere vix ex auctorum manibus emiſſi, tot paſſim mutationibus obnoxii evaſerint, operæ pretium erit, antiquarum inſcriptionum, quæ in marmoribus inſculptæ leguntur, teſtimoniis uti; eosdem enim characteres, quibus primum inſculptæ fuerunt, ad noſtram uſque ætatem retinuerunt: hac plane regia via ad puritatem latinæ orthographiæ inveſtigandam Aldus Manutius inceſſit, qui plures poſtea imitatores habuit. Quinctilianus veterem ſcribēdi modum ex vetuſtis Romanorum inſcriptionibus oſtendit lib.1. c.4. & 7.*: removet quoque, quæ alii obiciunt, ſculptores rude hominum genus fuiſſe, qui latinas voces corruptiſſime plerumque in lapidibus inciderint; reſpondet enim: *lapidariis ævo Auguſteo vernacula erat latina lingua, cujus prorſus noſtri in Italia præſertim typographi ignari ſunt: & quidem cum publica decreta a coloniis cudebantur, quod ad Auguſtum transmittenda erant, teſte Suetonio cap.46. a doctiſſimis*

civibus præformabantur, *ne Auguſti*, *quem ſeverum verborum cenſorem norant*, *oculos offenderent*: *auctor eſt Tiro*, *doctus ille Ciceronis libertus*, *apud Gellium l.x. c.1. Pompejum, in publico quodam monumento tertium ſibi delatum conſulatum deſcripturum*, *dubitaſſe*, *num ſe conſulem* tertio, *an vero* tertiū, *ac ea de re Ciceronem conſuluiſſe*, *qui reſpondit*, *ne diverſe opinantium cenſuras ſubiret*, *Tert. ſculpendum eſſe*, *cujus vocis alteram ſyllabam*, *non expreſſam*, *pro libito quiſque poterat pronuntiare*. *S. Auguſtinus in lib. de grammatica ex Varrone tradit*, ſecundo conſulem *ad ordinem ſpectare*, *nempe quod alter collega primum deſignatus fuit*; ſecundum *vero*, *aut* tertium *denotare numerum iterati conſulatus*: *in Ancyranis tabulis Auguſtus* conſul quintum, *& Marius a Cicerone* conſul ſextum, *Agrippa in inſcriptione Panthei* conſul tertium *nuncupantur*: *in cenotaphio Caii jubetur T. Statulenus Juncus decretum*, *de annuis inferiis Cajo in Piſana colonia mittendis*, *ad Auguſtum deferre*: *hinc colligimus*, *ſumma diligentia proprietati verborum eosdem ſtuduiſſe*; *ac in eisdem poſtea ſculpendis curaſſe*, *ut latinæ orthographiæ caracteres ſervarentur*. Sed ut jam obſervavimus, alii codicibus manuſcriptis plus, quam inſcriptionibus tribuunt, ex quibus tantum nominamus *Chriſt. Becmannum*, qui in *manuductione ad linguam latinam* cap.XVIII.p.III.dicit: *manuſcriptis ſi conſentiant*, *ſi a litteratis ſint*, *multum debemus fidei*: *ut & monumentis antiquis*; *minus tamen*, *quam illis*; *nam qui iſta ſculpſerunt*, *plerumque fuere rudes ac plebeii*.

§. XXVI.

§. XXVI.

Sed inſcriptiones veterum monimentorum, ac libri manuſcripti ſæpe non ſufficiunt ad ſcripturas vocum definiendas: quo circa ſubſidia grammatica, analogiæ quippe, atque etymologiæ ſimul ſunt adhibenda. Quod ad originem vocum adtinet, videndum eſt: num cum iſta conſentiant inſcriptiones, ac codices ſcripti, nec ne? ſi eſt prius, ſcripturæ ſatis ſunt probatæ; ſi autem eſt poſterius, inſcriptiones ac codices magis valere, quam originis rationem exiſtimamus. Sed tamen etiam aliquid in hac cauſſa conſuetudini eruditorum dandum eſſe recte monuerunt viri eruditiſſimi: ipſe *Quinctilianus inſtitut.* 1., 22. dicit: *orthographia conſuetudini ſervit, ideoque ſæpe mutata eſt*. Sæpe accidit, ut vocem ultimam verſus, quem vulgo lineam vocant, non capiat, ut propterea ſit dividenda ac pars in verſum ſequentem reiicienda: quomodo autem hujusmodi diviſiones verborum propter verſuum brevitatem ſint inſtituendæ? in eo eruditi & ſententiis, & uſu diſcrepant. Alii rationem habent originis ac derivationis, ad quam etiam *Quinctilianus* lib. 1. cap. 12. dividentes ablegat, quando dicit: *eſt etiam in dividendis verbis obſervatio, mediam litteram conſonantem priori, an ſequenti ſyllabæ adjungas: Aruſpex enim, quia pars ejus poſterior a* ſpectando eſt, s. *litteram tertiæ dabit; Abſtemius quia ex abſtinentia* temeti *compoſita vox eſt, primæ relinquetur*. Alii præcipiunt, ſcribendam eſſe vocem, quemadmodum ſonat, quam ſententiam tradit

Ju-

Julius Cæſar Scaliger de *cauſſis latinæ linguæ*.

§. XXVII.

Vnicam adhuc controverſiam orthographicam attingamus: multi in ſcriptura latina conſuetudinem tenent, ut ſupra ablativos caſus,& adverbia,& alias voculas, conjunctiones præſertim, apices obliquos, aut in acutum angulum concreſcentes, quos vulgo accentus adpellant, collocent. De hac igitur conſuetudine,deque horum accentuum auctoritate fuit diſputatum a grammaticis & philologis, num ſint retinendi, aut abrogandi? utriusque ſententiæ ſunt auctores: alii iſtos abrogatos volunt, quumneque antiquitatem, neque uſum quemdam præ ſe habeant. *Fr. Sanctius Minerv.* lib.IV. cap.14.vocat *ridiculos accentus adverbiorum*. *Ger.Jo: Voſſius* de *arte grammatic.* lib.II. cap.8. dicit: *olim quidem accentiunculas negligebant, hodie vero eas contra conſuetudinem veterum apponimus*: item: *interea eſt, in quo nec Corradi ſententiæ calculum meum adiicere poſſim, quum vulgi ſequutus conſuetudinem, adverbiis ac præpoſitionibus imponere jubet accentum gravem, quo a nominibus ac verbis diſtinguantur; quippe nunquam in iis accentus is locum habet*: copioſe quoque atque erudite adverſus illos diſputat *Chr. Cellarius* in *orthographia latina* p.62. *Jo: Fabricius* edidit MCCXIV. *Octavii Ferrarii diſſertationem de pantomimis & mimis*, cui adjecit *reſponſiones ad nonneminis dubia de orthographia latina*, in quibus p.56. dicit: *& iſti tam accentus, quam circumflexus ex ſcholis trivialibus pro-*

ſe-

ſecti ſunt; ſed litteratoribus & veris grammaticis ac philologis faſtidium movent , qui & alios ſententiæ huic addictos memorat , *Scaligerum* , *Muretum*, *Daumium*. Verum non deſunt , qui in defendendis hiſce accentibus ſuam collocarunt operam , quorum itidem nonnullos recenſere debemus : celeberrimus *Jo: Clericus* in *arte critica* part.III. ſect.I. cap. II.§.21. p.163. dicit : *non ſequimur quidem nunc veteres* , *qui in ſyllabis non ultimis tantum* , *ſed & penultimis & antepenultimis accentus adponebant* , *ut longas ſyllabas indicarent* , *quod nimis operoſum eſſet* : *ſed non improbamus*, *immo etiam imitamur eorum inſtitutum* , *qui accentibus gravibus ſignant adverbia* , *ut diſtinguantur a verbis & nominibus* , *ut* pone, *ne miſceatur cum imperativo* pone ; fere , *ne confundatur cum* fere *vocativo* ; pene (*ſi nolis ſcribere pæne*) *ut ſecernatur a verbo obſcœno* : raro , *ut diſtinguatur a dativo* raro; multum *ut diſcriminetur ab accuſativo* multum ; *ablativos etiam abſolutos ſingularis præſertim in* A , *circumflexis ſolemus ſignare* , *ne confundantur cum nominativis* , *quod ambiguitates interdum ſat magnas creare poteſt*; *quas cur non vitemus*, *nullam rationem video*. Ubi ſupra laudata diſſertatio *Jo: Fabricii* in *actis eruditorum* MDCCXV. p.15. recenſita fuiſſet , adjecit p. 16. eruditiſſimus *Chr. Aug. Heumannus meditationem orthographicam* , in qua hoſce adventus adverſus Fabricium deſcendendos ſuſcepit , ita tamen , ut heic diſtinguendum eſſe arbitretur : *ubi nempe* , inquit , *ſententia ſermonis lectoribus linguæ ſatis peritis nihil difficultatis*

tis

tis faceſſere poteſt, *cl. Fabricio ſubſcribo* : *verum ſæpe eſt*, *ubi vel doctiſſimi hoc adminiculo deſtituti labi queunt atque errare* ; *ac tunc quidem illæ notulæ ut apponantur*, *ſuadet ratio*: addit quoque exempla, ac per iſta utilitatem horum accentuum commonſtrare conatur. Ad hæc, quæ objecerat clariſſimus *Heumannus*, reſpondit *Fabricius* in *actis eruditorum* dicto anno p. 55.: acceſſit ad horum virorum ſententiam *Chr. Falſterus* in *cogitationibus variis philologicis* p. 176. *neque enim*, inquit, *philologorum quisquam*, *etiam inimiciſſimus accentibus*, *negare merito poterit*, *hos & antiquos eſſe*, *& ad perſpicuitatem ſtili perquam neceſſarios*. Duo in primis ſunt argumenta, quibus opinionem hanc, horumque accentuum auctoritatem niti ſibi perſuadent. Primum enim ad antiquitatem provocant atque obſervant, accentus hos eſſe antiquiſſimos, id quod in ſe clarum eſt: veteres enim philologi ac grammatici apud Romanos mentionem illorum faciunt, ex quibus *Quinctilianus* lib. 1. cap. 11. dicit: orthographiæ *ars non in hoc poſita eſt*, *ut noverimus*, *quibus quæque ſyllaba litteris conſtet*; *nã id quidem infra grãmatici officium eſt*, *ſed totam* (*ut mea fert opinio*) *ſubtilitatem in dubiis habet*: *ut longis ſyllabis omnibus apponere apicem*, *ineptiſſimum eſt*, *quia plurimæ natura ipſa verbi*, *quod ſcribitur*, *patent*; *ſed interim neceſſarium*, *quum eadem littera alium atque alium intellectum*, (*prout correpta*, *vel producta eſt*) *facit*, *ut* malus, *utrum arborem ſignificet*, *an hominem non bonum*, *apice diſtinguitur*. Palus, *aliud priore ſyl-*

laba longa, aliud ſequenti ſignificat: & cum eadem littera nominativo caſu brevis, ablativo longa eſt, utrum ſequamur, plerumque hac nota monendi ſumus. Sed alii reſpondent, his verbis patere, quod diverſa veteribus Romanis fuerit ratio virgularum, vel apicum ab ea, quæ ſoleat hodie in vulgari ſcriptura eſſe; ſerviebant enim pronuntiationi, ut longa ſyllaba, ſi dubia pueris eſſet, hac nota diſtingueretur, ac ubique pronuntiatio juſtum tempus & quantitatem ſyllabarum obſervaret: ſed hæc pueris adhibebantur, ultra quam ætatem conſuetudo hæc non proferebatur, quemadmodum loquitur *Chr. Cellarius* in *orthographia latina* p.63. Addunt, quod in tot veterum monimentis, lapidibus, inſcriptionibus pauca exempla horum accentuum inveniantur. *Muretus* in *Lipſii dialogo de pronuntiatione* cap. XIX. aperte ſic illum adloquitur: *vagare mihi per hanc urbem* (Romam) *& quære multa monumenta in utraque lingua; lapis ego ſi accentiuncularum iſtarum unquam apex. Henricus Noriſius* quamvis contra Voſſium in *orthographia* p.139. contendat, conſuetudinem apices, ſive accentus ſupra voces collocandi non eſſe recentem, atque ad cenotaphia Piſana, in quibus illorum ſint exempla, provocet; fatetur tamen, accentus hoſce in lapidibus eſſe rariores. Quod enunciatum ut clarum ac certum adpareat, non ab re erit, ipſa auctoris verba recenſere: poſtquam igitur Voſſii ſententiam de accentibus hiſce preſcribendis memoravit, addit: *at ejuſdem opinionem uter-*

que

que lapis Piſanus elidit, in quibus accentus notantur, quorum etiam rationem ex vetuſtis grammaticis producam: in primis, non eſſe recentem conſuetudinem apponendi accentus, colligimus ex noſtris tabulis, quæ vetuſtiſſimæ ſunt, utpote imperante Auguſto ſculptæ, & aurea latini ſermonis ætate: rariores quidem in lapidibus accentus ſignatos videmus; nam inter innumeras inſcriptiones in theſaurum Gruterianum collectas pauciſſimæ accentus præferunt, exempli gratia, pag. 493. 607. 4. 637. 1., 698. 3. 816. 8. 950. 8. & aliæ rariſſimæ, in pluribus forte accentus ſcalpti ſunt, quos tamen exſcriptores omiſerunt: ita eſt in vaſto inſcriptionum opere, quas *Gruterus* collegit, non multæ inveniuntur, quæ ejuſmodi notulas habent: immo ubi iſtæ adparent, a conſuetudine noſtræ ætatis plane abhorrent, nec ad imitationem poſſunt trahi; eo enim loco notulæ hæ ſunt poſitæ, ut cauſſam cur adpareant, nullam videamus, quum neque pronuntiationi, neque intelligentiæ ac perſpicuitati poſſint inſervire, Quodſi hæc exempla inſcriptionum vellemus imitari, non deberemus ſupra caſus auferendi, ſupra adverbia, ſupra alias voculas, præſertim conjunctiones, hos accentus collocare, prout noſtra fert conſuetudo. Ipſi, qui pro his apicibus dicunt, rite cognoſcunt, in antiquitate nullum illorum præſidium inveniri, quod argumentum ab antiquitate deſumtum in ſe quoque non multum ad cauſſam hanc componendam valet: quodſi enim in orthographia unice veterum Romanorum exempla ſequi vellemus,

multa quæ nunc communi conſuetudine ſunt confirmata, atque ſermoni perſpicuitatem conciliant, eſſent abroganda, quod in punctis, commatibus, atque aliis diſtinctionum ſignis videmus, quæ non omni ætate apud Romanos fuerunt uſitata. Proinde aliam cauſſam pro his accentibus adferunt, atque ad utilitatem illorum provocant, illos ſermonis ſententiam efficere clariorem: verum ratio hæc nec ſatis diſtincte, nec ſolide propoſita nobis videtur; accentus enim duplici ratione ſunt conſiderandi, & pro conſuetudinis ratione; & in ſe. Quod ſi enim iſtos conſideramus, prout a multis noſtra ætate uſurpantur, & præcipue ſuper caſus ablativos, adverbia, conjunctiones collocantur, hac ratione eos inutiles eo nomine pronuntiamus, quoniam ab illis quoque, qui leviter latinæ linguæ ſunt periti, voces earumque diverſitates, num ſint adverbia, an conjunctiones; num in ablativo, aut alio caſu ſint poſitæ, facile poſſunt diſcerni. Immo ſi hæc ſigna diſcretionis cauſſa adponantur, cur non ſuper alias voces, in quibus eadem diſcretio neceſſaria eſt, e. g. in caſibus gignendi & dandi primæ declinationis numeri ſingularis; in caſibus dandi & auferendi numeri multitudinis in ſingulis declinationibus, quod etiam de verborum temporibus dicendum eſt, collocantur? Quam vulgarem conſuetudinem minus firmam quum nonnulli, qui accentus hos nihilominus tuentur, viderent, illos retinendos quidem; ſed rite collocandos eſſe cenſuerunt, ea de cauſſa, ut per hæc ſigna ſermonis perſpicuitati proſpiciamus. Sed nec hanc opi-

opinionem probare poſſumus: quodſi enim quis ſectatur perſpicuum ſcribendi ac dicendi genus, non habet neceſſe, ſigna hæc adhibere: in aliorum ſcriptis ſi ambigua atque obſcura occurrunt, alia habemus ſubſidia, quorum ope hæc ſententiæ impedimenta removere, atque ad intelligentiam illorum, quæ ſcriptor voluit ſignificare, poſſumus pervenire.

§. XXVIII.

Solent quoque orthographiæ ſcriptores agere de notis, ſive breviata ſcriptura, quamvis iſtæ non tam ad orthographiam, quam lectionem, aliam grammaticæ partem pertineant. Tempore Ciceronis Romani cœpere, notas excogitare atque adhibere: namque quum conſul eſſet, eo ſuadente Romani de inveniendo modo fuerunt ſolliciti, quo per celeritatem ſcribendi alterius ſermonem calamo poſſent excipere: ad hanc operam primus ſe contulit Ciceronis libertus Tullius Tiro, atque in excogitandis notis breviſſimis tam felix fuit, ut integram orationem Catonis, quamvis loqueretur feſtinanter, ad verbum poſſet excipere, cujus rei teſtis eſt *Plutarchus* in *Catone Uticenſi* p. 290. Id tamen non ita intelligendum eſt, ac ſi prima origo notarum a Romanis ſimpliciter ſit repetenda, nec iſtæ ante hoc tempus apud alias gentes cognitæ fuerint: habebant illas Hebræi, Græci, & aliæ nationes; Romani vero iſta tempeſtate novam illarum ſpeciem, eamque propriam inveniebant. Tironem deinde alii ſunt ſecuti in quibus erant Aquila libertus Mæcenatis, Perſannius, Philargius, Seneca, de quibus

Iſidorus originum lib.1. cap.21. ita dicit: *vulgares notas Ennius primus mille & centum invenit: notarum uſus erat, ut quidquid pro concione, vel contentione, aut in judiciis diceretur, librarii ſcriberent complures ſimul adſtantes, diviſis inter ſe partibus, quot quiſque verba, & quo ordine exciperet. Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentatus eſt notas, ſed tantum præpoſitionum: poſt eum Tertius Perſannius, Philargius, & Aquila libertus Mæcenatis alius alias addiderunt: deinde Seneca contracto omnium digeſtoque & aucto numero, opus efficit in quinque millia: notæ autem dictæ, eo quod verba, vel ſyllabas præfixis characteribus notent, & ad notitiam legentium revocent, quas qui didicerunt, proprie jam notarii adpellantur*: quum in his verbis mentionem fecerit Senecæ, obſervat celeberrimus *Jo: Albertus Fabricius* in *bibliotheca latina* lib.II. c.9. p.363. vero ſimile eſſe, Senecam ab Iſidoro innui non philoſophum, ſed M. Annæum patrem. Sed quum contingeret, ut notæ hæ occaſionem ambiguitatis, atque ex hac controverſiarum præberent, Imperator Juſtinianus lege publica vetuit, ne quis amplius his notis in ſcriptis publicis uteretur. Uſus illarum inprimis duplex erat: primum, ut verba dicentis ſingulari celeritate excipere, vel quævis alia citiſſime in litteras mittere poſſent notarii: deinde ut ope horum ſignorum ſcriberent occulte. Quod ad priorem uſum adtinet, de eo teſtatur *Plinius*, qui libr.III. *epiſt.*5. §.15. de avunculo refert, quod eum in finem adhibuerit notarium: *in itinere, quaſi ſolutus cete-*

te-

teris curis, huic uni vacabat: ad latus notarius cum libro & pugillaribus, cuius manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem aſperitas ullum ſtudii tempus eriperet: de poſteriori uſu hujus ſcripturæ breviatæ teſtẽ habemus *Ciceronem*, qui lib. XIII. ad *Atticum* *epiſt*. 32. ſcribit: *& quod ad te de decem legatis ſcripſi, parum intellexiſti credo, quia διὰ σημείων ſcripſeram*, cujusmodi teſtimonia adhuc plura apud veteres ſcriptores extant. *Bern. a Mallinkrot* in *diſceptat. philolog. de natura & uſu litterar.* cap. XXIV. ubi agit de notis veterum, iſtarum tria fuiſſe genera obſervat: primum *furtivas*, quum ſcriptum ſit inverſo, vel tranſpoſito litterarum ordine: ſecundum *ſingulares*, quum per litteras ſingulas, aut plurium conjunctionem integræ dictiones ſignificatæ; ac tertium *proprie ac ſtricte ſic dictas*. Alii autem monent, quod furtivæ, quas adpellat, ad notas non pertineant, quia non ſint compendia in ſcribendo; ſed tantum ordo, quem litteræ ex ordine habere debeant, mutetur: quæ *Suetonius* de orthographia Auguſti cap. LXXXVIII. habet, quodammodo huc pertinent, quando dicit: *orthographiam, id eſt, formulam, rationemque ſcribendi a grammaticis inſtitutam non adeo cuſtodiit, ac videtur eorum ſequi potius opinionem, qui perinde ſcribendum ac loquendum exiſtiment: nam quod ſæpe non litteras modo, ſed ſyllabas aut permutat, aut prætérit, communis hominum error eſt: nec ego id notarem, niſi mihi mirum videretur, tradidiſſe aliquos, legato eum conſulari ſucceſſorem dediſſe, ut rudi & inducto, cujus ma-*

nu

nu ixi *pro* ipſi *ſcriptum animadverterit*: *quoties autem per notam ſcribit*, b. *pro* a, c *pro* b, *ac deinceps eadem ratione ſequentes litteras ponit*; *pro* z *autem duplex* a a. Notæ hæ ad duo genera commode poſſunt referri: aliæ erant meræ litteræ, quibus integra vocabula exprimere ac ſignificare volebant, quando ut exempla ad rem illuſtrandam adferamus, in judiciis A abſolvendi, K damnandi ſigna fuerunt; item quando per litteram C. Cajum, per litteram P. Publium ſignificarunt: alia erant ſigna, quæ inventa atque addita fuerunt, quod litteræ eſſent paucæ, nec ad omnes voces ſignificandas ſufficerent. Pluresſunt auctores, qui vetuſtiori, & recentiori ævo de notis veterum Romanorū ſunt commentati; quod ad veteres adtinet, extant *notæ*, ſive *ſiglæ* nomine Tironis ac Senecæ inſignitæ, quas primus e Jo. Trithemii codice *Janus Gruterus* in lucem emiſit, atque operi *inſcriptionum veterum* ſubjunxit, de quibus legi poteſt celeberrimus vir, *Jo: Albertus Fabricius bibliothecæ latinæ* lib. II. cap. 9. ubi & alios auctores de hoc argumento recenſet: nobiliſſimus quoque argumenti hujus auctor eſt *M. Valerius Probus*, qui reliquit poſteritati de *notis Romanorum interpretandis libellum*, qui ita incipit: *eſt circa perſcribendas, vel paucioribus litteris notandas voces ſtudium pernec eſſarium, quod partim pro voluntate cujusque fit, partim uſu publico & obſervatione communi: nam apud veteres, quum uſus notarum nullus eſſet, ſcribendi facultatem, maxime in ſenatu qui aderant ſcribendo ut celeriter comprehenderent, quædam*

verba atque nomina ex communi conſenſu primis litteris notabant; *& ſingulæ quid ſignificarent*, *in promtu erat*: *quod in nominibus*, *pronominibus*, *legibus publicis*, *pontificumque monumentis*, *juriſque civilis libris etiam nunc manet*: *ad quas notas publicas acceſſit & ſtudioſorum voluntas*, *ut unuſquiſque familiares ſibi notas pro voluntate ſignaret*: reperitur hic libellus in *opere grammaticorum* edito a *Putſchio*; ubi & alii hujus rei ſcriptores collecti ſunt: *notæ juris a Magnone collectæ ad Carolum M. Imper.*; *Petri Diaconi de notis litterarum more romano liber ad Conradum I. Imper.*: *notarum veterum explicatio ex Papiæ gloſſario*: *notarum juridicarum explanatio ex veteribus membranis*: *notæ numerorum & ponderum ex antiquo codice*: hæc ſcripta extant quoque in *auctoribus latinæ linguæ Dionyſii Gothofredi*: præter *Putſchium*, ac *Gothofredum* edidit iſta junctim cum obſervationibus *Fridericus Lindenbrogius* Lugd. Batavor. MDXCIX. Inter recentiores princeps eſt *Sertorius Urſatus*, cujus habemus *commentarium de notis Romanorum*, in quo exhibentur notæ, quotquot potuerunt reperiri, collectæ, litterario ordine digeſtæ & obſervationibus *Urſati* explicatæ, Patav. MPCLXXII., & tom. XI. p. 508. *theſauri antiquitatum romanarum Jo. Georgii Grævii*. Præter hunc legi poſſunt *Aldus Manutius* in *veterum notarum explanatione*: *Balthas. Fridericus Saltzmannus* diſſert. II. & III. de *ſcriptionis antiquæ varietate*; *Wolfg. Latius* de *ratione legendi litteras abbreviatas in monumentis*: *Jo. Muſlerus* in *arte notandi ſigna* cum no-

notis *Jo: Friderici Hekelii*, Cygneæ MDCLXXX. *Jo: Nicolai* liber de *ſiglis veterum* Lugd. Batavor. MDCCIII., *Chr. Falſterus* in *quæſtionibus romanis* p. 71., *Chr. Breithauptus* in *diſquiſitione de variis modis occulte ſcribendi*, Helmſtad. MDCCXXVII. p. 27. & alii, quos laudat *Jo: Albertus Fabricius* in *bibliotheca latina* lib. II. cap. 9. p. 363. & lib. IV. cap. 6. p. 775. Illis, quos de ſcribendi ratione Romanorum generatim commendavimus, addi poſſunt *Fridericus Sylburgius* in *tractat. de vetere Romanorum ſcriptura*, quæ addita eſt *Scioppii grammaticæ philoſophicæ*; *Carolus Du Freſne* in *præfatione gloſſarii latinitatis* p. 7.; *Jo: Mabillonius* de *re diplomatica* lib. I. cap. II. de diſtinctionibus varia collegit *Auguſt. Griſchovu* in *introductione in philologiam generalem* p. 114. de *nugis orthographicis* legi poteſt *Jo: Burch. Menckenius* in *declamat. de charlataneria eruditorum* p. 109. & p. 113. *not.* priori loco hæc referuntur: *alia lis eſt inter criticos de orthographia, utrum ſcilicet litteræ Q. inſit vis τȣ V., quod adeo firmiter ſibi perſuaſit Thomas Gatakerus, ut integrum opus M. Antonini Imp.* de rebus ſuis *ita curaverit imprimi Cantabrigiæ* MDCLII., *ut V. poſt Q. omitteretur, & v. g.* qi, qæ, qod *ſcriberetur, quod quantum offendat lectorē, quivis facile intelligit: & Gatakero hæc forte condonanda: at illud vix ferendum, quod Belgæ, cum* opera *illius critica junctim ederent Trajecti ad Rhenum*, MDCXCVIII., *eandem rationem in hoc ſcripto ſervarint, in ceteris communem ſecuti.*

§. XXIX.

§. XXIX.

Grammatica etiam exponit de *proſodia*: ex veteribus in hoc argumento occupati ſunt *Terentianus Maurus* de *litteris*, *ſyllabis*, *pedibus*, & *metris*: *Servius Honoratus* de *pedibus verſuum*, de *ſyllabarum quantitate*; *Ruſfinus* in *metra Terentiana*, de quibus ſupra dicta ſunt quædam. Ad recentius ævum pertinent *Nicolaus Perottus* de *generibus metrorum*, fol. Venet. MDXXII.; *Franc. Manturantius* de *arte metrica*, fol. Venet. MDXXII.; *Omniboni Leoniceni Vicentini* libellus de *arte metrica*, fol. Ven. MDXXII.; *Georgius Fabricius* *epit. proſodiæ, & elegantiarum poëticarum*, Lip. MDLXIX.; *Georgius Sabinus* libell. de *carminibus ad veterum imitationem artificioſe componendis* Franc. MDXCVIII. 8.; *Henricus Smetius*, *Jo. Clajus* in *proſodiis*. Pars illa proſodiæ, quæ agit de quantitate ſyllabarum, pertinet ad grammaticam, ſine qua pronuntiatio haud rite perfici poteſt; reliqua vero ſpectant ad artem poëticam, quæ modum verſus componendi demonſtrat: hæc cauſſa eſt, qua adducti in commemorandis auctoribus breviores ſumus: lectio poëtarum huc multum facit, quorum monimenta niſi nobis ſupereſſent, nihil haberemus, ex quo rationes ſyllabarum poſſent cognoſci. Accedit *etymologia*, quæ præcipue origines vocum tradit, ſimulque comprehendit caſuum, & ſignificationis diſcrimen. *Quinctilianus* lib. 1. cap. 9. *etymologia, que verborum originem inquirit, a Cicerone dicta eſt notatio, quia nomen ejus apud Ariſtotelem invenitur* σύμβολον, *quod eſt* nota; *nam verbum e verbo ductum, id eſt* veriloquium, *ipſe Cicero,*

qui

qui finxit, *reformidat*: ſcriptores illius partim ad grammaticos, de quibus ſupra diſputavimus, partim ad lexicorum auctores poſſunt referri; proinde non eſt, quod nunc de illis diſſeramus.

§. XXX.

Denique ad grammaticam pertinet *ſyntaxis*, de qua itidem nonnulli ſpeciatim diſſeruerunt, quamvis diverſi ſint generis: alii regulas elegantiarum tradiderunt; alii vero varias obſervationes huc ſpectantes collegerunt: ex illis, qui regulas elegantiarum exhibuerunt, laudandi ſunt *Franciſcus Sylvius* in *elegantia latina* Doceti MDCLIV.; *Chr. Arnoldus* in *ornatu latinæ linguæ* Nor. MDCLVII. MDCLXXIX., *Andr. Reyherus eleg. latini ſermonis regulis* Lipſ. MDCXCVII., *Georgius Vogelmannus eleg. latini ſermonis* Lipſ. MDCXXXIII. MDCLXXXIV. MDCCXI., *Ludovicus Strebæus* de *verborum electione*, *&* *collatione*, † ut de multis aliis taceamus. Illi, qui obſervationes romanæ linguæ ediderunt, quæ modo ſignificationes, modo juncturas, modo proprietates vocum illuſtrant, partim ad ordinem grammaticorum, partim lexicorum auctorum poſſunt referri: nonnullos recenſere ſcriptionis hujus ratio poſtulat; pertinent igitur ad hanc claſſem

Lau-

† *Has elegantiarum regulas plurimi ſcholarum magiſtri magni faciunt, & laudant ſuos litterarum alumnos maximopere, quum ad normam illarum ſua latini ſermonis exercitia adcommodent. Sed dicant: quo fundamento hæc elegans, hæc ornata ſyntaxis ſit ſuperſtructa? cur*

Laurentius Valla, qui ſcripſit *elegantiarum latinæ linguæ* libros VI. qui non ſolum ſæpe prodierunt, inter quas editiones optima eſt Cantabrigienſis MDCLXXXVIII. 8., ſed variis quoque illuſtrati ſunt commentariis e. g. *Jo. Theodorici Bellovaci*, *Jo. Ræneri*, *Gisberti Longolii* aliorumque: commendanda quoque eſt editio: *Laurentii Vallæ* libri de *lingua latina*; de *reciprocatione* ſui, & ſuus: ejusdem in *Ant. Raudenſem adnotationes*: in *Poggium apologeticus*: Jo. Badii in *ſex de latinæ linguæ elegantia libros*, *& librum de reciprocatione* ſui, & ſuus *epitome* Paris. Rob. Stephan. MDXLII. *Mancinelli* autem Itali *caſtigationes in hos Vallæ libros* prodierunt Franc. MDCXIII. 8. *Valla* multa collegit ſine debita diligentia, ac juſto ordine: de controverſiis ejus, & interpretibus *elegantiarum* plura videas apud *Geſnerum pandectis* lib. I. tit. XIV. p. 30., & *D. G. Morhoſium polyhiſtore litterario* IV., 10., 6. p. 122.

Q. Marius Corradus libris V. de *copia la-*

E e *tini*

cur dicant hanc, vel illum vocum juncturam elegantem? *unde id cognoſcant? dicant: cur conſtructio* multitudo pecuniæ *pro* multa pecunia; *item* magna per pericula *pro* per magna pericula: *item quum aliquid inter adjectivum, & ſubſtantivum nomen ponitur, referatur ad ſyntaxin elegantem? nonne hic eſt genius vulgaris latinæ linguæ? & quomodo de elegantiis mortuæ linguæ poſſumus judicare, quum in veterum monimentis haud extet, ex quo hæc elegantia cognoſcatur? verum enim vero quia recedunt hæ conſtructiones a noſtra dicendi indole, ſæpe dici ſolent* elegantes.

tini ſermonis, Venet. MDLXXXII. 8., quibus diſſerit de rebus grammaticis, inprimis verborum analogia: item libris XII. de *lingua latina ad Marcellum fratrem*, Venet. MDLXIX., Bonon. MDLXXV.

Auſonius Popma, Friſius, de *differentiis verborum* libris IV. & de *uſu antiquæ locutionis* libris II. curante *Barth. Muſculo* Gieſſ. Haſſ. MDCXVIII. MDCLX., Lipſiæ MDCXCIV. cum addit. *Heckelii* 8. Franeq. MDCLIV. 12. qui libri utiliſſimi ſunt, ac multa capita vocum latinarum egregie illuſtrant:

Deſiderius Eraſmus de *copia verborum*, *& rerum*, Gotting. MDCXC. 12., & alibi: extant quoque tomo primo *operum Eraſmi*, quæ prodire cœperunt Lugduni Batavorum MDCCIII. cum præfatione *Jo. Clerici*: tres ſcripſit libros de *copia verborum ac rerum* atque in illis artem eandem rem diverſis modis proponendi, tradidit. *Veltkirchius* ſcripſit in illos commentarium, quem laudat *Thomas Crenius* in *tract. de philologia*, *ſtudiis liberalis doctrinæ*, *informatione & educatione litteraria generoſorum adoleſcentum* p. 10. *Aug. Bucnerus* ipſos libros Eraſmi commendat, quando de *commutata ratione dicendi* de iſtis ita ſentit: *ſed ad hanc rationem non multum contulerunt magiſtri veteres, qui quum de elocutione præciperent, de exornandæ orationis figuris magis, quam variandæ & convertendæ laborarunt, atque hanc rationem vix attigerunt: e junioribus primus hunc campum Eraſmus ingreſſus eſt; quem deinde ſecuti alii pro ſuo quisque ingenio hanc illuſtraverunt doctrinam*, procem. lib. 1. §. 9.

&

& in diſſertat. de *exercitat. ſtili* p.667. *quæ univerſa ratio a magno illo & vere admirabili Eraſmo peculiari libello explicata & tradita eſt; nos quoque non ita pridem nonnihil privatæ operæ in iſtam contulimus rem, rogatu quorundam honeſtiſſimorum juvenum, qui in hoc litterarum genere juvari noſtra induſtria cupiebant:*

Rodolphus Goclenius in *obſervationum linguæ latinæ*, ſive *puri ſermonis analectis* Franc. MDCXXI. item *problematum grammaticorum libris* V. ibid. 8.

Caſpar Scioppius in *infamia Famiani*. Sor. MDCLIX. de *ſtilo: ſeu de virtutibus & vitiis ſtili hiſtorici* ibid., & *paradoxis litterariis* Amſtelod. MDCLVIII., item contra Scaligerum & Voſſium:

Henricus Stephanus in *expoſtulatione de latinitate ſuſpecta*, Paris MDLXXVI. 8.

Daniel Vechnerus, in *hellenolexia, ſive parallelismo græco-latino*, Lipſiæ MDCLXXX. 8.

Auguſtus Buchnerus de *commutata ratione dicendi* libris duobus Lipſiæ MDCLXXX., & MDCLXXXIX. 12.

Bohusl. Balbinus veriſimil. humaniorum diſciplinarum variis locis: plures adhuc alii ſimul conſuli poſſunt *Gu. Inſulanus obſervationibus linguæ latinæ* Col. MDXXXIII. 8.; *Mat. Corderius* de *corrupti ſermonis emendatione*, Lugd. MDXLVII. Venet. MDLI. 8.; *Carol. Stephanus latinæ linguæ cum græca collatione* Pariſ. MDLIV. 8.; *Barth. Bartholinus* diſp. de *latini ſermonis puritate*, Haf. MDCXLV. 4.; *Jacobus Thomaſius* de *ſtili ethniciſmo*: hæc ſufficiant de grammaticarum auctoribus: quod ſi quis mi-

retur, nos retuliſſe libros ad grammaticarum claſſem, quo jure ſuo, & merito haud pertineant, ille deſinet mirari, quando latiorem grammaticæ ſignificationem revocabit ad mentem ſuam.

§. XXXI.

Poſtquam hiſtoriam grammaticorum breviter tradidimus, reſtat, ut quædam de *indole*, *neceſſitate*, *auctoritate*, ac *cultura grammaticæ latinæ* ſubjiciamus. Quod ad *indolem* illius pertinet, generatim ipſa grammatica, uti jam in prolegomenis obſervavimus, eſt diſciplina philologiæ, quæ præcepta recte loquendi, ac ſcribendi tradit, ſuoque munere nihil aliud præſtat, quam ut viam ad habitum linguæ, ac ſtili terſioris præparet. Dividi illa poteſt *in generalem*, ac *ſpecialem*: *illa* exhibet ejuſmodi regulas, quæ ad omnes gentium linguas ſunt adplicandæ, eoque nomine rationem legendi, ſcribendi, pronuntiandi, & loquendi linguis omnibus communem explanat: ſed *ſpecialis* eſt, quæ cuidam linguæ ſpeciatim eſt adcommodata: hæc iterum eſt, vel *ſimplex*, vel *compoſita*: *illa* agit de vocibus ſimplicibus; *hæc* de vocum conjunctione, ſive ſyntaxi: ſyntaxis eſt vel *communis*, vel *propria*, vel *rarior*: ſyntaxis latina *communis* docet, quomodo vernacula conveniat cum latina: *propria* differit de latiniſmis, & *rarior* de archaiſmis, græciſmis, ſolœciſmis, barbariſmis. Hicce ordo, quem jam in conſcribendis grammaticæ præceptis commendamus, convenit cum ipſa re, hocque nomine omnino obſervandus eſt: namque quum grammaticam partem eſſe philologiæ, paullo ante a nobis

fue-

ſuerit adfirmatum, ex hoc ſequitur, ut conjungenda ſit cū philoſophiæ diſciplina, quæ de arte bene ac recte cogitandi præcipit. Quod tamen non ita intelligendum eſt, ac ſi grammaticus auctor omnia artis ſuæ capita ſecundum philoſophiæ, ac præcipue logicæ regulas deberet metiri, id quod a linguarum indole, quæ ex conſuetudine multum dependent, eſſet alienum: in hoc interdum peccarunt *Sanctius*, & *Scioppius*, alioquin graviſſimi grammaticæ latinæ auctores, quos in emendanda haece arte modum haud tenuiſſe, ac proſcriptis utilibus regulis nugas quandoque protuliſſe, eruditiſſimi viri monuerunt: inter hos eſt *Daniel Georgius Morhofius*, qui in *polyhiſtore litterario* lib. 2. cap. 1. §. 33. dicit: *quo magis miror, eſſe homines, qui tricas tricis augent, ac novas grammaticas philoſophicas comminiſcuntur, quibus expeditius, ſi diis placet, informentur pueri.* Nec ſolum præcepta hæc cum re ipſa, ac ratione convenire; verum etiam breviora eſſe debent, ea de cauſſa, quod viam tantum ad linguam cognoſcendam ejuſque facultatem præparant: rei ſane ſcholaſticæ magiſtri minus proſpiciunt, quando juvenibus copioſiores grammatice libros evolvendos proponunt; ac magnam temporis, quod lectioni auctorum, meditationi atque exercitationi eſt adtribuendum, partem ſine diſcentium utilitate in explicandis illis conſumunt. Multo minus laudanda ſunt eorum inſtituta, qui pueris latinæ linguæ notitia primum imbuendis grammaticæ præcepta latino ſermone conſcripta tradunt, quæ conſuetudo in ſcholis

noſtræ gentis, quamvis ubique fere ſit recepta, minus poteſt tolerari; quomodo enim hi pueri, quum latinæ linguæ ſint ignari, ejuſmodi regulas capiant, atque intelligant? quas licet memoriæ ſuæ tradant, minime tamen quid ſignificent, poſſunt videre: grammatici libri, qui noſtris ſcholis inſervire debent, conſcribendi ſunt vernaculo ſermone; aut regulæ, ubi quis iſtas latine tradere velit, ſimul germanice explicandæ, quam poſteriorem docendi rationem ſequutus eſt, præter *Andream Reyherum* in *grammatica latina*, *Georgius Henricus Urſinus* in *inſtitutionibus linguæ latinæ*, eo nomine laudatus a celeberrimis auctoribus *actorum eruditorum* MDCCI. p. 17. qui dicunt: *& primum quidem monendum, ipſa grammaticæ præcepta, germanico ſermone; uberiorem vero eorum diſcuſſionem latino ab auctore proponi, idque prudentiſſime: quum enim Germanis inprimis latinæ linguæ addiſcendæ cupidis, conſultum iret, elementa non alio, quam vernaculo iis idiomate exhibenda cenſuit; repudiata inepta illa, ſed paſſim per Germaniam hactenus recepta conſuetudine, qua pueri latinæ linguæ notitia primum imbuendis ejusque adeo plane ignaris, præcepta latino ſermone, eaque terminis inſuper metaphyſicis, quos miſeri non capiunt, mire obſcurata obtruduntur.*

§. XXXII.

Antequam initur lectionis, meditationis, atque exercitationis via, *neceſſarium* eſt, inſtruere animos fructuoſis grammatices præceptionibus: hæc enim ars omnino eſt mater facundiæ, quæ nobis monſtrat rationem recte

lo-

loquendi, & ſcribendi, ſine qua nemo ad laudem, & facultatem ſtili purioris, atque elegantis pervenire poteſt: perit ſane omne decus in oratione, ſi in iſta aliquid vitioſi contra rectam loquendi conſuetudinem admiſſum fuerit: opus eſt in exercitatione ſtili fundamentis grammaticis, quamvis multa illorum plerumque in vulgaribus libellis negligantur. Prima pars grammatices eſt orthographia, in qua cognoſcenda futurus orationis latinæ artifex ſedulo verſari debet, ut videat, quænam ſcribendi ratio ſit firma: quænam regulæ de litteris earumque mutatione; de ipſis vocabulis quibusdam, quæ vulgo vitioſe ſcribuntur; de notis, ſive breviata ſcriptura; de ſignis diſtinctionis ſint obſervandæ. Duo vitia heic evitanda ſunt: alterum abſolvitur adfectatione, quando nonnulli ſingulare ſibi fingunt ſcribendi genus, quod non ſolum conſuetudini plane repugnat, ſed etiam in antiquitate haud firmum habet præſidium; id quod admittunt, qui archaiſmos orthographiæ ſtudioſe conſectantur; qui analogiam ſibi fingunt, atque ad eam receptam ſcribendi rationem revocare, atque emendare conantur; qui vetera ſigna reiiciunt novaque ſuo arbitrio excogitant. Alterum vitium eſt eorum, qui in ſcribendi modo omnia ſibi permittunt, nec ullam linguæ ipſius, atque antiquiorum monimentorum habent rationem: porro præcipiunt grammatici auctores de etymologia, in qua parte per ſtili elegantioris neceſſitatem cavendum eſt, ne vocibus aliena, aut peregrina tribuatur ſignificatio; ne vocabula, quæ ab omni analogia abhorrent,

uſur-

uſurpentur: præter hæc diligenter obſervanda ſunt paradigmata declinationum, & conjugationum, ne quis in illis a via recta aberret, quod accuratum ſtudium poſtulat quoque ſyntaxis: de his fundamentis ſtili grammaticis plura habet *Gottlieb. Heineccius* in *ſtili cultioris fundamentis* part. 1. cap. 1. Hæc minimorum cognitio niſi præcedat in exercitatione ſtili, meliora impediuntur: experientia docet, quod qui non recte grammaticam didicerit, poſtea facile labatur, ac cetera audaciſſime corrumpat: hæc quoque eſt cauſſa, cur ab illorum ſententiis, ac conſiliis diſcedamus, qui latinam linguam ſolo uſu ſine grammaticæ regulis addiſcendam commendant, de quo momento ſupra in *prolegomenis* p. 4. jam diſputavimus. Equidem non deſunt exempla illorum, qui ſine grammaticæ ope ſola loquendi exercitatione ad linguæ hujus ſcientiam perveniſſe traduntur: hanc in rem *Caſpar Scioppius* de *veteris, ac novæ grammaticæ latinæ origine, dignitate, & uſu*, quam commentationem *grammaticæ philoſophicæ* præmiſit, de ſe ipſo ita teſtatur; *& ſi nullam ipſe in puerili ætate mea grammaticam latinam didici; ſed octo jam annos natus, poſt nominum verborumque declinationes memoriæ mandatas, ex quotidiana latine loquentes audiendi, loquendique conſuetudine, ſex admodum menſium intervallo una cum multis condiſcipulis & convictoribus meis tantum profeci, ut quidquid ætatis illius uſus poſceret, non multo minore negotio vernacula, quam latina lingua enuntiare poſſem: etſi etiam procedente ætate aſſidua Ciceronis, Cæſaris, Livii, Plauti,*

Te-

Terentii, *Nepotis*, *Virgilii*, *Lucretii*, *Horatii*, *Catulli*, *Tibulli*, *Propertii & Ovidii lectione*, *eam latini ſermonis non quidem facultatem*, *ſed intelligentiam certe conſequutus mihi videbar*, *ut*, *cur cognoſcendis grammaticorum præceptis quidquam operæ conſumerem*, *ratio nulla eſſet*. *Joachimus Paſtorius* de *juventutis inſtituendæ ratione* dicit: *novi ipſemet raræ indolis homines*, *qui ſine ullis prope præceptionibus grammaticis latinam linguam didiciſſe*, *falſi mihi ſunt*, ad quem locum *Thomas Crenius* in *tractat*. de *philologia*, *ſtudiis liberalis doctrinæ*, *informatione & educatione litteraria generoſorum adoleſcentum* p. 229. hæc obſervat: *ut de me ipſo taceam*, *in quo nulla rara indoles*, *cuique non præſelix deus & natura*; *ſed mediocre tribuit ingenium*, *cujus beneficio & vi jugis exercitii ac uſus citra adminiculum prolixæ grammaticæ*, *forte non pœnitendos in lingua latina progreſſus feci*, &c. Sed hæc exempla haud regulam, quomodo ſtudia latinæ linguæ ſint inſtituenda, nobis præſcribere poſſunt: immo ſi iſta accurate expendere ac conſiderare velimus, videbimus, quod ad ipſum argumentum, de quo diſputamus, haud pertineant. Namque de eo nullum eſt dubium: num quis ſine grammatica, ſola loquendi exercitatione ad eam facultatem pervenire poſſit, ut de variis rebus latine ac promte loquatur: ſed de eo inſtituitur diſceptatio, utrum hujuſmodi cognitio latinæ linguæ, quæ ſine grammaticorum præceptionibus comparatur, ſolida ſit atque accurata, id quod merito negamus: hinc *Joachimus Paſtorius* in libro, quem nominavimus,

mus, addit: *ſed iidem tamen viri rapacitate ingenii ad majorem haud dubie in lingua eadem perfectionem, perfectioniſque ſimul fiduciam perveniſſent, ſi promtiſſima eorum indoles ordinariis adjuta fuiſſet ſubſidiis: fieri enim vix poteſt, quin ſubinde in vocabulorum phraſiumque recto uſu titubet is, quem firmarum regularum conſtans & penitus animo concepta veritas non reddiderit certum, & ab errandi non periculo tantum, ſed & metu exemerit.*

§. XXXIII.

Nunc quædam de *auctoritate* grammaticæ latinæ ſunt adiicienda. Ex indole illius, quam in ſuperioribus explicavimus, patet, quod tantum doceat rationem recte ſcribendi ac loquendi; quo circa nemo ſibi perſuadere debet, quod ex grammaticorum libris ipſius latinitatis ſcientia ſit haurienda: hæc majora ac graviora requirit adminicula, quæ merito adhibemus, poſtquam per grammaticæ præcepta via fuit parata: aliud ſane eſt latine; aliud grammatice loqui, id quod ex veteribus auctoribus *Quinctilianus inſtitutionum oratoriarum* lib. I. cap. 10. obſervat, quando dicit: *non invenuſte dici videtur, aliud eſſe latine, aliud grammatice loqui*: rationem addit *Daniel Georg. Morhofius* de *Patavin. Liviana* cap. VII. *neque enim ſtatim latina eſt oratio, quæ grammatica, etſi latinam orationem grammaticam eſſe oportet: eſt enim aliquid in collocatione verborum, quod omne a conſuetudine dependet, de qua ne cogitant quidem grammatici; & quod præceptis comprehendi non poteſt, ſed ſola & continua obſervatione diſcitur.* & *epiſtola* de *latinitate in dige-*

ſtis

ſtis p. 606. *diſſertat*. ita loquitur: *in digeſtis multa reperiuntur contra grammaticam: quid ſi hoc tibi domini profeſſores utraque manu largiantur, & tamen vincant? quid ſi de Cicerone aliisque optimis auctoribus, hæc adſerere non vereantur? quid ſi ex Quinctiliano ipſisque grammaticis tibi oſtendant, aliud eſſe grammatice, aliud latine ſcribere, optimosque grammaticos peſſimos ſæpe eſſe oratores & poëtas? grammaticorum plerorumque, ne quid neſcias, mi G. ineptum eſt & jejunum ingenium, quorum vita & ſpiritus omnis in regulis vertitur: ita non attendunt ſæpe, quæ ab optimis auctoribus & quomodo dicantur, dummodo iſti axiomata forment, & pædagogiam ſuam exerceant: male profecto cum bonis auctoribus ageretur, ſi ſub eorum ferulas revocandi: latius patet latinitas, quam ut exiguis includi queat præceptis: minutis illa ſatrapis, pueris, & pædagogis ſcribuntur, non eruditis, qui quotidie quædam obſervant ſingularia in auctoribus, nec grammaticorum regulis communibus cenſenda, quorum juſtum, ſi opus eſſet, tibi indiculum texere liceret: in ſolo Cicerone olim tot ſingularia notavit Statilius, ut juſtum illi volumen conficerent: cenſeri boni auctores non ex grammaticis, ſed hi ex illis debent.* Grammatica præceptis ſuis id tantum præſtat, ut rectam loquendi conſuetudinem doceat: ſed quis ſibi perſuadere velit, hoc ipſius latinitatis rationem abſolvi, quæ plura alia ornamenta, caſtitatem quippe, perſpicuitatem atque elegantiam requirit, ad quarum virtutum facultatem ſine adſidua bonorum auctorum lectione, exerci-

tatione, atque imitatione nemo pervenire poteſt, ſi & omne tempus in evolvendis ac perſcrutandis grammaticorum libris conſumſerit: quid aliud grammatici ſyntaxi ſua efficiunt, niſi ut ſine barbariſinis exiſtat oratio? num in hoc tota laus conſiſtit latinitatis? Fuit olim latina lingua nata ex colluvione multarum gentium, aucta, ornata ſenſim ac ſenſim: quis igitur hanc præceptis coërcere totam ſuſtineat? Patet ex hiſtoriarum litteris, quod grammatici artem, quam tradiderunt, latine loquendi ne mediocriter quidem calluerint. Terentius Varro veterum grammaticorum; Scaliger noſtrorum ſine controverſia princeps fuit: ille ita ſcripſit, ut cum Livio Andronico romanæ linguæ incunabulis exceptus videatur: hujus neoteriſmos, peregrinitates, barbariſmos, ſolœciſmos *Caſpar Scioppius* collegit: hic in *paradoxis litterariis* num. IV. fatetur, eum, *qui grammatice loquatur*, *ſæpe peſſime loqui*; ſeque expertum eſſe addit, *nec eos*, *qui boni auctores linguæ fuerunt*, *bonos grammaticos*; *neque rurſum, qui in grammaticis præſtare viſi ſunt*, *fuiſſe bonos linguæ auctores*. Quæ quum ita ſint, ex illis conſequitur, ut non omnia, quæ a grammaticorum regulis diſcedunt, vitioſa ſint pronuntianda. Grammatici docent, quod vocabulum *ros* tantum in numero unitatis ſit uſurpandum; attamen Virgilius, & Horatius in numero multitudinis habent *rores*; idem obſervant de vocibus *ſoboles*, *fuga*, *gloria*, aliiſque; ſed tamen Columella *novæ ſoboles*, Tacitus *fugas & exilia*, Cicero *diſpares gloriæ* dixerunt, quam in rem plura collegit *Jo: Mi-*

chaël

chaël Dilherrus diſputationum academicar. tom. 1. p. 751. Recte igitur *Philippus Melanchthon rethoric.* lib. II. p. 84. dicit: *confirmandi ſunt adoleſcentes, ut ſciant, ſe multum profeciſſe, quum hoc adſecuti ſunt, ut non deſtituat eos copia grammatici ſermonis, etiamſi perfectius quiddam efficere non poſſunt: voco autem grammaticum ſermonem, qui non ſolum verbis latinis conſtat & ſyntaxin habet conſentientem puerilibus regulis; ſed etiam in qua phraſis, & vocum conjunctio imitatur conſuetudinem eorum, qui eleganter & vere latine, & non moleſti locuti ſunt*: pluribus argumentum hoc perſequitur celeberrimus *Jacobus Facciolatus* in oratione elegantiſſima inſcripta: *Latina lingua non eſt ex grammaticorum libris comparanda*, quæ prodiit Patav. MDCCXIII., recuſa eſt cum præfatione noſtra Lipſiæ MDCCXV.; extat quoque inter *orationes X. de optimis ſtudiis* laudati auctoris, quæ conjunctim lucem publicam viderunt Patav. MDCCXXIII., & MDCCXXV. recuſæ ſunt cura doctiſſimi *Sigiſm. Jac. Apini.*

§. XXXIV.

Denique dicendum eſt de *cultura* grammaticæ latinæ. Graves huc uſque auditæ fuerunt virorum eruditorum querelæ, partim de modo grammaticam proponendi; partim de multitudine, ac varietate horum librorum. Quam prava ſit multorum magiſtrorum conſuetudo, ac docendi ratio, obſervat *Michaël Neander*: *primum*, inquit, *coguntur pueri ediſcere non tantum paradigmata Donati, ſed etiam definitiones latinas partium, & acci-*

dentium : *deinde* , *ubi in Donato probe excarnificati fuerunt* , *ad compendium aliquod deducuntur*; *a compendio ad parvam grammaticam promoventur* ; *tandem ad majorem grammaticam admittuntur* , quæ verba adduxit *Georgius Nicolaus Kriegh* de *conſtitutione rei ſcholaſticæ Ilfeldenſis* p.41.Si dicendum eſt , quid nos de artis hujus cultura ſentiamus , tres ſtudii grammatici curſus conſtitui poſſe , arbitramur : in *primo* curſu pueri in grammatica ita ſunt exercendi , ut nominum ac verborum paradigmata, ac præcipuas ſyntaxeos regulas cognoſcant,easq; firmiter memoria teneant , in qua exercitatione magiſtri ducem ſequi poſſunt Chriſtophorum Cellariū, qui patrio ſermone conſignavit grammaticam & perſpicuitate,& facilitate, & brevitate maxime inſignem,eaque rebus ſcholaſticis mirifice proſpexit . Hiſce rite perceptis , pueri ſtatim perducantur ad intelligendos latinos ſcriptores ; ac reliqua , quæ ad grammaticam pertinent , conjiciantur in ejus evolutionem crebriorem atque adplicationem , cui ſtudio inſervit *grammatica Marchica* , quæ cum Cellarii compendio ita conjungenda eſt , ut ex hoc pueri principia diſcant , iſtaque tradant memoriæ ; hanc vero , quando in lectione ſcriptorum verſantur , ad manus habeant, ac ſi quædam ex grammatica ſint obſervanda , diligenter evolvant: pauciſſimis præceptionibus ac regulis pueri ad hanc artem ſunt formandi, ac ſtatim adducendi ad ipſam ſcriptorum lectionem , ex qua diſcere debent , quæ vera latinitatis ratio poſtulat ; proinde *Jo. Caſelius* in *ludo litterar. recte aperiend.* dicit;

cit;

cit: *vim univerſæ grammaticæ in flexione dictionum conſiſtere arbitror, in qua puerum ita exerceri velim, ut ſit exercitatiſſimo promtior: præceptionibus vero & regulis oneretur, quam fieri poteſt pauciſſimis, ſtatimque deducatur ad intelligendos latinos ſcriptores*; adde *Janum Vincent. Gravinam* in *orationibus* p. 369. In *ſecundo* curſu, quando per tempus quoddam juvenes in lectione auctorum ſe exercuerunt, evolvendi ſunt illi grammaticorum libri, in quibus tradiderunt præcepta ſtili variaſque obſervationes, quæ ad puritatem atque indolem latinæ linguæ ſpectant, cujuſmodi ſunt monimenta Auſonii Popmæ, Eraſmi, Goclenii, Scioppii, Stephani, Bangii, Vechneri, Buchneri, Balbini, & aliorum, de quibus ſupra diſſeruimus. Denique in *tertio* curſu tendunt ad culturam grammaticæ philologicam, illi ratio litterarum, quibus ſunt conſecrati, ita ferat: heic ſingula grammaticæ capita eo ſtudio pertractant, ut accurate in rationes inquirant; ad primam originem quævis referant; de grammaticorum diſceptationibus videant, quid in illis ſit rectum, quid ſit erroneum, id quod in ſingulis partibus, de pronuntiatione quippe, orthographia, etymologia, & ſyntaxi fieri debet: hujus culturæ cauſa præcipue commodo ſuo evolvant Sanctii *Minervam*, Voſſii *Ariſtarchum*, Scaligeri libros de *cauſſis latinæ linguæ*, de quibus itidem jam a nobis diſputatum eſt.

§. XXXV.

Breviter igitur hiſtoriam grammaticæ latinæ tradidimus: qui plura deſiderat, atque alios grammaticorum libros a nobis prætermiſſos cognoſcere vult, ab eo evoluendi ſunt *Conradus Geſnerus* lib. 1. *pandectarum* tit. 1. *Paul. Bolduanus bibliotheca philoſophica* p. 66. *Georgius Draudius bibliothec. claſſica* vol. 1. p. 1388.; *Mart. Lipenius philoſoph. bibliotheca* p. 616. 784. 789.; *Jo. Henr. Boeclerus bibliographia critica* p. II. §. 16. p. 23.; *D. G. Morhofius polyhiſtore litterario* lib. IV. cap. 10.; *Georg. Paſchius* in *inventis nov-antiquis* p. 69.; *Adr. Bailletus* in *jugemens* tom. II. part. 2. & tom. III. p. 75. Addi poſſunt catalogi celebriorum bibliothecarum: Cardinalis *Imperialis*, qui Romæ prodiit MDCCXI. fol.; bibliothecæ *Marckianæ*, cujus catalogus Hag. Com. MDCCXII. 12. in lucem editus eſt. p. 187.; bibliothecæ *Thuanæ*. p. 223. part. II. edit. Pariſ. MDCLXXIX.; *Joann. Georg. Grævii* p. 153.; *Marquard. Gudii* p. 314.; *Jacobi Perizonii* p. 61.; *Heinſii* parte poſteriore p. 1.; *F. B. Carpzovii* p. 103. p. II.; *Benteſii* de litteris humanioribus p. 1., & aliorum.

CA-

CAPUT V.

De Lexicis Latinis.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Summa capitis hujus indicatur §.I.

Origo lexicorum illuſtratur §.II.

Commemorantur lexicorum latinorum auctores ævi vetuſtioris §.III.

Medii §.IV.

Recentioris, cum generatim §.V.

Tum ſpeciatim, qui ſcripſerunt lexica etymologica §.VI.VII.

Explicarunt voces veteris latinæ linguæ §.VIII.

Ediderunt nomenclatores §.IX.

Gloſſaria latina §.X.

Lexica philoſophica §.XI.

Expoſuerunt de caſtitate & auctoritate vocum latinarum §.XII.

De copia latinæ linguæ §.XIII.

De particulis latinæ linguæ §.XIV.

De phraſibus auctorum veterum §.XV. XVI. XVII.

Quos ſequuntur, qui indices latinitatis cõſcripſerunt §.XVIII.

Qui proverbia latina explicarunt §.XIX.

Hisce obſervationes ſubiiciuntur de indole, auctoritate, atque uſu lexici latini §.XX. XXI.

PErgamus ad alterum adminiculum, quod nobis viam veteris Latii præparat, id eſt ad genuinum & rectum lexicorum uſum:

legem nobis præſcriptam obſervabimus, ita ut primum lexicorum hiſtoriam perſequamur; deinde varias de illorum natura, auctoritate, & uſu obſervationes ſubjiciamus.

§. II.

Origo lexicorum e vetere Græcia derivanda eſt, quum non prius de lexicis condendis cogitarunt, quam lingua græca a priſtina caſtitate & attica elegantia nonnihil deflexit, & Græci peregrina verba ab Orientis Latiique populis in ſuum receperunt ſermonem & civitate donarunt; tum enim peregrinas voces nonnulli colligere cœperunt, quæ vocantur *gloſſæ*, etiam *gloſſemata*: ſic *Fabius* l. 8. voces adpellat minus uſitatas, priſcas ſcil. & poëticas, quod & teſtatur *Ariſtoteles* de *poëtic. & de rhet.*, & *Clemens Alexandrinus* quod γλώσσας Græci proprie vocaverint ξενικὰ, ſive peregrina vocabula: ξένα quippe τὰ ὀνόματα, τὰ ἑτέροις μὲν ἐπιχώρια, τοῖς δὲ ἄλλοις οὐ συνήθη, ut ait *Theon* ſophiſta p. 30., vide *Car. Du Freſne præf. gloſſar. latin.* n. XXXVIII. p. 32. 33. Hinc *G. I. Voſſius etymologic.* p. 276. *gloſſema*, γλώσσημα, *quod liceat apud neminem Græcorum reperiri putem; a Græcis tamen profectum, eo cognoſcimus argumento, quod apud hos* γλωσσηματικὸν, & γλωσσηματικὸν *legatur*: *gloſſemata autem a Varrone, & Quinctiliano adpellantur, quæ aliis dicuntur gloſſæ, ſeu* γλῶσσαι; *gloſſas autem voco, non qua ratione Accurſii gloſſas, ſed vocabula minus uſitata*: præter hæc gloſſas Græci dixerunt *linguam ſecretiorem*. *Quinctilianus lib. 1. c. 1. protinus poteſt interpretatio-*

nem

nem linguæ ſecretioris, *quas græci* γλώσσας *vocant*, *ediſcere*; ex quo patet, gloſſas propria ſignificatione non idem eſſe, ac obſcuriorum vocum interpretationes. *Henricus Stephanus præfat. lexici latino-græci gloſſarii* nomine inſcripti, quæ præmiſſa eſt *gloſſar. Labbei* Pariſ. MDCXXVI. f. ait: *gloſſæ*, *ſive gloſſemata*, *non expoſitiones vocum obſcuriorum & minus frequentium*, *aut etiam peregrinarum vocabantur*; *ſed illæ ipſæ voces*, *quæ tales erant*, *eo nomine adpellabantur*. vide plura apud *Jo: Vvovverum* de *polymathia* cap. IX., & *Jacob. Philipp. Mauſſacum diſſert. critica*, quam ſubiecit *Harpocrationis lexico*. Grammaticorum fuit, hujuſcemodi voces explicare, quorum varia fuiſſe genera, ſuperioribus jam a nobis ſubnotatum eſt: namque grammatica erat triplex, τεχνικὴ, ἐξηγητικὴ, & κριτική. Grammatici ἐξηγητικοὶ interpretati ſunt voces obſcuriores, difficiliores, peregrinas, quive verſabantur in gloſſis, dicti ſunt *gloſſographi*, & a latinis *gloſſularii*, *gloſſematarii*. Hujusmodi ſunt apud *Athæneum* Amerius Macedo, Clitarchus, Hermo, Nicander Colophonius & alii; apud *Suidam* Artemidorus, Callimachus, Democritus, Philoxenus, Simmias Rhodius: ſunt, qui cujuſdam gentis voces ſpeciatim illuſtrarunt, ut *Atticas* λέξεις Ariſtophanes grammaticus, Ælius Dionyſius, Epitherſes Nicenus, Galenus, Philemo, Phrynicus Arabius, Bithynus ſophiſta, Thomas Magiſter; *Alexandrinas* voces expoſuit Demetrius; *Creticas* Hermonax; *Laconicas* Ariſtophanes; *Rhodiacas* Moſchus; *Italicas* Diodorus, ut de

aliis

aliis taceamus, vide *Ger. Jo. Voſſium* de *arte grammatica* lib. I. cap. 5., & *inſtit. orator.* lib. IV. cap. I., cui addas *Jo: Henr. Boëclerum diſſert. de lexicis* tom. I. *diſſert. acad.* p. 645., *Gronovium* ad *ſcript. eccleſ. obſerv.* cap. XXIV. p. 259., *Lud. Cæl. Rhodiginum lectionum antiquar.* XIII. 4., *Jo. Jonſium* de *ſcript. hiſtor. philoſ.* lib. II. c. 5. p. 141., & *Jo. Alb. Fabricii exerc. de lexicis græc.* quæ adnexa eſt *decadi decadum plagiariorum* §. XIII. Horum libri fere inſcripti erant περὶ γλώσσων, ἢ περὶ τῶν ξένως εἰρημένων., & *gloſſarium* eſt liber, qui has complectitur interpretationes, qua voce uſus eſt *Gellius* XVIII. 7. *vos philoſophi mera eſtis (ut M. Cato ait) mortaria gloſſaria*: hæc vocum interpretamenta proponebantur a grammaticis, a pueris ediſcebantur, ut ex *Quinctiliano* patet lib. I. cap. I., adde *Svetonium* de *illuſtrib. grammatic.* cap. XXII. Alii collegerunt voces omnis generis, ut qui ſcripſerunt λεξικά, vel ὀνομαστικά, quales ex Græcis ſuperſunt *Julius Pollux*, *Heſychius*, *Suidas*; vide pluribus *Ger. Jo. Voſſium* de *arte grammatic.* c. l. p. 20. Num autem diſcrimen ſit inter *lexica*, & *gloſſas*? in eo haud conveniunt eruditi viri: id quod negat *Caſaubonus* lib. III. *animadverſ. in Ath.* cap. 6.; differre autem exiſtimat *Jo: Vvovverus polymath.* cap. IX.; & lexicorum nomine gloſſas fuiſſe comprehenſas, docet *Mauſſacus* in *diſſertatione* p. 387. edit. *Blancardi*, qui dicit: *non erciſcundi & medium quamdam viam tenentes, non idem quidem proprie eſſe lexica & gloſſas demonſtrabimus; ſed καταχρηστικῶς lexica gloſſas poſſe dici, vel e converſo gloſſas lexica & ſub genera-*

rali nomine omnia poſſe comprehendi, *tam certo docebimus*, *ut de his non magis dubitare in poſterum quis poſſit*, *quam de illis*, *quæ apud Sagram*: adde *acta erudi-tor.* MDCXC. p.440., *Dan. Georgii Morhofii polyh. litter.* IV. 7. 12., & *Jo: Alb. Fabricii bibl. latin.* lib. IV. c.6. p.778. 779. Alii diligentes erant in vocum originibus, unde proprietas cognoſcatur, quorum libri περὶ ἐτυμολογίας, vel ἐτυμολογουμένων, aut ἐτυμολογικὰ inſcribebantur. *Mauſſacus* dicta diſſert. p. 383. edit. *Blancardi* dicit: *etymologia verborum vim & naturam pleniſſime docet*, *& ex eorum vi plerumque res patefacit*, *Iſidor. origin. lib.*1.*c.*28. *Græci quum notationes & origines verborum inquirunt*, *etyma rimari dicuntur*; *latini proprium & proprietates attendere*, *id eſt etymologias*: *unde grammatici illi*, *qui de proprietate ſermonum ſcripſerunt*, *ut Nonius Marcellus & alii*, *nihil aliud voluerunt*, *quam etymologias verborum & veritates ac origines conſiderare*: *apud illos hæc omnia eadem ſunt origo*, *proprietas*, *ſignificatio*, *proprium*, *proprietas*, *quæ uno verbo a græcis* ἐτυμολογίαι *dicuntur* †: adde *Lamberti Bos* diſſertat. de *etymologia græca*, quam adje-

† *De voce* dictionarii *vide G. J. Voſſium de* vitiis ſermonis *lib.*1. *cap.*16. *p.*71. *dantur quoque lexica* technica *quæ voces artis & ſcientiæ cujusdam proprias explicant*: *ſic græci philoſophorum & Platonis præcipue* ἰδίας ἰδέας propria verba, *ſive philoſophiæ adcommodata in unum collecta exhibuerunt*, *uti*

adjecit *obſervat. philolog.* editis Franequ. MDCCXIII., & *Frid. Sylburgium* in *præfat. ad etymolog. magnum*.

§. III.

Eadem ratio fuit lexicorum veterum latinorum, quorum curam geſſerunt grammatici: ſuperſunt ex illis *Feſtus Pompejus* de *verborum veterum ſignificatione*; *Nonius Marcellus* de *varia ſignificatione*; *Fabius Fulgentius Planciades expoſitione ſermonum antiquorum* ad Chalcidium grammaticum: pertinent huc quoque gloſſæ *Iſidoro* atque aliis adtributæ; item quæ *Cornelius Fronto*, *Caper*, *Agrœcius* & ceteri de vocum differentiis prodiderunt; & qui vocum origines ſunt interpretati, quales præter alios, *Varro*, & *Iſidorus*: adhæc *Verrius Flaccus* ſcripſerat de *verborum ſignificatione*, ut *Feſtus* & alii grammatici teſtantur, ex quibus etiam noti libri *L. Cincii* de *verbis priſcis*: *Santræ* de *verborum antiquitate*: *Ælii Galli*, & *Cæcilii Galli*

uti fecere Timæus, *Boëthus*, *Harpocration*, *Galenus & alii*, *vide Æg. Menagium ad* Diog. Laërtium *l. III. ſegm. 63.*, *Jo: Albert. Fabricium* bibl. græcæ *l. IV. c. 39.* §. 10. *& eos*, *quorum paullo ante mentionem fecimus*: *recentiori ætate proventus major fuit*, *adeo ut lexica philoſophiæ*, *theologiæ*, *medicinæ*, *juriſprudentiæ habeamus*; *vide præfationes Adam. Rechenbergii* hiero lex. real., *& Tob. Eckardi* technic. ſacrorum, *Quedlinb.* MDCCXV. 4., *& Jo: Mollerum in homonymoſcopia p. 4.*

li de *ſignificatione verborum*, *quæ ad jus pertinent* : *Cloatii Veri*, & *Hypſicratis* de *ſignificatione verborum à græcis tractorum* : †

§. IV.

Progredimur ad *ævum medium*, cujus facies quum horrida eſt & barbara, haud meliora de auctoribus lexicorum expectare poſſumus : pertinent ad illud

Ælfricus Anglus, abbas Abindonenſis, deinde archiepiſcopus Cantuarienſis : ſcripſit *gloſſarium latino-Saxonicum* ſecundum certa rerum ac argumentorum capita, quod Oxonii editum cura *Guilielmi Somneri* cum ejuſdem *dictionario Saxonico-Latino-Anglico* anno MDCLIX.

Papias, qui floruit anno MLXIII. ac reliquit gloſſarium, quod dicitur *catholicum lexicon*, *vocabularium*, & a *Thoma Bardvardino elementarium* : prodiit Mediolani MCCCCLXXVI., Venetiis MCCCCLXXXVII. MCCCCXCVI. f., novam ejus editionem molitus eſt *Jo.Lydius*, ut refert *Th. Crenius* parte

† *Superiori capite de grammaticis horũ jam habuimus mentionem*, *quum grammaticam quoque* ἐξηγητικὴν *attigimus*, *cujus magiſtri fuerunt* : *eadem ratio eſt auctorum quorundam ævi recentioris*, *qui modo ad claſſem grammaticorum*, *modo lexicorum poſſunt referri* : *lexica enim grammaticis poſſunt opponi*, *ſi intelligantur grammaticæ technicæ* ; *comprehenduntur vero ſub illis*, *ſi ſint grammaticæ exegeticæ*.

te XI. *animadverſ.*; vide plura apud *D. G. Morhofium polyh.* I., 4. 9. S.; *Olaum Borrichium append. de lexicis latinis, & græcis* pag. 42. qui ait, opus hoc circa ann. Chriſti MCCLXXXVI. abſolutum eſſe & anno MCDLVI. Venetiis impreſſum; *Corn. a Beughem incun. typographiæ* p. 103., *Car. Du Freſne* præfat. *gloſſarii latinitat.* n. XLIV. p. 36., *Jo: Alb. Fabricium bibliotheca latin.* p. 786. & volum. III. illius pag. 737. *Scaliger excerpt.Putean.*finiſtre; *Barthius* vero principio *adverſarior.* benigne de hoc Papiæ opere judicat: eodem tractu temporum nituit

Joannes de Garlandia, Anglus, qui præter alia ſcripſit *ſynonymorum in arte alchymiſtica expoſitionem* ſecundum litterarum ordinem, editam Baſileæ cum ejus alchymiæ compendio anno MDLX.

Ugutio, ſive *Huguitio*, Piſanus, cujus *gloſſarium*, ſive dictionarium, manu exaratum in bibliothecis paſſim reperitur:

Joannes de Balbis de Janua, ſeu Januenſis (Genuenſis) exſcripſit Papiam, & Ugutionem, atque auxit, quive opus ſuum inſcripſit hoc titulo: *ſumma*, ſeu *catholicon*, editum Ven. MCCCCLXXXVII., & ab Aſcenſio Badio auctum Lugduni MDXIV. *Beughem* c. l. p. 77. meminit editionis Ven. MCCCCLXXXIII. & p. 24. ed. Aug. Vind. MCCCCXCVI. Hic cum Jacobo de Voragine Januenſi, ſive Genuenſi archiepiſcopo non confundendus eſt: vide *Car. Dufreſne* dicta præfat. n. XLVII. p. 38., *Petr. Baëlium dictionario hiſtorico-critico* in *Balbus*, & *Jo. Alb. Fabricium bibliotheca latina* p. 787. & vol. III. il-

illius p. 670. Ineptiarum, quarum opus hoc plenum eſt, mentionem facit *Ad. Rechenbergius* de *inept. cleric.* p. 552. *exercitat.*, & *Zwingerus orat. de barbarie ſuperior. ſeculor.* p. 130. edit *Goëtzii*: conferri etiam poteſt *catal. biblioth. Perizonii* p. 91.

Matthæus Silvaticus, ſive *Sylvaticus*, qui vixit anno MCCXCVII. ac ſcripſit librum *pandectarum medicinæ* ad Robertum, Siciliæ regem, ex omnibus antiquorum libris collectum, quo omnia medicinæ ſimplicia pharmaca ſecundum ordinem alphabeti deſcribit, & vires explicat, idque variis linguis, latina, græca, arabica, & vulgo uſitatis apud pharmacopolas nomenclaturis: prodiit ex emendatione *Matthiæ Loreti* Brixienſis, Venet. MCCCCLXXX. quamvis alii habeant MCCCCLXXXVIII. ſ. *Car. Dufreſne* c. l. n. XLVIII. p. 36. ita de eo judicat: *in quo* (opere) *voces latinæ, græcæ, arabicæ, & exoticæ, quæ rem medicam, utcumque ſpectant, ita aliis vocabulis redduntur, ut ſani aliquid explicari haud promtum ſit, propter depravata, ſi non auctoris, ſaltem exſcriptorum vitio vocabula*: idem meminit

Guilielmi Britonis gloſſarum, hoc titulo: *Guilielmi Britonis ordinis Fratrum Minorum opuſculum difficilium vocabulorum Bibliæ, ex gloſſis ſanctorum, in quo præmittit ſuum præambulum metro conſcriptum; poſt proſaice procedit*: exiſtimat quoque, ejuſdem fortaſſe eſſe ſynonyma, quæ Britonis nomen præferant edita Pariſiis per Dionyſium Roſſeum anno MDVIII. De libro inſcripto *mammotrectus*, & aliis dictionariis, veluti ſunt: *vocabularius compendioſus, ex ſumma Januenſis, Huguitio-*

tione, & *Papia excerptus* Venet. MCCCCXC.; *vocabularius breviloquus* Argentin. MCCCCXCI.; *catholicon parvum Roberti Veiſi Angli*; *catholicon Armorico-Franco-latinum a Joanne Lagadec diœceſis Trecorenſis compoſitum ad utilitatem clericorum novellorū Britanniæ* MCCCCXCVI.; *vocabularius optimus*, *gemma vocabulorum dictus*, Daventr. MDII.; *Jo. Werdenæ gemma gemmarum*, Colon. MDII. *Dionyſii Neſtoris* minoritæ Novarienſis, vide *Du Freſne* ſæpe dictam præfationem: vale poſſumus dicere hiſce lexicis ſine inſigni purioris latinitatis detrimento: ſunt nugæ, etiam ſtercora, in quibus verſari, nobilius pectus ingeniumve haud decet.

§. V.

Nunc recenſendi ſunt ſcriptores lexicorum *recentioris ævi*, quorum ſunt principes

Nicolaus Perottus, Saxoferratenſis, Spontinus epiſcopus, qui ſcripſit commentarium in Martialem, ſub titulo *cornucopiæ*, Venet. MCCCCXCII. MDXIII. apud Aldum, item MDXXVII., & Baſileæ MDXXI. MDXXXVI. f.; additi ſunt M. Terentius Varro, Nonius Marcellus, & alii latinæ linguæ auctores. Perottus primus obviam ivit barbariei, & hoc litterarum genere præſtitit ejuſmodi meritis, ut laude ſua haud debeat fraudari: quamvis haud negandum ſit, quod clara lux ſcriptoribus linguæ romanæ haud peti ex opere hoc poſſit, ſi exceperis Martialem, confer *Th. Pope-blount cenſur. cel. auctor.* p. 477. 478., & *Adr. Baillet.* in *jugem* tom. II. par. 2.

Ambroſius de Calepio in agro Bergomenſi, quem quidam filium comitis Calepienſis fuiſſe, ad-

adfirmant: conſcripſit lexicon*, cujus fama non inter exiguos litterarum fines continetur, prodiit MD.& Venet.MDIX.MDLXXII. Paris.MDX. MDXXV. Baſil. MDXLIV. MDLX. MDCXXVII. Hag. MDXXIII., Lugdun. MDCXLVII. poſt curam *Paſſeratii*, & *Ludovici de la Cerda*, item MDCLXXXI. de *Paſſeratii* ſtudio ita judicat *Carol. Du Freſne* dicta præf. n.LV. p.44. & *ſane mirandum, ab ejuſmodi vocabulis, quæ rurſum malo fato in alias editiones irrepſere, Calepinianum dictionarium non purgaſſe virum in hiſce litterarum ſtudiis verſatiſſimum Joannem Paſſeratium, a quo poſtremo adornatum eſt, cum aliunde infinitis aliis latinis vocabulis, maxime ſcriptorum, qui vel prioribus Romanæ reipublicæ ſeculis, vel etiam inclinante paululum latinitate floruerunt, adaugeri potuiſſe, quæ tamen omiſſa ſunt, pro certo habetur, adeo ut ex iis duo fere alia confecerit volumina Matthias Martinius*. *Ol.Borrichius* de *lexicis latinis*, & *græcis append.*quam ſubjecit *analectis* p.44.de editione hac dicit: *primo nihil minus, quam abſolutum lexicon adfert, ut quæ foro romano in multis cedat, nec illi ſatis perfecto: ſecundo variis hinc inde vocibus barbaris redundat, ne veniam quidem ſordibus præfata, magno juventuti litteratæ impedimento: tertio varie in quantitates ſyllabarum, contra quam frons operis pollicetur, peccatum: alibi notæ, quibus dignoſci moræ in pronuntiando ſolent, omiſſæ, alibi longæ correptæ, productæ breves. Hieronymus Magius* de *equuleo* cap. VI. hæc habet: *Ambroſium, divi Auguſtini fratrem cucullatum, ab oppido, in quo natus eſt, Calepinum nuncupatum, græcarum litterarum omnino*

nino expertem, & *humanioribus litteris vix tinctum omnium ſcriptorum fortunatiſſimum dicere ſoleo*, *quod quum latinum lexicon græcorum exemplo edidiſſet*, *non id quidem*, *quod a doctis legeretur*, *ſed ab his*, *qui in grammaticorum ſcholis adhuc verſantur*, *inornatum aridum*, & *exemplis è ſacræ ſcripturæ interpretibus ſæpius quam è Cicerone depromptis refertum*, *doctiſſimorum poſtea virorum cura*, *atque opera factum eſt*, *ut hoc opus ad immenſam magnitudinem excreverit*, *ut jure* χαλεπὸν *id eſt* grave *dici poſſit*, & *copia verborum vocumque non ſine elegantia ſatis expletum jam non a pueris modo*, *ſed ab omnibus legatur*, *ut nullus ſit*, *qui non Calepino*, *aut palam*, *aut tecte hodie utatur*: *tandem enim Geſneri*, & *Manutii additamentis*, & *caſtigationibus ita auctum*, *atque exornatum prodiit in lucem*, *ut nihil in eo deſiderari poſſe videatur*. Acerbe omnino plurimi de lexico hoc judicarunt, vel uti Coldingius, Groſippus, Franciſcus Floridus, nec immerito: plura videas de opere hoc apud *Caſp. Saggittarium* de *imitatione Ciceronis* p.104., *Rhodium notis ad Scribonium Largum*, *Jo. Henr. Boëclerum bibliogr. critic.* p. 26., & diſſert. tom.1. p.652.; *Ol. Borrichium* c.l., *Ad. Baillet.* in *jugemens* tom.III. p.45., *D.G. Morhofium polyhiſtor. litter.* lib.IV. cap.9. §.9.

Robertus Stephanus, qui edidit *dictionarium*, ſeu *latinæ linguæ theſaurum*, non ſingulas modo dictiones continentem, ſed integras quoque latine & loquendi & ſcribendi formulas ex Catone, Cicerone, Plinio avunculo, Terentio, Varrone, Livio, Plinio ſecundo, Virgilio, Cæſare, Columella, Plauto, Martia-

le; cum latina tum grammaticorum, tum varii generis ſcriptorum interpretatione: prodiit opus hoc Pariſ. MDXXXVI. duobus voluminibus: filius *Henricus* patre digniſſimus, auxit id ingenti acceſſione, atque emendavit; ita ornatum in lucem editum fuit MDXLII., item Lugdun. MDLXXIII. quæ editio eſt optima, Baſil. Frob. MDLXXVI. Vere de opere hoc judicat *Olaus Borrichius* c. l. p. 43. quum ait: *in hoc tamen tam pulcro corpore, ut nec deeſſe credant ſuas maculas ſoli, nævi quidam latent, nec ii parum deformes: qui quo paucioribus hactenus vel obſervati ſunt, vel publice attacti, hoc mihi erunt ſtudioſius liberiusque in gra iam tironum nominandi, excutiendi. Et quidem principio dum auctores, quibus totum ædificium innititur, forſan non optime in perfectos, & imperfectos tribuit, inelegantibus, & imperfectis, ſed proficientibus* Plautum, & Terentium *improvide adnumerat, perfectis, & elegantiſſimis* Varronem, Salluſtium, Catullum; *imperfectis autem, & deficientibus* Columellam, Lucanum, Senecam, Tacitum, Plinium utrumque, Curtium, Quinctilianum: *ſecundo infinita deſunt ad accuratam, & abſolutam latinæ linguæ cognitionem neceſſaria; enim vero certum eſt, alios auctores latinos, vivo adhuc* Stephano, *publicatos; vel ab ipſo perfunctorie tantum excuſſos; vel ne tentatos quidem: alios ex quo vivere deſiit, in lucem prodiiſſe, aut plane novos, aut longe emendatiores auctioresque*. & quibusdam interjectis: *non multis urgeto, quod apud* Mariangelum Gioſippus, *varia in editionibus, quibus uſus eſt* Robertus Stephanus, *oppido eſſe mendoſa (capitalis tamen*

men peſlis) adjectiva pro ſubſtantivis adverbiisque non raro obtrudi, derivata ſuis primitivis non attexi, nec ſimplicibus compoſita; ſed id ſolum adiiciam, auctorum ſententias, phraſesque præſertim dubiæ ſignificationis raro explicari, proinde ambiguum allegatorum ſenſum variis interpretationibus patere, immo lectorem in ſuſpenſo relinqui, unde varii lapſus, & fluctuationes. Caſpar Scioppius conſultation. II. p. 53. dicit *hoc lexicon omnium eſt optimum, etſi nec paucis, nec levibus erroribus vacuum.* In conficiendo hoc opere Stephanus ſpatium duodecim annorum conſumpſit, quamvis aliorum, quos negotii hujus cauſſa ſumtu ſuo aluit, opera adjutus, quorum negligentia, aut inſcitia facile multa vitioſa, nec ſatis emendata locum invenire potuerant: celeberrimus *Ludolphus Kuſterus* novam editionem theſauri hujus molitus fuit; vide plura apud *Almelov. de vit. Steph.* p. 44., *Michaël. Maittaire* in *Stephanorum hiſtoria*, quæ Londini MDCCIX. prodiit; *H. Stephanum epiſt. ad amic. de ſtatu typograph.* p. 161., *Adr. Baillet.* c. l. p. 53., *Th. Pope Blount. cenſur.* p. 636. 638., *Morhofium polyhiſtor.* I. 4. 9., *And. Borrichium* de *ætat. lat. linguæ* p. 98., *Thom. Crenium animadv. philol. & hiſtor.* part. XVI. p. 45.

Robertus Conſtantinus, qui ſupplementum linguæ latinæ, ſeu *dictionarium abſtruſorum vocabulorum* ſcripſit, Lugd. apud Guilielm. Rovilium MDLXXIII. 4. Ipſe Robertus Stephanus plures nactus eſt, qui theſaurum ejus veri auctoris nomine ſuppreſſo, orbi expoſuerunt magnifice, ſeque plagii vitio contaminarunt: inter hos celebris eſt:

Ca-

Cælius Secundus Curio, qui edidit *forum romanum*, Baſil. MDLXI. MDLXXVI. multum auctius, atque emendatius: priorem editionem dedicavit Cælius Secundus Curio, poſteriorem vero Albertus Burerus, eidem patrono, atque iisdem verbis. Argĕtoratenſes opus hoc MDCIV. auxerunt quidem; ſed uſque ad pag. 157. tantum pervenerunt: reliqua quippe cum editione MDLXXVI. plane conveniunt, adeo ut extremo tertii tomi hæc quoque verba adpareant: *Baſileæ ex officina Frobeniana, per Aurelium Frobenium. Georgius Nicol. Kriegk.* in *conſtit. rei ſcholaſticæ Ilefeldenſis* p. 126. dicit: *maximi fit hoc lexicon a pluribus; ſed abſolutum exiſtimandum non eſt: numeros quos habet, ſcriptorum, difficiles admodum ſunt, antequam repereris; neque ipſe adcuratis uſus eſt ſemper codicibus*: paucis interiectis: *in orthographia minor etiam adcuratio cognoſcitur*; item: *& ſic in aliis; liber equidem perutilis eſt, ſed non adcurate res ubique tangitur: facile tamen patimur, alios abundare ingenio, qui tanquam perfectiſſimum collaudant: admittunt igitur lexica latina multa, quæ elegans oratio non admittit; ſuntque in iis ſingula diſtincte ponenda, ut ſcire poſſit, quæ vocabula, quæque vocabulorum ſignificationes; quo ævo exortæ atque uſurpatæ fuerint: neque vero inde conficitur, vocabulis iſtis promiſcue quoque utendum eſſe: aliud enim eſt, lexica ſcribere, per quæ cujuſvis ævi non deterrimi ſcriptores intelligi poſſint, & aliud elegantem orationem latinam ſcribere*: forum hoc romanum eſt filia Stephanorum theſauri, abjecto nomine barbaro *dictionarii*; poſito contra *fori romani*. *Olaus Borri-*

richius in *analectis ad cogitationes de latina lingua* p.51. exhibuit ſpecimen indicis addendorum ad *fori romani* litteram C. videndi ſunt de hoc lexico *Jo. Petr. Titius* in *manuductione ad excerpendum* p.16., & *Thomas Crenius* in *animadverſ. philol. & hiſtoricis* part. XVI. p.16.

Theodoſius Trebellius, qui reliquit *promptuarium latinæ linguæ* duabus partibus Baſil. MDXLII. MDXLV., atque uti Cæl.Curio ſua auſit ex fonte Stephani:

Stephanus Doletus, qui ſcripſit *commentarios latinæ linguæ* tomis duobus Lugd. ap. Seb.Griph. MDXXXVI., de quibus *Jac.Thomaſius* de *plagio litterario* p. 176. ita judicat: *Stephanus Doletus ſcripſit commentarios latinæ linguæ: quod opus qui viderunt, antequam Roberti Stephani theſaurus, Mariique Nizolii in Ciceronem obſervationes ederentur, pro certo adfirmarunt, non majus fuiſſe, quam ſex Laurentii Vallenſis de latinis elegantiis libros: at poſtea in immenſam farraginem crevit non e Stephani tantum, atque Nizolii; ſed aliorum lucubrationibus quoque compilatum, ut Bartholomæi Rivii, & Lazari Bayſii, quod quidem ſatis mature viris doctis innotuit: enim vero Carolus Stephanus quum aliquot ſecundi tomi folia ad ipſum, antequam integrum opus prodiiſſet in lucem, adlata fuiſſent, quod ea fere, quæ ad rem navalem pertinent, e Bayſio ſurripuiſſet Doletus, tum furta ejus, tum etiam aliquot errata commonſtravit, emiſſa in publicum epitome, in quam ipſe librum Bayſii de re navali contraxerat*: commentarii hi in epitomen quoque redacti fuerunt: adde *D.G.Morhofium* c.l. §.11.

Jo.

Jo. Friſius, cujus extat *lexicon trilingue*; quod germana filia *fori romani* a philologis dicitur: exiit Argent. MDCXII. fol., ſæpe deinde forma minore, quam octavam dicunt, excuſum eſt. *Ol. Borrichius* de *lexicis* p.45. dicit: *non inutile illud quidem; iisdem tamen, quibus mater, vitiis obnoxium, eoque majoribus, quo aridiora hic omnia, & auctorum nomina, ſuppreſſo tractatu, libro, capite negligentius adjecta*: adde *G.N. Kriegk* in *conſtitutione rei ſcholaſticæ Ileſeldenſis* p.123.

Henricius Decimator, qui *theſaurum* Lipſ. MDCVI. edidit, de quo *Ol. Borrichius* p. 45. ita judicat: *certat tamen cum theſauro* Decimatoris, *quem nobis Lipſia anno* MDCXV. *commendavit, licet impari plerumque ſucceſſu: primo enim floridior, & plenior ſucco eſt* Decimator; ſecundo *certius ſe munit, auctoritatibus veterum*; tertio, *pluribus linguis loquitur*: quarto, *ſyllabarum quantitates* Decimator *rectius definit, quam ceteri lexicographi & raro ſibi excidit*. Verum *D. G. Morhoſius* c. l. dicit: *Henrici Decimatoris theſauro miror pretium aliquod Borrichium ſtatuere: homo enim ineptus fuit, & in latinitate nihilo plus ſapuit, quam occiſa ſus, quod ex ejus ſilva vocabulorum deprehendas, quam miris modis exagitat Siberus paſſim in epiſtolis, & opuſculis ſuis, monetque, ceu peſtem fugiendam eſſe tironibus*:

Lexicon Trilingue, ex theſauro Roberti Stephani, & dictionario Joannis Friſii ſumma fide ac diligentia collectum, quod prodiit cum præfatione *Jo. Sturmii* Argentorati MDLXXXVI. MDCXI. fol. opus non mediocris utili-

li-

litatis; fine præfationis typographi dicitur: *quæ omnia, ſi tibi grata ſint, amice lector, ſi utilia, hortamur, ut gratias agas doctiſsimis, & diligentiſsimis viris* Davidi Schellingio, & Helfrico Emmelio: *qui ut in optimis auctoribus valde exercitati ſunt, & acri judicio præditi; ita etiam ſumma diligentia, atque fide, quæ ab aliis congeſta ſunt, relegerunt, rudia perpolierunt, confuſa digeſſerunt: ille quidem, quæ in opere ipſo ſunt; hic vero adnexum indicem geminum. Georgius Nicolaus Kriegk* in *conſtitutione rei ſcholaſticæ Ileſeldenſis* p. 125. merito lexico huic haſce laudes adtribuit: *in hoc lucubrationum genere præſtat quoque lexicon trilingue ex theſauro Roberti Stephani, & dictionario Friſii ſumma fide, ac diligentia collectum, cum præfatione Joannis Sturmii, Argentorati* MDCLXXXX.: *ſtudioſis artium, atque diſciplinarum, ut & ipſis earum magiſtris tanta vocabulorum copia oſtentatur, tanta exemplorum, & adtributorum multitudo, cum rerum, quæ ſcitu dignæ ſunt, ac neceſſariæ, abundantia tali, ut vel ex hoc ſolo litterati, ſi velint, dici queant: invenit quilibet, quibus verbis formulisque artem ſuam doceat, atque explanet, quoties opus eſt: indice, quo caret Friſius, opus hoc in juventutis gratiam atque uſum, triplici diſtinctum eſt pro triplici linguarum ordine, latino, græco, & germanico, germanico latino, & græco latino, ita corioſe, atque plene, ut nullius prope ſignificatio vocabuli ſit in ipſo opere, cujus non in indice fiat mentio, præter propria inuſitata, peregrina, quæ ſuis quæque locis reperire facile eſt, itemque participia, quæ ſub verbis ſuis nullo negotio intelligi poſſunt:*

Lu-

Ludovicus Lucius, qui edidit *ærarium*, ſive *theſaurum linguæ latinæ*, Francof. MDCXIII. in quo non ſolum Ciceronis, verum etiam reliquorum latinæ linguæ auctorum a Plauto uſque ad Claudianum voces ac formulæ dicendi ſunt traditæ atque explanatæ: auctor quum obſervaret, *Nizolii theſaurum* haud ſufficere ad omnia dicendi genera, laudabile conſilium hunc theſaurum, veluti poſteriorem partem illi ſubiiciendi cepit: recte enim monet in epiſtola, quæ in ſe continet dedicationis formulam, quod qui in conficienda oratione feliciter velit agere, duo debeat obſervare: ut unum ſibi generatim proponat eumque optimum: deinde ut probe diverſa caracteris genera diſcernat, atque in quolibet iterum eos, qui præ reliquis in illo excellant, imitetur, uti in epiſtolis, orationibus, dialogis Ciceronem; in hiſtoricis argumentis Cæſarem, Salluſtium, Livium; & quod ad poëmata adtinet, in genere heroico Virgilium, in lyricis Catullum & Horatium, in epigrammatibus Catullum & Martialem; in elegia Tibullum, Propertium, Ovidium; in tragœdia Senecam; in comœdia Plautum & Terentium. Auctor multam præſtitit diligentiam atque ex omnibus purioris ac terſioris latini ſermonis auctoribus vocabula diligenter collegit: utroque & *Nizolio*, & *Lucii theſauro lexicon Baſileenſe*, uti vocatur, abſolvitur, cujus prior tomus eſt *Nizolii theſaurus Ciceronianus*, de quo poſthæc, ubi de lexicis Ciceronianis dicendi locus erit, diſputabimus; poſterior vero *Lucii theſaurus latinæ linguæ*:

Ælius Antonius Nebriſſenſis, qui edidit

di-

dictionarium, recuſum Lugduni ſecundum exemplum Madrit. MDCLXXXIII. diviſum eſt in quatuor partes: prima complectitur dictiones latinas in ſermonem hiſpanum translatas, cui addita ſunt verba vetera & rare uſitata apud Terentium ſecundum litterarum ordinem diſpoſita; item leges XII. tabularum ſecundum ſeriem Rivallianæ editionis; & index *Joannis Alvarez Sagredo Burgenſis*, in quo oppoſita atque emendata eſt vulgaris ſermonis latinitas, ſeu voces ac phraſes Ciceronianæ barbaris alieniſque ſubſtitutæ: ſecunda pars exhibet nomina propria regionum, urbium, montium, fluminum: tertia locorum recentiores & vulgares adpellationes, cui adnexæ ſunt *notæ antiquarum litterarum Valerii Probi*: & quarta voces hiſpanicas latinitate donatas; vide *acta eruditorum* MDCLXXXIII p.225.

Baſilius Faber, cujus *theſaurus eruditionis ſcholaſticæ* lucem primam cum ipſius Baſilii Fabri præfatione adſpexit MDLXXI., deinde prodiit cum dedicatione ſcripta ad Chriſtiani Elector. Sax. filios, Chriſtianum II. & Jo. Georgium a Philippo & M. Chriſtophoro, Fabri pie defuncti filiis, Lipſ. MDLXXXVII. fol. cura *Paulli Franci*, Beſcovienſis Marchici, profeſſoris Viadrini, cujus *ſpicilegium*, quo hic theſaurus ſexaginta locis locupletatus corrigitur & ab hoſtium armis, in primis Andreæ Corvini in *fonte latinitatis*, acerrimi in Fabrum adverſarii, vindicatur, cum ipſo theſauro editum eſt Francofurti MDCXXIII.: operi huic augendo atque emendando operam quoque dedit *Auguſtus Buchnerus*, cujus cura lexicon hoc prodiit Vitemb. MDCXXV. MDCLV. MDCLXIV. MDCLXXX. cum

MDCLXXX. cum novis obſervationum ſupplementis, qui Buchnerus ſolus labori huic haud par erat; hinc quamplurima aliis reliquit, quæ erant emendanda, illuſtranda, augenda: poſt mortem Buchneri nova ſupplementa bibliopola editor ab heredibus ejus ſibi comparaverat, quibus quædam addidit *Jacobus Thomaſius*: de quo lexico hanc præferente faciem vere judicat *Ol. Borrichius* c.l.p.46. *plurimum abeſt ab ea, quam in foro romano ſpectamus, perfectione, immenſum quantum a virtute conſummati lexici* primo, *quod plurima hic deficiant*; ſecundo, *quod plurima, licet inveniantur, nullo tamen laudato auctore ſuſpicionem barbariſmi legentibus moveant*: tertio, *quod plurima barbara ſine præmonitu lectori crude obtrudantur*: quarto, *quod in quantitatibus (quas frons operis docet diligenter eſſe adnotatas) magna deprehendatur ſiniſteritas, adeo ut hac parte longe infra* Decimatorem *cenſeri mereatur, nec id tamen opinor, ulla* Buchneri, *illuſtris inter Germanos philologi, culpa, ſed partim temporum, partim typographorum: tandem anno* MDCLXXX. *iterum prodiit hic* theſaurus, *ſed caſtigatior & criticis obſervationibus ſecundior, nec tamen ab objectis prius criminibus prorſus immunis.* Acceſſit *Chriſtophorus Cellarius*, latina eaque puriore lingua doctiſſimus, qui manum admovere quum inciperet, ingentem laborem deprehendit: ſummo viro, Auguſto Buchnero, non conſtitutum fuerat, per ſingulas voces & continenti opera hunc librum reformare; ſed animus fuit, ſua tantum inſerere, non omnia repurgare, quo factum eſt, ut intacta pœne

multa relinquerentur, quæ aliam curam medicinamque poſtularent. Quumque Cellario hic diffuſior labor ita eſſet impoſitus, ut novem menſibus circumſcriptus fuerit, quibus exhauriretur, facile judicari poteſt, quod nimis properandum fuerit, multis ſæpenumero relictis, quæ alio tempore excuterentur: de cetero peracta fuit prima editio, & prodiit in publicum uſum MDCLXXXVI. cum præfatione *Georgii Schubarti*, nomine bibliopolæ: vix confecta hac editione, ſe ad novam legendo & adnotando præparavit, & quæ reliquerat excluſus tempore, ita cœpit retractare, ut vacua ſuppleret, turbata ordinaret, etiam reſecaret bis poſita: inprimis illud ipſi curæ fuit, ut auctores accuratiſſime citarentur ſignificato libro & libri minore inciſo, quæ editio exiit in lucem MDCXCI., quam ſecundam tertia ſubſecuta eſt MDCXCVI. multis obſervationibus aucta atque ornata, etiam quarta MDCC., & quamvis ann. MDCC. in hac editione non legatur, iſto tamen omnino eſt impreſſa: annum MDCXCVI. bibliopola certas ob cauſſas præfigendum voluit, quamvis hæc anni MDCC. editio uſque ad litteram L. priore, quæ anno MDCXCVI. excuſa eſt, eſſet auctior. De opera, quam Cellarius ad lexicon hoc ornandum atque augendum contulerat, ſiniſtre judicat *Andreas Borrichius* de *fatis & ætatibus latinæ linguæ* p. 99. atque exiſtimat, quod theſaurus ipſius in multis *foro romano* & *Koënigii gazophylacio* ſit inferior; quod in eo quam multa vocabula deſiderentur; quod plurima, licet ſint probatiſſima, teſtimoniis idoneorum ſcriptorum ſint deſtituta; quod plu-

ri-

rima, quæ ſint ætatis aureæ, tantum ſcriptorum auctoritate vel argenteæ, vel æneæ, vel ferreæ ætatis defendantur; quod non pauca parum accurate definiantur. Sed ita ſentiendo æquitatem haud obſervaſſe videtur: ſtudio Cellarii rem haud confectam eſſe, in ſe quidem erat clarum, quod & ipſe pro ſua modeſtia ingenue ac ſæpe fuit confeſſus; ſed tamen nec id negandum eſt, quod opera ipſius multa in hoc theſauro fuerint expurgata, emendata, atque aucta. Poſt Cellarium acceſſit ad hoc opus doctiſſimus *Andreas Stubelius*, cujus ſingulari induſtriæ, quam in hoc libro collocavit, duas editiones debemus; prior prodiit MDCCX. maxime aucta atque ornata: acceſſerant enim obſervationes quædam ipſius Cellarii; animadverſiones, quas ad exemplum ſuum collegerat celeberrimus Jo. Georgius Grævius: Aruſiani Meſſi, primi ordinis *V.C. Cr.* comitis *exempla elocutionum ex Virgilio, Salluſtio, Terentio, Cicerone per litteras digeſta*; ipſe autem Stubelius adjecerat amplius vocabulorum ſeptem millia. Hac editione quum Cellarii gloriam eſſe imminutam putaret *Janus Gregorius Betulius*, gravem illius vindicem ſe præbuit in *epiſtola ad amicum, qua ea, quæ C. H. E. D. in relatione de itinere ſuo a.* MDCCVII. *facto de bibliotheca Wolſenbuttelenſi & ſeceſſu principis in ſalinarum valle recenſet, examinata multiplicis arguuntur falſitatis: præmittuntur, quæ ad Jo: Aventini annales Bojorum, & Baſ. Fabri theſaurum erud. ſchol. libros recens editos, pertinent*, quæ prodiit MDCCX. Hannov.; ubi non ſolum in hac editione Stubelii, ſed etiam in *annali-*

bus Bojorum Aventini, quibus doctiſſimã præfationem præmiſerat celeberrimus *Nic. Hieronymus Gundlingius*, non nulla vitioſa voluit notare. Quum adverſus hæc, quæ objecerat, in diario germanico inſcripto: *expediter Secretarius* pro Stubelio eſſet dictum, edidit aliam epiſtolam ad *Irænæum Philalethem*, *qua nonnulla ad priorem ipſius epiſtolam illuſtrandam, inprimis ubi de Baſilii Fabri theſauro eruditionis ſcholaſticæ, & Joannis Aventini annalibus Bojorum agitur, adſeruntur, ac iis ſimul, qui objecerunt quædam, breviter reſpondetur*: ſub nomine *Jani Gregorii Betulii* latet *Jo: Georgius Burckardus*: vide *novam bibliothecam Halenſem* tom. II. p. 259., & *Chr. Aug. Heumannum* in præfatione *ſchediaſmatis de libris anonymis ac pſeudonymis*, quamvis hic ſibi perſuaſerit, *Jacobum Burckardum*, fratrem illius, quem nominavimus, eſſe auctorem harum epiſtolarum, quem & ipſe, quum vitam Cellarii præmiſſam ipſius *diſſertationibus academicis* litteris conſignarem, ſecutus fui. Anno MDCCXVII. edidit doctiſſimus *Chr. Falſterus ſupplementum latinæ linguæ*; ſive *obſervationes ad lexicon Fabro-Cellarianum*, (*edit. noviſſ. Lipſ. a.* MDCCX.) *cujus mille aliquot lacunæ ex auctoribus aureæ, argenteæ, & æneæ ætatis ſupplentur, adjectis paſſim notis criticis & philologicis, nec non indice quadruplici*, cui libro, qui auctoris incredibilem induſtriam ac ſumma ſtudia, quæ in evolvenda veterum auctorum monimenta contulit, aperte prodit, eruditiſſimam præfationem celeberrimus *Severinus Lintrupius* præmiſit. Verum hoc ipſo anno MDCCXVII. in lucem prodiit

po-

poſterior editio *theſauri* cura doctiſſimi Stubelii, iterum multis acceſſionibus aucta atque ornata: quid præſtiterit, ipſe in præfatione recenſet: *neque adeo*, inquit, *invidioſum mihi erit, ſi dixero, quod hac vice viginti millia denuo ſuperaddita pronuntiare liceat*: memorat quoque, quod luculenter adjutus fuerit ſymbolis *Joachimi Jurgenj* medici doctoris, cujus acceſſiones, quas ultro & gratis transmiſerat, ita laudat, ut confiteatur, quod iterum non pauca deficerent, ubi ſine illis fuiſſet. Sed de *Falſteri ſupplemento*, cujus fecimus mentionem, ita judicat: *primum autem teſtem defectuum produco Chriſtianum Falſterum, Conrectorem ſcholæ Ripenſis in Holſatia*, *cujus* ſupplementum linguæ latinæ *circa finem anni ſuperioris ad nos pervenit*, *in quo* quinque millia *lacunarum lexici Fabro-Cellariani ex auctoribus aureæ, argenteæ, & æneæ ætatis ſupplere voluit, ipſosque defectus nunc jocoſe, nunc aſpere exprobat: ſed pleroſque vel ſimiliter, vel melius quandoque reſtitutos videbit, ante adventum ſui libelli plus conſecuturus, ſi citius tranſmiſiſſet, aut communicaſſet; nam quum accederet, ultimam prope impoſituri manum de indice germanico ſolliciti eramus: certe quiſque noſtrum pro opibus ſuis efficit mania. Olim qualitercunque probata, vel nulla auctoritate munita, nulloque teſte comitata vocabula reliquerant: poſtea vero quiſque noſtrum id egit, ut ex antiquiore latinitatis ſeculo auctoritatem arceſſat, & valorem vocum firmius corroboret; quod præcipuum etiam Falſteri opus eſſe videtur, ut digniore aliquo fulcro multa ejus vocabula ni-*

tantur, *quam quo lexicon nititur: præterea pauca ſubſtantiva, plura adjectiva, & in his plures gradus ſuperiores, & quarundam dictionum plures ſignificationes*, *vel diverſum uſum ſuggerit: in his ſunt interdum*, *quas non deficientes in lexico deficere putat*; *ſunt etiam*, *quas ſi ſcruteris*, *aliter ſe habere ſentias: iſtud dolendum eſt*, *quod lectionum varietate ſæpius torqueamur*, *quo malo in lexicis contexendis nihil eſt deterius*. Ut igitur laudatus *Falſterus* famæ atque exiſtimationi ſuæ conſuleret, ac monſtraret, ſe haud inutilem operam præſtitiſſe, nec Stubelianis novis acceſſionibus rem eſſe confectam, edidit eodem anno *animadverſiones epiſtolicas in tres partes diviſas*, *quarum prima ſelecta quædam loca præfationis M. Andreæ Stubelii ad Fabri theſaurum edit. nov.* MDCCXVII. *breviſſime examinat*; *ſecunda mantiſſe Stubelianæ theſauro ſubtextæ maniſeſtiſſimum plagium coarguit*; *tertia ſupplementum ſecundum exhibet*, *& obſervationes nonnullas*, *quas fraudis & artificii ſui diſſimulator M. A. Stubelius ſponte prætermiſit*: inter alia p. 54. monet, quod vocem *recommendare*, quam latinæ linguæ cenſores communi ſuffragio ut barbaram damnarunt, ordini aureo, per auctoritatem quippe Phædri voluerit reſtituere; quo omnino optimus vir Stubelius errorem admiſit, nec ſatis conſideratum locum Phædri adduxit, quod etiam alii monuerunt & viderunt; confer *Gottfr. Richterum* in *præfatione ad Phedri fabulas*, quas Jenæ MDCCXVIII. in lucem publicam edidit: ſed ad ipſum Fabri theſaurum redire debemus. Poſt Stubelium ad opus hoc acceſſit vir celeber-

berrimus *Jo: Matthias Geſnerus*, qui uti harum literarum ſcientiſſimus eſt, ita omnes induſtriæ partes de libro hoc perpoliendo implevit, quo omnino inſigne ipſi acceſſit decus propter quod quiſque harum rerum intelligens ac veritatis amator pronuntiare debet, quod hæc editio prioribus omnibus longe ſit præferenda. Quum doctiſſimus vir operam ſuam ad hunc theſaurum conferre cœperit, recte obſervavit, illum duplicem laborem deſiderare, quorum alter in augendo, alter vero in emendando verſari debeat, quem etiam adhibuit feliciter: uti in præfatione dicit, auxit opus hoc vocabulis nonnullis novis, ſed paucis tamen; dignis nimirum hoc theſauro, quem detractione potius curare, ſi res ita tuliſſet, quam multitudine novorum vocabulorum augere ſe maluiſſe, obſervat, nec ſine cauſſa: res ſane hujuſmodi acceſſionibus novorum vocabulorum haud conficitur; iſta enim facili negotio ſunt colligenda cumulate, ſi ſcriptores cujusque ætatis latinos evolvere velimus, eorumque ſingulis vocibus locum facere: ſed hoc, ut mihi videtur, haud convenit theſauro quodam eruditionis ſcholaſticæ. Meliorē igitur eruditiſſimus *Geſnerus* operam præſtitit, quum opus hoc auxerit plurimis vocum, quæ jam relatæ erant, ſignificationibus; conſtructiones adjecerit non paucas, ac ea, quæ ad antiquitatis romanæ pleniorem ſcientiam pertinent, ac liber hic, qui theſaurus eſſe debet eruditionis ſcholaſticæ, merito ſibi vindicat; item obſervationes criticorum celeberrimorum addiderit: nec minorem operam illis addixit, quæ in hoc theſau-

ſau-

ſauro emendanda eſſe obſervavit, vide de hac præclara editione, quæ prodiit Lipſiæ MDCCXXVI. doctiſsimi *Jo. Chr. Coleri antholog.* tom.1. faſcicul.3. p.172. qui & exempla adfert, quomodo Stubelius animadverſiones a Geſnero transmiſſas non integras reliquerit; ſed plures ab eo vel rejectæ, vel interpolatæ ſint, quamvis in medio hujus laboris curſu ereptus fuerit rebus humanis Stubelius, a quibus terminis ſolius Gesneri induſtriæ nova editio ornanda credita erat: antequam *Colerus* refert, quid præſtiterit *Geſnerus*, de inſcriptione hujus lexici obſervat: *theſaurus vocatur eruditionis ſcholaſticæ: fateor, theſauri vocem grande quid ſonare, & pretioſum; ſed vel ipsũ quod adjectum eſt eruditionis ſcholaſticæ nomen, neſcio quid anguſti habeat, vel contemtus pariat faſtidiique: ego vix dubitem, librum, qui incredibiles multarum rerum copias continet, rectius & linguæ & rei propemodum omnis litterariæ romanæ theſaurum poſſe adpellari*: de ipſo hocce theſauro ejuſque prioribus editionibus lege *Chr. Cellarium* in *epiſtolis ſelectioribus* a nobis editis p.268.276. *Dan. Georgium Morhofium polyhiſtore litterario* lib.IV. cap.9. §.16. qui memorat, quod dicatur & Francofurti ad Viadrum uberior latere vocabulorum collectio, quam Tobias Magirus ad Fabrum ſibi collegerit, & addit: *quod ſi verum eſt, non inanis fortaſſe fuerit labor ille, ſi ex ceteris Magiri, viri diligentiſſimi, ſcriptis eum judicare velimus*: idẽ refert, quod *Jo. Henricus Boëclerus* Fabrum a Buchnero revilum *foro romano* prætulerit, *in diſſertat. de lexicis*, hocque judicium haud rectum eſſe dicit:

ſed

ſed *Jo: Fabric.* in *hiſtor. biblioth.* par. III. p. 262. obſervat, quod *Boëcler.* non Fabri theſaurū, ſed *Lucii lexicon baſileenſe prætulerit foro romano*: ipſa doctiſſimi viri hujus verba tom. I. *diſſert. academicarum*, ubi extat ipſius diſſertatio de *lexicis*, p. 653. hæc ſunt: *jam theſaurus latinæ linguæ Roberti Stephani, & forum romanum Cælii Secundi Curionis multum laboris in vaſto opere præferunt: quibus tamen merito anteponas baſileenſe lexicon, cujus prior tomus Ciceroniana Nizolii auget; poſterior Lud. Lucii opera aliorum auctorum vocabula, erudito ſane & eleganti propoſito, exhibet: in Fabri theſauro plus doctrinæ eſt; cui copiam, decus, limam addidit ſingularis induſtria & doctrina cl. Buchneri, qui ex opuſculo opus dedit*: adde *Godofr. Ludovici hiſtoriam ſcholarum* part. I. p. 28. & part. II. p. 15., *Jacob. Burckardum* in *epiſtola ad Struvium de obitu Cellarii* p. 15. *Jo. Fabriciū* in *hiſtoria bibliothecæ* par. III. p. 262. qui refert, Patavii in Italia virum eſſe litteratiſſimum, qui theſauri a Stubelio locupletari errores publici cauſſa, non ſuperciliose, ſed modeſte indicaturus ſit: ipſe *Fabricius* varios errores notavit: prodiit quoque *epitome theſauri Fabri*, Lipſiæ MDXCIV. & Heideberg. MDCVIII.

Andreas Reyherus, cujus *theſaurus latini ſermonis* MDCLXVIII. 8. editus eſt, natus ex Reyheri ejuſdem *theſauro ſermonis latini elegantioris ex romanæ linguæ principibus*, edito Gothæ anno MDCXLV. vol. II. 8.: ea, quæ pertinent ad rem medicam, & forenſem, addiderunt filii Reyheri, Samuel jure conſultus & Andreas medicus: liber hic deinde longe auctior

ctior prodiit Lipſiæ MDCLXXXVI. fol. cum epiſtola Chriſtophori Cellarii ad filios Reyheri, qua confitetur, operam univerſam fidei ſuæ commiſſam eſſe, quidquid in ordinando ac perpoliendo libro reliquum erat; verum perſimili labore ſe interceptum fuiſſe, ut vix liberius reſpirare ſibi licuerit: quo nomine ei *Jo. Friderici*, tum artium bonarum magiſtrum & ſcholaſtica litteratura pereruditum adjunxerunt, qui cum filiorum Reyheri additamenta diſponeret, tum Cellarii obſervationes adjiceret: poſtrema editio acceſſiones ſuas debet *Chriſtiano Junckero*, Lipſ. MDCCXII. fol. qui multa collegit, adjecit, emendavit, quamvis ipſi operi minus fecerit ſatis. Hinc lexico huic theſaurus Fabri multis nominibus omnino eſt præferendus; quod & haud obſcure indicatur *Jupplem. act. erud.* tom. 5. ſect. 5. p. 233. ſeq.: *id unicum fortaſſè deſiderari poterat, quod in tradendis illuſtrium ex rebus geſtis Romanorum urbium, aut provinciarum nominibus juſto parcius eſſe videatur lexicon hocce Reyhero-Junckerianum, qua in re eidem nec invitis ejus editoribus Fabri Cellariique theſaurus palmam præripit*. Quum anonymus, qui traditur ipſe Andreas Stubelius, in diario quodam teutonico multa in theatro hoc reprehendere adniteretur; reſpondit ei Junckerus peculiari ſcripto, teutonice compoſito. Lexica minoris formæ, ac minoris pretii, *Denzleri* quippe, *Spieſſeri*, *Neubaveri*, *Lindneri*, *Weismanni*, *Friſii*, non eſt, quod diſtincte recenſeamus, quum in omnium juvenum manibus verſantur. Illis, qui adoleſcentes ſunt, & ingenium præparant ad latinam linguam, commen-

men-

mendamus *Koenigii gazophylacium latinitatis*; *Corvini fontem latinitatis*; *Garthii lexicon*: ſed quid adtinet, ire per ſingula, & *Plantini*, *Daſypodii*, *Mancinelli*, *Morelli*, *Murmelii*, *Calviſii*, & aliorum opera excutere?

§. VI.

Nunc dicendorum ratio poſtulat, ut ad diverſa lexicorum latinorum genera enarranda nos convertamus: Primum locum inter iſta adtribuimus *lexicis etymologicis*, quæ in originibus vocum Romanarum explicandis verſantur, ad quam operam & antiquiori, & recentiori ævo eruditiſsimi viri acceſſerunt: ex veteribus nominandi ſunt nonnulli grammatici, qui in origines vocum latinarum inquiſiverunt, *M. Terentius Varro*, *M. Verrius Flaccus*, *Sextus Pompejus Feſtus*, de quibus jam in capite de grammaticis quædam diſſeruimus. Princeps illorum eſt *Iſidorus* Hiſpalenſis, cujus extant *originum*, ſive *etymologiarum* libri xx. qui prodierunt ſeorſim Venetiis MCCCCLXXXIII. Pariſiis MDIX. & aliis annis; deinde juncti aliis philologiæ romanæ libris Baſileæ MDLXXII. fol. cui editioni additi ſunt libelli veterum grammaticorum de proprietate, ac differentiis latini ſermonis, Cornelii quippe Frontonis, Nonnii Marcelli, Agrœtii, Ælii Donati, Arruntii Celſi, Flau. Soſipatr. Cariſii, Q. Aſconii Pædiani, Marii Servii Honorati, Sexti Pompeii Feſti, M. Terentii Varronis, Q. Terentii Scauri, A. Gellii: hosce ſubſequuntur Martiani Capellæ de *nuptiis philologiæ*, & *Mercurii* libri novem. Extant quoque hi libri inter opera *Iſidori*, quorum edi-

editiones memorat celeberrimas *Joann. Albert. Fabricius* in *bibliotheca latina* lib. IX. cap. 6. pag. 769. Eruditi viri ſunt, qui haud honorifice de his etymologiarum libris ſenſerunt, quorum judicia collegit *Jacobus Thomaſius* de *plagio litterario* §. CCCCLXXIV., atque ex Petro Ciacconio obſervavit, quod Iſidorus ex Servio Maronis interprete, Feſto, Nonnio, Auguſtino, ceteriſque melioris notæ auctoribus ad verbum pleraque tranſcripſerit; item quod ex ſententia Rhenani *talis ferme ſit apud latinos Iſidori rhapſodia, qualis apud Græcos Suidæ undecumque a compluribus conſarcinata*; quod Janus Douſa eum adnumeret *ſartoribus ſemipriſcis*, atque alibi vocet *centonum ſarcinatorem*: præter eum *Conr. Rittershuſius* ad *Salvian.* p. 208. exiſtimat, quod in hiſce libris ſæpe adtulerit nugas: quod quamvis haud poſſit negari, nec hoc, quod multa ex aliis auctoribus tranſcripſerit; id tamen induſtriæ ejus debemus, omnino laudandum, quod beneficio illius varia antiquorum ſcriptorum monimenta ſint conſervata. Plura de hoc auctore habet *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part. III. pag. 273. Recentiori ævo huic lexicorum generi conſcribendo operam dederunt

Jo. Fungerus, quo auctore prodiit *etymologicum latinum, opus*, ut titulus habet, *ex probatiſſimis philologis, philoſophis, hiſtoriographis, poëtis, aliis ſcriptoribus diverſis in unum corpus collectum, antiquitatibus, & animadverſionibus reſperſum, vocabulis inſuper iis, quæ tranſierunt ex linguis ſacris in jus latinitatis, locupletatum*, Francof. MDCV. *Thomas Crenius* in tract. de *eruditione comparan-*

da p.150. obſervat, quod Gerard. J. Voſsius in etymologico neminem durius tractaverit, quam hunc Fungerum, quamquam & in aliis ſcriptis ſuis ipſe non parcat occaſione ita ferente; ubi laudet, non ſuccurrat: alios libros edidit Fungerus, de *puerorum diſciplina, & recta educatione*; novam *proverbiorum farraginem*, de quibus legendus eſt *Valer. Andreas Deſſelius* in *biblioth. Belgic.* p.503. fuit enim Leovardienſis ſcholæ rector.

Chriſtianus Becmannus, cujus liber extat ita inſcriptus: *manuductio ad latinam linguam, nec non de originibus latinæ linguæ, quibus paſſim alia multa philologiæ propria pro meliori vocum & rerum cognitione inſerta ſunt: ambo nunc tertium & quidem auctius, ſed & melius edita* Hanov. MDCXIX.; priores editiones prodierunt MDCVIII. & MDCXIII. tertiam, quam memoravimus, etiam quarta MDCXXIX. ſecuta fuit: vide quæ de hoc libro habet *Godofredus Ludovici* in *hiſtoria ſcholarum* part. V. p.290.

Matthias Martinius, qui edidit *lexicon philologicum*, in quo latinæ voces tum puræ, tum barbaræ ex originibus illuſtrantur, ac comparatione linguarum explicantur. Scriptores, qui jam hujuſmodi libros ſcripſerunt, auctor recenſet in præfatione, Papiam, Britonem, auctorem catholici, Perottum, Vallam, Calepinum; ſed quum ab his multa eſſe prætermiſſa nec omnia accurate tradita viderit, ipſum animum ad hujuſmodi opus ſe contuliſſe obſervat: prodiit illud Francofurti MDCLV. recuſum eſt Trajecti ad Rhenum MDCXCVII. cui editioni acceſſerunt auctoris vi-

ta; deinde ejuſdem *etymologicum*, ſeu *Cadmus græco-phœnix*, in quo explicantur & ad orientales fontes reducuntur principes græcæ voces, illæ præſertim, quæ in verſione ſeptuaginta interpretum & in libris poſterioris fœderis obſcuriores ſunt: porro additum fuit *Iſidori gloſſarium* cum emendationibus & notis ſummi elegantioris doctrinæ antiſtitis *Jo. Georgii Grævii*: denique *Theodori Janſonii ab Almeloveen auctarium*, ac *variorum collectanea in gloſſarium Iſidori* ſub calcem totius operis ſubjiciuntur: extat quoque editio operis hujus Amſtel. MDCCI. cui addita eſt *Jo. Clerici etymologica diſſertatio*; quamvis hoc anno ipſum opus haud recuſum, ſed ei tantum novum titulum cum diſſertatione *Clerici* præfixum fuiſſe, nonnulli monuerint. Denique iterum lucem vidit Trajecti ad Rhenum MDCCXI. quæ editio prioribus dicitur emendatior, atque auctior: ſed obſervat celeberrimus *Jo. Fabricius* in *hiſtoria Bibliothecæ* part. III. p.271. mendas priores eſſe relictas; de hoc lexico legi poſſunt *Dan. Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib.IV.cap.9.§.4.,& *Thomas Crenius animadverſion.* part.X. p.275.

Gerardus Jo. Voſſius, cujus incredibili in vario litterarum genere induſtriæ debemus *etymologicum latinæ linguæ*, quod prodiit Amſtelod. MDCLXII. cum præfixo libro de *permutatione litterarum in etymologia inveſtiganda*; item MDCXCV. auctum copioſis obſervationibus *Iſaaci Voſſii*, auctoris filii, quod extat etiam inter opera Voſſii junctim edita. *Menagius* in *amœnitatibus juris civilis* cap.XXXIX.p.428. accuſat Voſſium, quod multa deſumſerit ex *Martinii*

tinii lexico philologico, auctoris nomine diſſimulato; quocirca *Theodorus Janſon ab Almeloveen* in *ſyllabo plagiariorũ* p.43. eum in tabulas plagiariorum retulit. *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib.IV.cap.9. §.4. dicit: *Præcipuum vero in hoc ſtudiorum genere, ut in aliis fere omnibus, nomen acquiſivit Gerh. Joann. Voſſius, etymologico ſuo, quod haud ita pridem, Iſaaci filii additamentis auctum, nova facie prodiit: multum illud præcellit lexico Martinii, qui Voſſii præceptor erat, ſed multa immiſcet aliena, quæ judicium ejus tantum non eſſe produnt, quantum erat diſcipuli; quanquam & in diſcipulo paſſim deprehendas præceptoris ſui veſtigia, adeo quidem clara, ut typographus, qui Martinii lexicon edidit, ſibi ab opere Voſſiano damnum metuens, plagii crimen intentaſſe dicatur hujus edi ori Elzevirio, qui id A.* MDCLXII. *in fol. primum excudit: præfixus eſt utiliſſimus liber de permutatione litterarum in etymologia inveſtiganda, quam doctrinam Voſsius eo loco pleniſſime proponit; quum, qui ante illum in hoc argumento fuere occupati grammatici, leviter illud ſaltem attigerint*: adde *Thom. Popeblount* in *cenſura celebriorum auctorum* p. 970., & *Adrianum Bailletum* in *jugemens* tom. III. p. 57.

Chriſtianus Daumius, qui edidit librum de *cauſsis amiſſarum quarundam latinæ linguæ radicum, ut & multarum vocum derivatarum*, Cygn. MDCXLII. extat quoque in *ſyntagmate variarum diſſertationum*, quod edidit *Jo. Georgius Grævius*, quamvis ei haud copia fuerit exempli, quod *Daumius* manu

ſua maxime auctum reliquit: alia adhuc compoſuit ſcripta *Daumius*, quæ ad hoc argumentum ſpectant, licet haud ſint edita, cujuſmodi ſunt: *indagator & reſtitutor græcæ & latinæ linguæ radicum*: *indices latinæ linguæ* plurimis tomis: *gymnaſium latinæ linguæ Zechendorfii*; vide *Val. Ern. Loëſcherum* in *memoria Daumiana*, *epiſtolas Daumio-Gleichianas*, *Clarmundi vitar*. part. III. p. 127., ac *Godofredi Ludovici hiſtoriam rectorum gymnaſiorum ſcholarumque celebr*. part. III. p. 127.

§. VII.

Equidem haud negandum eſt, quod ſtudium etymologicum cultoribus linguarum utilitatem adferat, atque efficiat, ut cognitis vocum originibus vera, ac nativa ſignificandi vis, quam habent, illuſtretur: ſed tamen etiam in hoc ſtudiorum genere modum tenere decet, ita ut neque in perſcrutandis vocum originibus majorem operam, ac par eſt collocemus; neque ſcientiæ etymologicæ plus, quam rei ipſius dignitas poſtulat, tribuamus: pleraque in hac philologiæ parte dubia ſunt, atque incerta, ut teſtatur hanc in rem experientia: evolvat quis *Voſſii etymologicum*, opus maximo labore compoſitum, ac videat, num locus ſit, ubi pedem figere tuto poſſit? quantam diverſitatem, quantam varietatem ſententiarum deprehendet? ac videbit, in tanta vocum copia paucas eſſe, de quarum originibus certi, ac ſolidi quid ſit pronuntiatum. Res ipſa hocce loquitur: quomodo latinæ linguæ origines poſſunt reſtitui,

quæ

quæ per tot ſecula ſunt abſtruſæ ac reconditæ? fatetur hoc *Varro* ipſe, ſolertiſsimus originum latinæ linguæ ſcrutator, quando de *latina lingua* lib. IV. dicit: *non omnis impoſitio verborum exſtat, quod vetuſtas quædam delevit, nec quæ exſtat, ſine mendo omnis impoſita: nec quæ recte impoſita, cuncta manet; multa enim verba litteris commutatis ſunt interpolata*: ac quamvis ſciamus, quod latina lingua nata ſit ex græca; minus tamen omnia in radicibus græcæ linguæ ſunt expedita, quæ ſæpiſsime ſunt obſcuræ, atque interdum penitus ignorantur: iterum hoc profitetur *Varro* apud *A. Gellium* lib. 1. cap. 18. *L. Ælius noſter litteris ornatiſsimus memoria noſtra erravit aliquoties; nam aliquot verborum antiquorum græcorum, proinde atque eſſent propria noſtra, reddidit cauſſas falſas: non enim leporem dicimus, ut ait, quod eſt levipes, ſed quod eſt vocabulum antiquum græcum: multa enim vetera illorum ignorantur, quod pro iis, aliis nunc vocabulis utantur*. Quodſi in his ſtudiis veſtigia veterum ſcriptorum, qui etymologias dederunt explicatas, ſequi velimus, minus recte nobis conſulimus: conſtat enim, quod haud feliciter origines latinæ linguæ ſint perſcrutati, quam in rem ſufficit ad unicum *Iſidori* exemplum provocare; quid? linguæ ſenſim augentur; formantur nova vocabula non ſemper ſecundum illarum rerum, quibus exprimendis debent inſervire, indolem; ſed ſæpiſsime ſecundum arbitrium hominum, qui ubi hoc faciunt, minus animum ad illorum originem advertunt: ſignificat hocce *Iſidorus* lib. 1. cap. 26. *non autem omnia nomina a veteribus ſe-*

cundum naturam impoſita ſunt, *ſed quædam & ſecundum placitum*: *ſicut & nos ſervis*, *& poſſeſſionibus interdum ſecundum quod placet noſtræ voluntati*, *nomina damus*; vide quæ hac de re habent *Richardus Simonius* in *nouvelle bibliotheque choiſie* part. I. p. 123. ubi per exemplum vocis græcæ θεὸς oſtendit, quam incerta ſint ſtudia etymologica; & *Chr. Falſterus* in *cogitationibus variis philologicis* p. 179. Magnum opus originum latinæ linguæ moliebatur *Julius Cæſar Scaliger* XXIV. libris abſolvendum, quod una cum ipſo intercidit: verũ ſi & illud prodiiſſet; attamen non ſine cauſſa exiguum fructum ex eo ſperavit *Menagius* in *epiſtola nuncupatoria ad Puteanum originum linguæ gallicæ*, quod etiam obſervat *Dan. Georgius Morhoſius* in *polyhiſtore litterario* lib. IV. cap. 9. §. 2.

§. VIII.

Alii interpretati ſunt voces veteris & agreſtis latinæ linguæ ex fragmentis antiquorum comicorum, Nævii, Paccuvii, atque aliorum, quorum duos nominamus: alter eſt *Eilhardus Lubinus*, qui edidit *antiquarium*, Amſtelod. MDXCIV. & Colon. MDCIX., cujus poſterioris editionis mentionem facit *Jacobus Fridericus Reimannus* in *hiſtoria litter. Germanor.* lib. II. ſect. 3. p. 325. Alter eſt *Janus Laurenbergius*, Guilielmi filius, quod nomen ſuo ſæpe adjunxit, qui juris publici fecit *antiquarium*, Lugdun. MDCXXII. & MDCLII. In hoc antiquario præter antiqua, atque obſoleta verba, & voces minus uſitatas dicendique formu-

mulas inſolentes, plurimi ritus populi Romani, ac Græcæ gentis proprii exponuntur, atque enodantur: addita eſt vetuſtiorum vocum ex gloſſariis aliquot ab Henrico Stephano editis collecta farrago: plura de hoc auctore habet *Jo. Mollerus* in *hypomnemat. ad Bartholinum de ſcriptis Danorum* p.279. *Ol. Borrichius append. de lexicis Latinis, & Græcis* p.47. de utroque ita ſentit: Lubini antiquario *multa antiqua deſunt, multa* Laurenbergii; *junge utrumque, addito, ſi vacat,* Feſto Pompejo, *non evirato illo* Paulli Diaconi, *ſed* Scaligeriano, *& felicius inter priſcorum minuſque uſitatorum verborum horrores verſaberis.*

§. IX.

Dicendum quoque eſt de *nomenclatoribus*, inter quos celebritate perſpicuus eſt

Adrianus Junius, cujus *nomenclator* prodiit Antwerp. MDLXXVII. MDLXXXIII., quæ eſt editio tertia: *tanta cura*, inquit *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. I V. cap. 9. §. 6. *adornatus eſt, ut non ignominiæ ſibi auctor duxerit, quandoque in media opificum viliorum turba, in cauponis ſedere, unaque compotare, quo accuratius vel inter pocula inſtrumentorum proprias appellationes in lingua vernacula diſceret*, cujus rei teſtem adducit Colonienſium: nec aliorum eruditorum virorum egregia teſtimonia libro huic deſunt. *Nathanaël Chytraeus* in *præfatione nomenclatoris Latino-Saxonici* dicit: *negari nequaquam vel poteſt, vel debet, Hadrianum Junium medicum olim Harlemium, de*

Eri-

ctrina, & virtute præſtantiſſimum, primariam in hoc ſcriptionis genere palmam eſſe conſecutum; ex quo etiam pleroſque eum ſecutos ſua deſcripſiſſe, omnibus, qui ea inter ſe conferunt, manifeſtum eſt: id quod nonnulli etiam doctiſſimi homines palam & nominatim quidem profiteri non erubuerunt. Utilem quoque huic parti ſtudiorum operam navavit Theophilus Golius, præceptor olim meus in ſchola Argentoratenſi, qui filum Sturmianum (quo is, quidquid in univerſitate rerum eſt, id totum divinitate, & natura, & arte, & humanitate dimenſus eſt) ſecutus, in ordinem haud paullo concinniorem, & commodiorem titulos nomenclatoris Juniani redegit: immo ex titulis paucioribus complures fecit, ut omnia hoc modo diſtributa, magis perſpicua inventuque faciliora, & memoriæ diſcentium accommodatiora eſſent. Nicodemus Friſchlinus in *præfatione nomenclatoris* ſui: *nolim hæc a me ita intelligi, quaſi ego perfectum opus in nomenclatura proferam, aut quaſi ego cornicis illius Hadriani Junii oculos cupiam configere: nam ut hujus viri nomenclatorem ceteris omnibus, qui unquam prodiere in lucem, longiſſime antepono; & vel ſolum dignum eſſe judico, qui in ſcholis legatur; ita meum hunc, quaſi comitem quemdam Juniano nomenclatori additum eſſe, cupio:* vide quæ de hoc nomenclatore collegit *Thomas Crenius* in *animadverſ. philol. & hiſtor.* part. 1. p. 33. & in *tract. de philologia, ſtudiis liberalis doctrinæ, informatione, & educatione litteraria p. 233.*

Nathanaël Chytræus, qui edidit *nomenclatorem Latino-Saxonicum*, Bremæ MDCXVII.

Ni-

Nicodemus Friſchlinus, qui præclarus auctor eſt *nomenclatoris* trilinguis, quamvis prima pars tantum prodierit, Francof. ad Mœn. MDLXXXVI.: præmiſſa eſt præfatio, in qua oſtendit, multa latere in antiquis ſcriptorum monimentis vocabula nobis inuſitata, quæ ſi accurate, ac ſtudioſe colligerentur, multa omnino ad augendam latinam linguam facerent. Liber hic iterum prodiit Francofurti MDXCIV. ac MDCXXXI. ſtudio Arthuſii, cujus editionis hæc eſt inſcriptio: *Nicodemi Friſchlini nomenclator trilinguis latino-germanico-græcus, omnium rerum, quæ in probatis omnium doctrinarum auctoribus inveniuntur, appellationes continens, quarum aliquot millia nuſquam ſunt obvia: opus, nova gnomologici trilinguis, & ſententiarum maxime illuſtrium ex probatis auctoribus excerptarum acceſſione in ſcholarum, & academiarum gratiam auctum, atque illuſtratum induſtria M. Gotardi Arthuſii, Dantiſcani: operi denuo ſub prælo ferventi adjectum eſt idioma Gallicum lectori benevolo tam gratum, quam neceſſarium*; lege *Carolum Henricum Langium* in *Nicodemo Friſchlino vita, fama, ſcriptis, ac vitæ exitu memorabili*, p. 90.

Henricus Schævius, qui edidit *nomenclatorem mnemonicum*, cujus altera editio prodiit Heidelbergæ MDCLXXIII.: opera, qua in libro hoc conſcribendo functus fuit, utilis eſt, quum conſtet, eum fuiſſe virum eruditione præditum:

Jo. Joachimus Becherus, qui dedit conſilia, quomodo latinæ linguæ rudimenta felicius ſint tractanda in *methodo didactica*: in

pra-

praxi ejus methodi; & in *organo*, ubi oſtendit, quomodo tiro rerum vocabula, grammaticam, & ſignificationem integri ſermonis beneficio derivationis a primitivis addiſcere poſſit. Fatetur *D.G.Morhofius in polyhiſtore litterario* lib. IV. cap.9. §.6. non contemnendam eſſe viri hujus induſtriam, quamvis fuerit pene nimia, & ſuperſtitioſa; addit: *collegit ille ſub ſuis primitivis derivativa, quæ non ſunt omnia notæ melioris: citra delectum enim obſoleta, & nova, & barbara, ſimul proponuntur tironibus ediſcenda, quod illorum animos imbuit non optimo colore. Ut in vocabulis praxim ſuam oſtendit; ita aliud ſubſidium eſt commentus in enuntiationibus formandis, & ſententiis: cui ſcopo ſcripſit novum organon, in quo ſub claſſibus conceptuum univerſalium, ac prædicamentaliũ diſponit voces, cujus quidem diſpoſitionis uſus, præter illum, quem ipſe intendit, alius quoque eſſe poſſit non contemnendus in inveniendis conceptibus argutis: nam quum hi fundentur in analogiſmo rerum, quilibet intelligit, eo feliciorem fore hanc operam, ſi directorio indicum iſtiuſmodi categoricorum uti poſſumus.*

Jacobus Engelbrecht, qui *complementum latinæ linguæ* ſcripſit, quo diſtinguit voces ſecundum claſſes rerum, & terminationes, ſibi perſuaſus, quod hac docendi ratione lingua aliqua breviori ſpatio poſſit comprehendi.

§. X.

Pervenimus ad eos, qui *gloſſaria latina* ſcripſerunt, quæ voces latino-barbaras explicant, quam-

quamvis quum haud ad cognitionem, atque exercitationem purioris latinæ linguæ pertineant, breviter de iſtis diſſerere animus ſit. Præcipue nominandi ſunt *Gerh.Jo.Voſſius*,& *Carolus du Freſne*; ille ſcripſit de *vitiis latini ſermonis*, *& gloſſematis latino-barbaris*, Amſtelod. MDCXLV. & Francof. MDCLXVI. in noviſſima autem editione libri quinque poſteriores acceſſerunt. Voſſium inſectatus eſt *Caſpar Scioppius*, atque adverſus libros de *vitiis ſermonis* edidit *animadverſiones ad virum clariſſimum Matthæum Deſendium litteratorem Venetum*; qui libellus editus fuit Patav. MDCXLVI.Ravenn.MDCLXVII. Amſtelod. MDCLX. MDCLXVI. huc & ſpectant doctiſſimi *Olai Borrich.*cogitationes de *variis latinæ linguæ ætatibus*,*& ſcripto illuſtris Ger.Jo-Voſſii de vitiis ſermonis*, Hafn. MDCLXXV. primum recenſet ea vocabula, quæ bene & provide improbavit Voſſius:deinde indicem illorum, quæ ab eo quidem vitioſa æſtimata ſunt, ſed ex attenta ſcriptorum lectione deprehenduntur, partim omni vitio carere, partim longe antiquiora eſſe, quam Voſſio creditum eſt: ſed tamen *Borrichius* adjecit *deſenſionem Voſſii adverſus Scioppium*. *Jo. Vorſtius* de *latinitate merito ſuſpecta* cap.II. in quibuſdam caſtigat Voſſium. In exquiſita bibliotheca celeberrimi Friderici Benedicti Carpzovii, ædilis Lipſienſ.fuit libri hujus Voſſii exemplum, in quo perpetuæ manu exaratæ adnotationes Jacobi Thomaſii legebantur, ut ex *catalogo* bibliothecæ hujus part. II. p.174. patet: adde quæ de hoc Voſſii opere habet *Carolus du Freſne præfation. gloſſar. latinitat.* num. 63.

Hic-

Hicque eſt, quem in hoc argumento nominare, ac præ aliis illius auctoribus veluti principem laudare debemus: edidit enim *gloſſarium ad ſcriptores mediæ, & infimæ latinitatis* tomis quatuor, & volumin. II.; opus tanti ſtudii, quantum vires humani ingenii capiunt, tantæ utilitatis, quanta a ſumma eruditione prædito viro, atque exquiſito in hoc litterarum genere libro poteſt expectari. Ubi hoc præſtantiſſimum opus prodiret in lucem Pariſiis MDCLXXVIII., bis Francofurti ad Mœnum recuſum fuit, primum MDCLXXXI. deinde auctius MDCCX. non ſolum in iſto explicantur vocabula novatæ ſignificationis, & uſus rarioris, quorum ſignificationes auctor erudite ac diligenter illuſtrat; verum etiam multi medii ævi ritus ac mores explanantur. Eruditiſſima eſt, quam præmiſit, præfatio, in qua egit de cauſſis corruptæ latinitatis, diſcrimine barbariſmi, & ſolœciſmi, gloſſarum, & gloſſematum, item de variis lexicis, & gloſſariis, quæ uſque ad renatas litteras ſcripta fuerunt: propter hanc præſtantiam operi huic ampliſſima judicia eruditorum virorum haud deeſſe poterant. Recte de eo *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. IV. cap. 9. §. 18. judicat: *profecto Augiæ ſtabulum illo ſtupendo plane labore non tam repurgavit, quam ornavit, potuiſſetque ſummo jure Herculem* κοπροφόρον *inſcribere opus ſuum, quem titulum olim Caſpar Scioppius invectivæ in Scaligeri, Caſauboni, aliorumque virorum doctiſſimorum nævos grammaticos a ſe colligendos deſtinaverat. Aurea vero in illo gloſſarii Cangiani ſtercore longe plurima ſunt, & veluti*

ti in fodina ſcoriis circumſepta latent. Præmittitur elegans diſſertatio de cauſsis corruptæ latinitatis; & ſubjungitur alia de inferioris ævi numismatibus, præcipue Conſtantinopolitanis, qualia & in luculentiſsimo de familiis Byzantinis opere infinita producit illuſtratque. Georgius Nicolaus Kriegk in *conſtitutione rei ſcholaſticæ Ilfeldenſis* p.132. *claſſem finimus, qui primo loco ponendus, Carolo du Freſne, dum in hoc immenſo prope vocum barbararum campo deſudavit: dici vix poteſt, quantum adtulerit ſtudii; & quanta ex innumeris prope monumentis copia non res minus, quam voces atque phraſes ſemibarbaras depromat in gloſſario ſuo latinitatis mediæ atque infimæ: in quo latina vocabula novatæ ſignificationis, aut uſus rarioris, barbara, & peregrina, explicantur, eorum notiones, & originationes reteguntur; complures ævi medii ritus, & mores, legum, conſuetudinum municipalium, & jurisprudentiæ recentioris formulæ, & obſoletæ voces, utriuſque ordinis, eccleſiaſtici, & laici, dignitates, & officia, & quamplurima alia obſervatione digna recenſentur, enucleantur, illuſtrantur. Præfatio de cauſsis corruptæ latinitatis digniſsima eſt, quæ cum cura legatur*: adde *Adrianum Bailletum* in *jugemens* tom. III. p. 72., & *Jo. Mabillonium* in præfatione eximii operis de *re diplomatica*. Sed prout per ſortis humanæ rationem haud quidquam omnibus numeris tam abſolutum edi poteſt, ut omnibus careat vitiis; ita & auctor hic quædam admiſit, quæ alii emendanda obſervarunt: exempla emendationum dedit celeberrimus *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part. III. p. 277.

 Adria-

Adrianus Valeſius autem in *Valeſianis* p. 233. auctorem reprehendit, quod contra inſtitutum operis, quod ſpectat ad latinitatem mediam & infimam, non ſolum multa vocabula aliarum gentium, Germanorum, Anglorum, Italorum; ſed etiam multas obſervationes de rebus eccleſiaſticis atque aliis adtulerit. Extant plura alia gloſſaria: habemus *Henrici Spelmanni gloſſarium archæologicum*, Londini MDCXLIV. & MDCLXXXVII. volum. II.; *Chifletii gloſſarium Gallicum*, ut taceamus de ſcriptis *Pithœorum*, *Bignonii*, *Urſtiſii*, *Freheri*, *Goldaſti*, *Colvenerii*, *Watſii*, *Fr. Lindenbrogii*, *Guil. Somneri*, *Jo. Seldeni*, *Abr. Wheloci*, *Jo. Lydii*, aliorumque, quos memorat celeberrimus *Jo. Albert. Fabricius* in *bibliotheca latina* lib. IV. cap. 6., qui & alios gloſſarum libros recenſet volum. III. p. 670. *biblioth. latin.*; cui addi poſſunt *Carolus du Freſne* in præfatione laudata *gloſſarii mediæ, & infimæ latinitatis*; & *Olaus Borrichius* in *appendice de lexicis Latinis*, & *Græcis* p. 47., ac quæ ipſi ſupra jam de hoc lexicorum genere, rationem in primis antiquioris, ac recentioris ævi habentes, diſſeruimus.

§. XI.

Jam ſuperiori ætate diſceptatio fuit inter eruditos viros de ratione dicendi, quam & philoſophum, & theologum ſectari deceat: namque quum in tradendis philoſophiæ doctrinis frequens vocum ſcholaſticarum & barbararum eſſet uſus illa ætate, qua meliores litteræ priſtinam dignitatem recuperare cœperunt, huic barbariei nonnulli ſe oppoſuerunt,

runt, ac ſcholaſticorum voces proſcriptas, atque a philoſophorum uſu remotas eſſe voluerunt. Inter hos extitit *Hermolaus Barbarus* in *epiſtola ad Joannem Picum Mirandulan.*, qui hoc de ſcholaſticis doctoribus tulit judicium: *non enim inter auctores latinæ linguæ numero Germanos iſtos, & Teutonas, qui ne viventes quidem vivebant, ne dum extincti vivant, aut ſi vivunt, in pœnam & contumeliam; adpellantur enim vulgo ſordidi, rudes, inculti, barbari. At enim utile aliquid dixerunt? valuerunt ingenio, doctrina, bonarum rerum copia: non nego penitus, quod nec poſſum negare; ſed ſermo nitidus & elegans, ſaltem purus & caſtus, qualis vel in auctoribus chriſtianis græcis latiniſque perſpicitur, laudem & memoriam ſempiternam ſcriptoribus conciliat; niſi quis pictorem & excuſorem, & ſtatuarium, & ceteros opifices laudari poſſe judicet hoc ſolo, quod magni conſtet & pretioſa ſit materia, circa quam verſentur: aut ſi Chærilus & Mævius habuiſſent illam ſegetem canendi, quam Virgilius & Homerus, futurum fuiſſe, ut primum a criticis & Ariſtarchis, max communi grammaticorum conſenſu redigerentur in numerum poëtarum; an verius eſt, Chærilum & Mevium quacunque materia Chærilum & Mævium futuros, neque Chærilum Iliada, neque Mævium Æneida conſcripturos unquam fuiſſe? non plus utique quam Chærilum Æneida, Mævium Iliada*: ſed quum *Jo. Picus Mirandulan.* ad haſce litteras reſpondet, pro his philoſophiæ magiſtris dicit; atque id inprimis agit, ut demonſtret, quod philoſophum deceat, non voces, ſed res cu-

rare, quodve veritas ſine eloquentiæ ornamentis poſſit proponi: inter alia dicit: *atque in his quidem, ſi quis nos arguat hebetudinis & tarditatis, age amabo, quicunque is eſt, pedem conferat, experietur, habuiſſe barbaros, non in lingua, ſed in pectore Mercurium, non defuiſſe illis ſapientiam, ſi defuit eloquentia, quam cum ſapientia non conjunxiſſe, tantum fortaſſe abeſt a culpa, ut conjunxiſſe ſit nefas*; modo cauſſam horum philoſophorum non ingenii atque exercitii cauſſa egerit: ſubſecutæ ſunt aliæ epiſtolæ horum virorum quæ extant in *Angeli Politiani operibus* p.119. Renovatum fuit hocce bellum inter M. Antonium Majoragium, & Marium Nizolium, cujus rationem expoſui in *hiſtoria logicæ* p.607. *parerg. academicor.* edidit *Marius Nizolius* libros IV. de *veris principiis & vera ratione philoſophandi contra pſeudophiloſophos, in quibus ſtatuuntur ferme omnia vera verarum artium & ſcientiarum principia, refutatis & rejectis prope omnibus dialecticorum & metaphyſicorum principiis falſis, & præterea refutantur fere omnes M. Antonii Majoragii objectiones contra eundem Nizolium, uſque in hunc diem editæ*, Parmæ MDLIII. anno MDCLXX. quos libros nova facie indutos exhibuit, atque diſſertationem præmiſit *Leibnizius* de *alienorum operum editione, de ſcopo operis, de philoſophica dictione, de lapſibus Nizolii*; item epiſtolam *ad exquiſitiſſimæ doctrinæ virum de Ariſtotele recentioribus reconciliabili*. Ipſo opere nihil aliud continetur, quam logica reformata & ad puram propriamque loquendi rationem revocata; hæc eſt cauſſa, cur libri hujus jam

nen-

mentionem fecerimus: quamvis enim formam lexici haud præ ſe habeat; ex iſto tamen voces ac loquendi formulas caſtitate atque elegantia ſua conſpicuas, quibus res philoſophicæ ſunt exprimendæ, addiſcere poſſumus: ſi & quis lexicon quoddam philoſophiæ elegantioris ac purioris vellet conſcribere, multa hujuſmodi inſtituto rite perficiendo ſalutaria ex eo hauriri poſſent. Quum de lexicis, quæ ſermoni philoſophorum perpoliendo atque ad veterem dignitatem revocando debent inſervire, cœpimus diſſerere, non poſſumus, quin mentionem faciamus *Plexiaci*, qui edidit *lexicon philoſophicum*, *ſive indicem latinorum verborum deſcriptionumque ad philoſophos & dialecticos maxime pertinentium*, Hag. Comit. MDCCXVI.: opus hoc duabus conſtat partibus, quarum prior argumenta philoſophica, prout a Cicerone tractata ſunt, ita exhibet, ut quæ Cicero ſparſim habet, ſive ad logicam, ſive ad metaphyſicam pertineant, ad certa rerum capita redacta ipſis Ciceronis verbis ſint propoſita: poſterior pars continet indicem ſecundum litterarum ordinem conſcriptum barbarorum vocabulorum, quibus alia eaque pura ac auctoritate veterum confirmata ſunt oppoſita, ut qui de philoſophiæ argumentis latine atque eleganter velit dicere, vocum ac formularum loquendi habeat copiam, cujuſmodi inſtitutum maxime eſt laudabile. Hinc merito & aliarum ſcientiarum, divinioris quippe doctrinæ, juriſprudentiæ, atque artis medicæ ejuſmodi lexica ſunt ſcribenda: horum enim ſubſidiis ſermo eruditorum, ubi barbarus eſt, facilio-

ri negotio emendari, ac barbaries in loquendo ſenſim, ac ſenſim proſcribi poteſt. Equidem ita ſentiendo, omnia artis cujuſlibet propria vocabula non penitus abrogata volumus, rite intelligentes, quod hoc minus fieri poſſit; ſed loquimur de abuſione horum vocabulorum, quæ partim ſine neceſſitate augentur, quum rebus, ac notionibus noſtris optima vocabula imponendi eſt facultas, partim in ejuſmodi argumentis, ac dicendi generibus, quæ ornatum eloquentiæ poſtulant, adhibentur: ſic ubi docemus, atque aliis præcepta tradimus, uſus harum vocum ſine vitio eſt liberior; qui autem coerceri debet, quando oratoris munere fungimur, licet orationi argumentum, quod ad ſacram doctrinam, aut ad juriſconſultorum, & medicorum ſcholas pertinet, ſit propoſitum. Celeberrimi auctores *actor. eruditorum* MDCCXVI. p.460. quum ſummam *lexici philoſophici* FLEXIACI tradunt, ita de iſto judicant: *eſt igitur hic liber antibarbarus quidam, & hoc nomine eo magis dignus, quod non ſolum barbaras voces, quæ in ſcholas philoſophicas irrepſerunt, ſed etiam quæ in theologorum, & juriſconſultorum libris reperiuntur, melioribus ac vere latinis permutat.* Huc & quodammodo referre poſſumus præſtantiſſimum opus *Barnabæ Briſſonii* de *populi Romani ſolemnibus formulis*: locum enim habere poteſt inter lexica, quæ juriſprudentiam, atque antiquitates Romanas illuſtrant; ſimul autem multum facit ad proprietatem, ac philologiam latinæ linguæ: prodiit Pariſiis MDLXXXIII. Francof. ad Mœnam MDXCII. Mogunt. MDCXLIX. & Lipſiæ MDCCXXI.; le-

lege de iſto *Scaligerum epiſtol.* lib. I. epiſt. 8. & 9., *Tobiam Magirum in eponymologio-critico* p. 148., *Thomam Pope-Blount* in *cenſura celebriorum auctor.* p. 791., *Dan. Georgium Morhofium* in *polyhiſtore litterario* lib. IV. cap. 9. §. 20., *Martinum Hanckium* de *rerum romanarum ſcriptoribus* lib. II. par. I. cap. 37., & *Richardum Simonium* in *bibliotheq; choiſie* to. I. p. 353.: opus ejuſmodi, quod edidit *Briſſonius*, molitus quoque eſt *Clauderus*, ut videmus ex *epiſtolis Chr. Weiſii* p. 334.

§. XII.

Sequitur id lexicorum genus, quod de latinæ linguæ caſtitate, ejus barbariſmis, ſolœciſmis, idiotiſmis, & aliis formulis, earumque ſignificationibus ordine plerumque litterarum exponit. Horum ſcriptores dividimus in *generales*, & *ſpeciales*: *generales* occupati ſunt in variis latinæ linguæ generibus auctoribuſque, & modo *caſtitatem*, atque *auctoritatem*; modo *copiam* linguæ hujus ſibi curæ habent: caſtigatores barbariſmorum merito lexicorum auctoribus adnumeramus, inter quos ſunt principes.

Jo. Vorſtius de *latinitate falſo ſuſpecta* Berol. MDCLXV. MDCLXXVIII. & de *latinitate merito ſuſpecta*, Berol. MDCLXIX. MDCLXXIV. & aliis annis, quod opus utiliſſimum eſt, & conferri poteſt cum *Voſſio* de *vitiis ſermonis*. Idem auctor reliquit librum de *latinitate ſelecta*, *& vulgo fere neglecta*, qui primum editus eſt cum *Andr. Jul. Dornmejeri* diſſertat. de *vitioſo Ciceronis imitatore*, ac *dialogo de Cicerone relegato & re-*

& revocato, ac præfatione *Chr. Friderici Bodenburgii*, Berolin. MDCCXIX.: inter monimẽta affecta, atque inedita, quæ reliquit *Vincentius Placcius*, fuerunt *additiones ad Vorſtium de latinitate merito, ac falſo ſuſpecta*, ut patet ex vita illius, quam ipſius *theatro anonymorum ac pſeudonymorum* præmiſit *Jo. Albertus Fabricius*. Argentorati MDCCXV. edidit *Kuhnius ſpecimen animadverſionum* ad Vorſtii librum de *latinitate merito ſuſpecta*, quo nonnullis vocabulis; ac phraſibus, quibus deeſſe auctoritatem Vorſtius pronuntiaverat, dignitatem reſtituere adnititur, e. g. *puritas*, *profunditas*, aliiſque:

Chriſtophorus Cellarius in *antibarbaro latino*, Cizæ MDCLXXVII., Jen. MDCLXXXII. MDCXCV. MDCCIII.: *curis poſterioribus de barbariſmis*, & *idiotiſmis ſermonis latini* Cizæ MDCLXXX. Jen. MDCLXXXVI. MDCC.: *diſcuſſione appendicis Danicæ ad curas iſtas poſteriores*, Jen. MDCXCV. MDCC.: *judicio de vindiciis latinæ linguæ Borrichianis nuperrime Hafniæ Danorum in lucem editis*, Jen. MDCCVII.

Olaus Borrichius in *cogitationibus de variis latinæ linguę ætatibus*, Hafn. MDCLXXV. 4.: *analectis ad cogitationes de lingua Latina*, acceſſit *appendix de lexicis Latinis*, & *Græcis*, cum indice addendo ad fori Romani litteram C. Hafn. MDCLXXXII.

Andreas Borrichius in *appendice ad Cellarii curas poſteriores* Hafn. MDCLXXXVII. & *vindiciis purioris latinitatis*, quibus acceſſit commentatio de variis latinæ linguæ, præſtantiorumque ſcriptorum ætatibus, & fatis, Hafn. MDCCVI. Heic memoranda eſt controver-

ſia

ſia Cellarii cum Borrichiis, quam ex vita Cellarii a nobis *diſſertationibus academicis* ejus præmiſſa repetamus. Anno MDCLXXVII. Cellarius *antibarbarum*, libellum ex *Voſſii* potiſſimum libro de *vitiis ſermonis latini*, & clariſſimorum virorum *Scioppii*, & *Jo. Vorſtii*, etiam domeſticis obſervationibus compoſitum, in lucem emiſit; qui liber vix editus erat, quum *Olai Borrichii*, ſummi viri, *cogitationes*, quas in trium clarorum virorum *Voſſii*, *Scioppii*, *Vorſtii* labores contulerat, in Dania prodirent: quibus perlectis non modo cognovit, quod etiam *Voſſius* in rebus latinitatis aliquid humani paſſus ſit; ſed excitatus quoque fuit ad accuratiorem laborem, & de barbariſmis libri emendationem. Hinc inſtructus multis obſervationibus *curas poſteriores de barbariſmis, & idiotiſmis ſermonis latini* conſignavit, eaſque poſt triennium anno MDCLXXX. publici uſus editione fecit; erant autem nonnulla, in quibus ab *Olao Borrichio*, ut cultores litterarum, & artium ingenuarum decet, diſſentiebat: qui liber quum in Daniam perlatus fuit, *Borrichius* cum non tantum anno MDCLXXXI. publicis lectionibus examinavit; ſed altero etiam anno iſta, quæ prælegerat, edidit, iiſque nomen *analectorum ad cogitationes de lingua latina* præſcripſit. In hiſce analectis Borrichianis varia quidem contra Cellarium diſputata erant; ſed minime iſta animum ejus graviter concutere, multo minus ad rixas, & contentiones permovere potuerunt: quare quum anno MDCLXXXVI. *curæ poſteriores* iterum prodirent, modeſtiſſime, & ſine omni animi acerbitate de iis

etiam

etiam diſſeruit, quæ Borrichius contra eum propoſuerat, et ubi neceſſe erat, ſententiam firmioribus argumentis corroboravit. Ad has curas junior aliquis *Andreas Borrichius*, Romsdalienſis Norwegus, qui Hafniæ diu cum *Olao Borrichio* vixit, ejus quoque nomen, abdicato gentili, quod in patria Norvvegia *Ivari* erat, adſumſit, ſequ. anno MDCLXXXVII. edidit *appendicem ad curas poſteriores*, quæ cum anno MDCXCIV. iterum novo tantum laudata titulo prodiret, oppoſuit ei Cellarius *diſcuſſionem appendicis Danicæ* MDCXCV. Hic Andreas Cellarium *vindiciis purioris latinitatis* iterum impugnavit; quo nomine Cellarius emiſit *judicium de his vindiciis*. Hi libri, & Borrichiorum, & Cellarii candidatis veræ, & purioris latinitatis maxime utiles ſunt; quare bene conſuleretur rebus ſcholarum, ſi Cellarii in primis ſcripta latinitatis traderentur in manus diſcentium: attamen probe obſervandum eſt, quod illorum judiciis non abſolvatur latinitas, quibus ipſa diligens auctorum lectio debet adjungi.

Cyriacus Guntherus de *latinitate reſtituta*, ſive de *vitiis latini ſermonis*, part. I. Jen. MDCCI. cui acceſſit præfationis loco de recta & antiqua eloquentiæ, maxime latinæ ratione, corruptelis præcipuis & harum remediis diſſertatio auctore *Gothofredo Vocherodt*, & part. II. Jen. MDCCVIII. cum præfatione, qua hujus libelli inſtit. tum. & uſus oſtenditur, & diarii Pariſienſis auctori, prioris partis prolegomena impugnanti, reſpondetur cura ejusdem *Vocherodt*.

Jo. Ludovicus Praſchius de *Latiniſmis & bar-*

barbariſmis Jen. MDCCIV. cura clariſſimi *Georg. Nicol. Kriegk*.

§. XIII.

Ad illorum claſſem, qui ad Romanæ linguæ copiam faciunt, pertinent, qui phraſes ex variis auctoribus & alias obſervationes collegerunt, quibus vocum partim uſus, partim ſignificatio ſimul illuſtratur. Operam hanc in gratiam latinæ linguæ ſtudioſorum ſuſceperunt

Hermannus Ulnerus in *copioſa ſupellectile elegantiſſimarum phraſium*, aucta a *Wolffgango Gruningio*, Francofurt. MDCXI. MDCXV. & aliis annis, quam etiam edidit *Mich. Ridderbach* MDCL.

Aldus Manutius in *puris*, *elegantibus & copioſis latinæ linguæ phraſibus*, Francof. MDCX. quarum plures aliæ ſunt editiones, quæ diverſis annis & locis in lucem prodierunt, etiam cum præfatione *Jo. Caſelii*, cura ac ſtudio *Jo. Buchleri* aliorumque.

Jo. Benzius in *theſauri puræ latinitatis compendio*, Argentorat. MDXCVI.

Nicolaus Buſius in *ſelectioribus latini ſermonis phraſibus* cum ſcholiis *Simon. Verrepæi*, Antwerp. MDLXXVII.

Henricus Decimator in *ſilva vocabulorum & phraſium*, Lipſiæ MDCXXVII.

Stephanus Doletus in *formulis latinarum locutionum*, Lugdun. MDXXXIX.

Adrianus cardinalis in libello de *ſermone latino & modis latine loquendi*: acceſſerunt *Scioppii obſervationes linguæ latinæ*, Norimb.

rimb. MDCLXXXI. & ante Baſil. MDXVIII. Colon. MDXXII. MDXXVIII. MDXLIII. MDLXXVIII. atque aliis annis ac locis: extat quoque inter *ſcriptores ſelectos de latinitate elegantiori comparanda*, qui collecti prodierunt cura *Ketelii*, de quibus paullo poſt dicemus, ubi ſcriptores de particulis latinæ linguæ ſunt recenſendi:

Jo. Godeſcalcus in *formulis latinæ linguæ*, Antwerp. MDXXXVI. Colon. MDXL. MDLXXXI.

Michaël Neander in *ſylloge locutionum ac formularum latino-germanicarum*, quam maxime commendat *Georgius Nicol. Kriegh* in *conſtitutione rei ſcholaſticæ Jlefeldenſis* p. 38. hiſce verbis: *ad latinitatem excolendam adferet adoleſcentibus mirificam commoditatem Neandri ſylloge locutionum ac formularum latino-germanicarum, in tria cauſſarum genera diſtributarum, & fere contextarum ad epiſtolarum exempla & formulas: ita temperata ubique collectione & collocatione ſingulorum, ut quæ figurata, proverbialiter & tandem quomodocumque eleganter & erudite dicta ſunt, & apud veteres græcos & latinos claſſicos auctores recepta & ſpectata ſingula, neque obſoleta & reprobata eruditis ſunt, unumquodque ſuo loco & contextu, ſed ſparſim tamen & ſobrie ſit poſitũ. His paucis capitibus comprehẽduntur fere omnes loquendi formulæ eruditæ & univerſæ materiæ, quæ in communi hominum vita plerumque tractari ſolent, adeo, ut qui eas mediocri ſtudio & uſu dicendi ac ſcribendi non prorſus remiſſa mente complexus fuerit, & memoria; luculenter ſe dicendo & ſcribendo probe, ela-*

eloquenter & docte probare haud difficulter poſſit; quod levi periculo planum fit adoleſcentibus: his formulis non utiliter modo uſa hæc ſchola noſtra tempore Neandri; ſed expetitæ ac direptæ ab aliis ludis litterariis, ut juvenes præformarentur ad inſignem dicendi habitum.

Sethus Calviſius in *theſauro latini ſermonis*; ac *Marc. Frider. Wendelinus* in *medulla latinitatis*.

Obertus Giſanius in *obſervationibus ſingularibus in linguam latinam, in quibus ex abditiſſimo uſu politioris latinitatis, dictionum, verborum, particularum ſignificatus plane reconditi eruuntur*, Francofurt. MDCXXIV.

Jo. Philippus Pareus, cujus extat *calliographia romana, in qua velut theſauro linguæ latinæ omnes phraſes & formulæ elegantiores, quotquot extant in optimis linguæ romanæ claſſicis auctoribus; in gratiam & uſum philologiæ ſtudioſorum per certos titulos locorum communium colliguntur ac diſponuntur*, cujus editio ſecunda auctior prodiit Francof. MDCXX.

Wolfgangus Schoensleder, qui edidit *apparatum eloquentiæ, in quo latinæ linguæ opes ex antiquis probiſque ſcriptoribus depromptæ, & in locos communes digeſtæ, ad orationem ornandam, variandam, amplificandam repræſentantur*: liber hic ſæpe recuſus prodiit, cujus duæ poſtremæ editiones lucem viderunt MDCXCVIII. & MDCCX. cum præfatione *Chr. Cellarii*, in qua ad colendam latinitatem adparatum hunc commendat, ac dicit: *quem numerum quum merito ſuo etiam vir clariſſimus Wolfgang. Schænſlederus auxerit, eo*

 ad-

adparatu eloquentiæ adornato, qui & antiquitatis puræ elegantiam, & non unius ſeculi facundam uberemque copiam alumnis hujus diſciplinæ adminiſtret: omnino e re litteraria eſſe judicamus, ut nunquam exempla hujus adparatus deſiderentur; ſed cura & ſtudio procurari, quo paſſim ea proſtent, & utilitati juventutis ſtudioſæ deſerviant: quæ unica cauſſa fuit hujus novæ iteratæque editionis. Hunc autem librum vel ideo commendandum præ aliis exiſtimamus, quod bona fide allegat, quo quovis auctore acceperit: nec anguſtiis unius ſeculi contentus eſt; ſed per omnem ætatem decurrit, qua non extinctum in Latio lumen latinitatis fuit:

Joannes Ker, cujus opera prodierunt *ſelectarum de lingua latina obſervationum libri duo*; prior inſcribitur: *latinæ loquendi norma, hoc eſt aurei latinitatis ſeculi locutio*: poſterior *barbare vitioſeve loquendi conſuetudinem inveſtigat, patefacit, emendat: uterque in uſum juventutis incorruptæ latini ſermonis integritatis ſtudioſæ confectus*, Londin. MDCCIX.

Jo. Albertus Gebhardi, qui edidit *ſyllogen phraſeologicam; ſeu copiam locutionum & vocum e bonis latinæ linguæ auctoribus ſelectarum*, Brunſuigæ MDCCXI.; ſed propter immatura fata ſupremam manum non potuit imponere. Laudandum quoque eſt *Julii Andreæ Dornmejeri lexicon*, quod in ſe continet optimas ac ſelectas phraſes ex Nepote, Cæſare, Cicerone, Curtio. Addimus quoque *ſcholam latinitatis*, quæ juſſu ſereniſſimi ac beatiſſimi Erneſti pii, Ducis Saxoniæ adornata fuit a duo-

duobus conſiliariis *Vito Ludovico a Seckendorf* & *Jobo Ludolfo*, ita labore hoc inter ſe diſtributo, ut Seckendorfius claſſem theologicam & duo ultima capita claſſis ethicæ de *actionibus humanis*, ut & de *virtutibus & vitiis*; reliqua vero Ludolfus confecerit, quamvis & cum aliis conſiliariis de hac re communicaverint, ex quorum ſententiis interdum quædam addita, quædam mutata fuerunt: vide qui hæc ex ipſo Ludolfi exemplo obſervavit, *Vincentium Placcium* in *theatro anonymorum* p. 373. Inſtitutum ſane utiliſſimum eſt & maxime laudabile; continet vocabula ſcientiarum, artium atque aliarum rerum, quæ vel vetuſtis latinæ linguæ auctoribus fuerunt ignoratæ, vel recens inventæ: recte enim monet *Jo. Franciſcus Buddeus* in *iſagoge in univerſam theologiam* p. 116. *ego hoc tantum addo, quum auctores veteres, qui ab adoleſcentibus, ad ſermonis latini nitorem inde hauriendum, leguntur, de rebus bellicis, civilibus, ſimilibuſque, adeoque longe aliis loquantur, quam de quibus deinceps, quum ad theologiam accedunt, iis loquendum eſt; fieri aliter nequit, quam ut exiguum ex omni labore ſuo capiant fructum & in alium velut orbem tranſlati, quum neſciant, quo pacto, quæ ſe iis offerunt, pura emendataque dictione exprimere debeant; aliam iterum, eumque inquinatum ſermonem vel inviti adſciſcere cogantur. Statim itaque ab initio opera danda erat, ut qui latini ſermonis notitia imbuuntur, etiam ea, quæ in theologia, aliiſque artibus ac ſcientiis, occurrunt, recte & ſecundum linguæ iſtius indolem geniumque eloqui adſueſierent.* Nec tamen negli-

gendum eſt judicium viri hiſce litteris doctiſſimi *Gothofredi Vockerodt*, quòd hiſce verbis de hoc libro tulit: *qui libellus ſi limaretur diligentius, & eruditi cujuſdam viri curis poſterioribus perpoliretur, non perfectior deſideraretur apparatus vocabulorum, rebus vel vetuſtis linguæ latinæ auctoribus ignoratis, vel recens inventis aptorum; nec deſperarent, quibus in artium vulgarium uſu poſita ſermone complectenda ſunt, hæc latine exprimi, & dicendo poſſe miteſcere*, in *conſultationibus de litterarum ſtudiis recte & religioſe inſtituendis* cap. IX. §. 2. p. 107. Plures ſunt alii auctores, qui phraſes latinæ linguæ collegerunt, quos omnes recenſere & ſupervacaneum & nimis longum eſſe exiſtimamus: legendi ſunt de illis *Georgius Draudius* in *bibliotheca claſſica* vol. 1. p. 1459., *Martinus Lipenius* in *bibliotheca philoſophica* p. 1147., *D. G. Morhoſius* in *polyhiſtore litterario* lib. III. cap. 2. & 3., *G. N. Kriegk* in *conſtitutione rei ſcholaſticæ Ileſeldenſis* p. 136. Sed quo major eſt copia horum librorum, eo major eſt in uſu illorum adhibenda cautio; plures enim in illis ſunt, qui haud præſtant, quod promittunt, faciliorem quippe rationem, copiam puri atque elegantis ſermonis ſibi comparandi, atque ad probatæ elocutionis habitum perveniendi. Varia ſunt vitia, quibus libelli hujus generis ſæpe laborant, ac per iſta utilitatem, quam adferre debent, minus exhibent. Alii nulla ratione latinitatis habita, quasvis phraſes ſive ſint latinæ ac præ ſe habeant auctoritatem, ſive barbaræ, collegerunt, quod ingenia juvenum non ſatis ad dijudicandam latinitatis diverſæ di-

dignitatem ſubacta perturbat: diligenter monendi ſunt hi juvenes, terſioris latinitatis alumni, ut videant, quid ſit probum atque imitandum, quid ſit vitioſum ac fugiendum: quamvis enim candor ac caſtitas latinæ linguæ haud unius ſeculi anguſtiis contineatur; minime tamen ad omnem, ſed ad eam tantum ætatem decurrit, in qua lumen latinitatis non fuit exſtinctum. Alii mirificæ elegantiæ perſona fallunt, ac neſcio quam elegantiam ſtudioſiſſime commendant; quæ tamen nihil aliud eſt, quam romani ſermonis proprietas ac nativa indoles. Extant quoque, in quibus ſunt phraſes acerbe truncatæ, aut inepte compoſitæ, alienis locis adhibitæ; ac quum maxime opus ſit auctoritate veterum ſcriptorum, iſta quoque a plurimis negligitur: plura horum vitiorum genera eſſent notanda, de quibus autem tacere conſultius eſſe putamus, quam de illis loqui. Unicam addimus præceptionem, in adhibendis phraſibus, ſedulo expendendum eſſe comitatum ac poſitum: alia enim illarum ratio interdum eſt ubi in ſe conſiderantur, uti iſtas in hiſce libellis invenimus; alia vero, quando referantur ad integrum ſermonem, ad periodorum juncturam, atque ad cauſſam, cui ſervire debent: nec minus heic opus eſt cautione ac diſcernendi facultate, ne juvenes putent, ſingulas phraſes, quas in claſse quadam, ſive ſit rei, ſive vocabuli, inveniunt, promiſcue poſse uſurpari.

§. XIV.

Lexici auctores, quos diximus ſpecia-

 les,

les, duplicis ſunt generis. Nonnulli ſpeciem quamdam vocum latinarum tantum explicarunt, quo ſpectant ſcriptores de particulis latinæ linguæ: ſedulus latinæ hujus cultor *particularum* præcipue rationem habere debet, quæ ſi rite adhibentur, ſermoni ſingularem elegantiam conciliant: quapropter laudanda eſt eruditorum virorum induſtria, quam in explicandis hiſce particulis collocarunt, quum & illarum ſignificationis & conſtructionis uſum monſtrarint. Merito hi libri ad claſsem lexicorum ſunt referendi; quocirca plenior hiſtoria lexicorum ratio poſtulat, ut & illorum indicem exhibeamus: laudandi ſunt

Philippus Pareus, qui edidit *comm. de particulis linguæ latinæ*, Francof. MDCXLVII. atque adjecit *Benedicti Floretti apologiam pro Plauto*, jam MDCXVIII. ab eo editam: ſcripſit quoque *lexicon criticum*, Norimb. MDCXLV. quod eſt theſaurus latinæ linguæ ex omnibus illius claſſicis auctoribus, jureconſultis, hiſtoricis, antiquariis, criticis, oratoribus, ac poëtis congeſtus:

Godeſcalcus Stevvechius, cujus liber de *particulis linguæ latinæ, in quo de iis, quibus tanquam nervis nodiſque orationis membra vinciuntur, & conſtringuntur*, prodiit Coloniæ Agrippinæ MDLXXX. & recuſus eſt MDCXXVII.; extat quoque inter *ſcriptores ſelectos de elegantiori latinitate comparanda*, qui prodierunt opera, & ſtudio *Richardi Ketelii* cum præfatione de ratione imitandi optimos linguæ latinæ ſcriptores, Amſtel. MDCCXIII. cujus libri quum mentionem facimus, non poſſumus, quin rationem illius breviter heic decla-

cla-

claremus. Anno MDCCI. edidit *Jo. Vervvey theſaurum cultæ latinitatis adornatum, per clariſſimos latinæ linguæ obſervatores*, in quo auctor ſex ſcripta, quæ ſtudiis caſtæ latinitatis inſerviunt, collegit: ſunt vero illa; *Antonii Schori phraſes latinæ linguæ, ratioque obſervandorum eorum in auctoribus legendis, quæ præcipuam aut ſingularem vim, aut uſum habent: Adriani Cardinalis libellus* de *elegantia latini ſermonis*, *cui adjunctæ Caſparis Scioppii obſervationes linguæ latinæ: Oberti Giſanii obſervationes ſingulares in latinam linguam: Fr. Vavaſſor* de *vi ac uſu quorundam verborum tum ſimplicium, tum compoſitorum; Godeſcalci Stevvechii liber de particulis linguæ latinæ; Hor. Turſellinus* de *particulis latinæ orationis*. In uſum ſtudioſæ juventutis addita eſt in Schori phraſibus latinis interpretatio Belgica, Gallica, & Anglica; Belgica quoq; in Adriani Cardinalis, Caſparis Scioppii, & Horatii Turſellini opuſculis. Hæc collectio iterum prodiit MDCCXIII. ſive ſit integra recuſa, ſive novo tantum titulo, quem ſupra memoravimus, ut videtur, ornata:

Adamus Durrerus, cujus *liber de particulis latinæ linguæ* prodiit Lipſiæ MDCXXIV.

Horatius Turſellinus, cujus opuſculum de *particulis latinæ orationis* notiſſimum eſt, quod & propter dignitatem, ac utilitatem ſuam a doctiſſimis viris obſervationibus auctum, illuſtratum, atque ad meliorem uſum fuit compoſitum. Primus ad hanc operam acceſſit ex Germanis celeberrimus *Jacobus Thomaſius*, cujus cura Turſellinus auctus ſæpe prodiit, Jenæ MDCLI. MDCLVII. Lipſ. MDCLXIII. MDCLXXXII.

MDCLXXXII. Hunc ſecutus eſt doctiſſimus, atque elegantioris doctrinæ meritis clariſſimus *Jo. Conrad. Schvvartzius*, qui librum hunc novis additamentis, atque emendationibus egregie ornavit, iſtumque prima cura perpolitum in lucem publicam protulit Lipſiæ MDCCIX. Poſt hunc doctiſſimum virum adgreſſus eſt ad hanc operam celeberrimus *Jacobus Facciolatus*, qui *particulas* haſce *Turſellini* ex aliis ſcriptoribus purgatas, auctas, & ad uſum Seminarii Patavini adcommodatas edidit Patav. MDCCXV. Operæ, quam heic *Facciolatus* adhibuit, capita hæc ſunt: primum Turſellini opus excuſſit, ut ſi quid humana infirmitate peccatum eſſet, abjiceret; deinde non pauca ab aliis deprompta, quæ Turſellini diligentiam effugerant, adjecit: tum quædam de ſuo addidit, atque ubique monuit adoleſcentes, quæ ad ſcientiam, quæque ad imitationem traderet, ut mature intelligerent, plurima dici poſſe, ſed pauca debere: quæ Germani in hunc librum contulerunt merita, laudat; non ubivis tamen uſui juventutis recte illos conſuluiſſe arbitratur. Quid igitur in illorum laboribus deſiderat, ex ipſius verbis cognoſcamus; in præfatione dicit: *quia porro in hac acie non tam glorioſum eſt, palmam ferre, quam eripere; rurſus litteratiſſimi Germaniæ viri Jacobus Thomaſius, & Conradus Schvvartzius tantam huc diligentiam induſtriamque contulerunt, ut nihil ſupra fieri poſſe videretur. Sed iſti quidem, niſi fallor, ſibi potius ſuique ſimilibus conſuluerunt, quam primæ illi ætati, cujus gratia ſcripſit Turſellinus: obliti enim epigraphen illam,* de vi, atque uſu ele-

eleganti,&c. *omnia promiſcue ex toto Latio collegerunt, magnumque volumen non ex Cicerone ſolum, & ejus æqualibus; ſed ex omni ſcriptorum turba veluti lexicon aliquod concinnarunt: ſi copiam quærimus, nihil eſt aptius; ſi delectum, vereor, ne non ſatis ad ſtilum formandum juventuti proviſum ſit; ſolet enim fere ætas illa pejora imitari: quod, opinor, Turſellinum movit, ut ex omni particularum copia optimas excerperet, pauciſque pagellis clauſas pueris ad diſcendum proponeret: itaque non tam multa Stevvechio addidit, quam detraxit; nec ſolum minus elegantia, ſed etiam vulgata rejecit, ne voluminis magnitudine puerorum memor iam ſine utilitate fatigaret. Quid quæris? alius alio ſpectavit: itaque donec ſe provinciæ ſuæ finibus Germanorum induſtria continuit, nihil ego laboravi; ut vero exiit,& in hanc urbem,atq;adeo in ſcholas noſtras penetravit, ſtatim curare cœpi, ne quid a nobis inſtituta latini ſermonis ratio detrimenti caperet.* Denique iterum ad Turſellinum ſe contulit laudatus *Schvvartzius*, ac quum novam editionem curare deberet, priores obſervationes ſuas auxit, quæ editio prodiit Lipſiæ MDCCXIX. ornata præfatione cum doctiſſimi Schvvartzii, qua etiam ad ea, quæ objecerat Facciolatus, reſpondet; tum ipſius Turſellini. De hoc id tantum addimus, quod *Th. Janſ. ab Alwelooveen* in *ſyllabo plagiariorum* p.41. Turſellinum librum ſuum de particulis latinæ linguæ ex *Godeſcalci Stevvechii* libro de *particulis linguæ latinæ* exhauſiſſe, referat.

Georgius Fridericus Bohmius in *commen-*

mentario de particulis linguæ germanicæ, & *latinæ linguæ*, qui cum præfatione *Chr. Auguſti Heumanni* prodiit MDCCXVIII. *Schori liber de particulis* non editus eſt in lucem: nec ille; quem promiſerat *D. G. Morhofius* de *particularum linguæ latinæ uſu, & ſenſu inveſtigando*: vide *polyhiſtoris prolegomena* p. 67. Hæc ſufficiant de particulis latinę linguæ earumque ſcriptoribus, quarum ſcientia cultoribus linguæ hujus neceſſaria eſt, partim propter intelligentiam veterum auctorum, partim propter imitationem, atque uſum; de quo juvenes diligenter ſunt monendi, ut tempeſtive diſcant, quomodo in hac parte orationis latinæ, quæ non, ut multi faciunt, aut ſibi perſuadent, veluti res minuta, ac levis tractanda eſt, rite verſari debeant. Solo tamen libri, qui agit de hiſce particulis, uſu res non conficitur: accedere debeat ſtudioſa lectio veterum auctorum cum obſervatione conjuncta, ac diligens variaque exercitatio: in his adminiculis tota fere vis linguam accurate, atque eleganter diſcendi, poſita eſt.

§. XV.

Alii lexicorum auctores, qui ad hanc claſſem pertinent, ex quodam ſcriptore ſpeciatim phraſes, ac formulas dicendi collegerunt; hacque ſua diligentia, & intelligentiæ, & imitationi illius conſulere voluerunt. Varii ſunt, qui ejuſmodi ſtudia conſecrarunt *Plauto*, ac *Terentio*: edidit quippe *Philipp. Pareus lexic. Plautinum* Hanov. MDCXXXIV. 8.; *Georg. Caſſander ſententias ſelectiores ex Plautinis co-*

mœ-

mediis, una cum ſcholiis in loca obſcuriora, Gandavi MDXXXVI. 8.; *Georgius Fabricius ſententias ex Plauto, & Terentio*, Lipſ. MDLVIII. 8.; *Chriſtophorus Uladeraccus flores Plauti*: *Bartholdus Feind phraſeologiam Plautino-Terentianam*, Hamb. MDLXCVIII. 8.; *Fridericus Haberſack nucleum Terentianum, hoc eſt gnomologiam, & phraſeologiam latino-germanicam*, Roſt. MDCXXIV.; *Paull. Toſſanus phraſeologiam Terentianam*, MDXLI.; habemus etiam *Paulli Perdicis latine dicendi formulas e Terent. collectas*, Budiſſæ MDXLV. 8. *Daniel Pareus* autem edidit *lexicon Lucretianum* e Giſanianis fere collectaneis repetitum MDCXXXI.

§. XVI.

Alii iique plures operas ſuas contulerunt ad *Ciceronem*, atque ex ſcriptis illius phraſes, formulas dicendi, vocabula, epitheta collegerunt, hacque ratione lexica Tulliana confecerunt, laudabili ſane inſtituto, quo egregia adminicula ad Ciceronis imitationem ſunt parata. Princeps illorum, qui ejuſmodi opera ſunt perfuncti, merito eſt

Marius Nizolius, cujus *theſaurus Ciceronianus* ſatis eſt notus: primum ille prodiit ſub titulo *obſervationum in Ciceronem*, Baſ. MDXX. quem deinde eloquentiſſimi, ac litteratiſſimi viri auxerunt: ipſe Nizolius has obſervationes dedicaverat Jo. Franciſco Ganibaræ, quo auctore, atque adjutore opus hoc natum eſſe dicit; præter *Baſilium Zanchium* ad locupletandum illud acceſſerunt viri eloquentiæ romanæ peritiſſimi *Cœlius Secundus Curio, Mar-*

cel-

ſellus Squarcialupus, & *Jacobus Cellarius*. Diverſis igitur annis exiit MDXLVIII. MDLXXIII. MDLXXVI. Venet. MDLXXXIII. Baſil. MDCXIII. Francofurti, quæ poſtrema editio prioribus præfertur, quippe in qua ſint notata, ſi quæ haud accurata, atque emendata lectione deceptus Nizolius Cicerone indigna receperat: acceſſit quoque ad hunc theſaurum *index Ciceronianarum vocum barbaris ſubſtitutarum*, qui utiliſſimus eſt, ubi eſſet plenior. Nizolius nactus eſt adverſarios *Henr. Stephan.* & *Jo. Verneretum*, quorum hic adverſus eum ſcripſit diſputationem; ille vero dialogū ſub titulo *Nizolio didaſcali*; ſeu *monitoris Ciceronianorum Nizolianorum* MDLXXVIII. Sed *God. Guil. Leibnitzius* in præfat., quam præmiſit Nizolii libris de *veris principiis*, & *vera ratione philoſophandi*, obſervat, Stephanum ideo contra Nizolium ſcripſiſſe, *quod parentis ſui Roberti Stephani theſauro latinæ linguæ multum Nizoliano opere derogari cerneret*; & addit: *ceteri viri licet doctiſſimi, qui Nizolium faſtidiunt, ſi in Nizoliana tempora incidiſſent, credo aliter ſentirent: aliud profecto judicavit Cælius Secundus Curio, vir longe præſtantiſſimus, qui conſcio, ac conſentiente ipſo Nizolio indicis Ciceroniani locupletationem, ac recenſionem in ſe ſuſcepit*. Nec aliorum eruditorum virorum egregia judicia operi huic defuerunt. *Chr. Cellarius prolegom. curar. poſterior.* p. 2. adpellat hunc theſaurum *vere aureum*. *D. G. Morhofius* in *polyhiſtore litterar.* lib. IV. cap. 9. §. 12. de eo ita judicat: *eſt utique præclarus liber ad latinitatem Ciceronis utiliſſimus*. *Jo. Albert. Fabricius* in *bibliotheca latina*

na p. 145. dicit, quod Nizolius lexicon hoc magno ſtudio elaboraverit. *Georg. Nicol. Kriegk* in *conſtit. rei ſcholaſticæ Ileſeldenſis* p. 128. laudat quidem hocce opus ac fatetur, quod multam præſtiterit diligentiam Nizolius, dum Ciceronis latinitatem congeſſit & ordinavit ſecundum litterarum ſeriem; addit tamen ei non pauca deeſſe, ac ſequentia notat vitia: *quare*, inquit, *adhuc expurgandum, refingendumque, poſt impenſos labores Antonii Schori, Carolique Stephani; mutandi ſenſus, ubi alieni adfinguntur Ciceroni: proprietates verborum clarius declarandæ, & inveſtigandæ veræ germanæque ſignificationes, quæ omiſſæ: referret maximopere, delectum habere vocabulorum, & diſcernere caracterem, quo ſcripſit; multa enim uſurpavit in libris philoſophicis, quæ quidem pura & romana ſunt, quæ in epiſtolas & orationes, dum ſuppetit aliarum copia dictionum, non licet referre: tum quæ ex poëtis adducit, probe diſtinguenda illiſque relinquenda*. Vere hic doctiſſimus vir judicat, quod operi huic non pauca deſint, quod & alii jam obſervarunt, atque utilia monet, quæ in lexico Ciceroniano accurate atque rite conficiendo ſint adhibenda: fas eſt, ut hæc diſtincte ac breviter ediſſeramus ac monſtremus, qua ratione quis in lexico Ciceroniano conſcribendo verſari debeat; aut quid in Nizoliano opere ſit emendandum. Quod ſi quis ad ejuſmodi librum ſe vellet conferre, ille ante omnia rationem, propter quam hunc laborem ſuſciperet, deberet conſiderare: duplex enim meta poteſt eſſe propoſita; altera pertinet ad in-

intelligentiam Ciceronis, ubi inprimis proprietates verborum ſunt declarandæ; veræ ac germanæ ſignificationes inveſtigandæ, ad quem laborem feliciter expediēdum neceſſariæ ſunt obſervationes philologicæ, criticæ, antiquitatum, ex quibus multæ loquendi formulæ lucem ſuam habent, item hiſtoriæ litterariæ, præſertim philoſophicæ, quæ nos in adſequendo Ciceronis de rebus ſapientiæ humanæ diſſerentis, ſive ſuam, ſive aliorum ſapientum ſententias tradat, ſenſu egregie adjuvat. Alter ſcopus hujus lexici tantum ſpectare poteſt ad latinitatem Ciceronis ejuſque imitationem, id quod etiam propoſitum fuit Nizolio, quum animum ad theſaurum Ciceronianum adiiceret: ut tale opus pulcrum atque elegans prodiret, referret maximopere (I) *diſtinctiones librorum, capitum aliſque minores ita proponere, ut ſine difficili negotio ipſa Ciceronis loca poſſint evolvi*: inſpicientes Nizolium numerus turbat, qui ſpectat ad editionem Argentorati MDXLIV. in octava forma exſcriptam: adhibendæ igitur eſſent diſtinctiones editionum, quæ in plurium manibus verſantur, vulgares: (II) *ſequi editiones emendatas, quæ germanas Ciceronis ſcripturas exhibent*, id quod præceptum maxime eſt neceſſarium; ubi enim negligitur, facile fieri poteſt, ut Ciceroni vocabula ac conſtructiones adfingantur: documento ſit ipſe Nizolii theſaurus; hocque eſt, quod inprimis Stephanus ei objecit, qui & ſcripſit dialogum hoc titulo: *pſeudo-Cicero, in quo non ſolum de multis ad Ciceronis ſermonem pertinentibus, ſed etiam quem delectum editionum ejus habere & quam*

cau-

cautionem in eolegendo debeat adhibere, *lector monebitur*, ex officina ejus MDLXXVII. ad hanc regulam obſervandam artis criticæ ſcientia requiritur, ut ex diſcrepantibus ſcripturis optima, quæ per codicum manu exaratorum auctoritatem, per ipſius orationis ac ſtili vim præ ſe habet fidem ac probabilitatem, eligatur: (III) *probe diſcernere, quæ ipſius ſunt Ciceronis, ab illis, quæ ex poëtis atque aliis adducit*; in quo iterum Nizolius interdum peccavit: inveniuntur in theſauro ejus vocabula *altitonans*, *altivolans*, quæ ſi quis in hoc theſauro videt, facile ſibi poteſt perſuadere, eſſe Tulliana eoq; nomine in omni orationis genere elegantes voces, quæ tamen ſunt poëticæ, quas ſi quis proſæ vellet immiſcere, erraret valde: eadem ratione Catoniana ſeparanda ſunt a Ciceronianis, quum multa adfert ex perſona Catonis e. g. *diſſuere*, *diſcindere amicitiam*, de *amicitia* cap. XXI. (IV) *diſcernere caracterem*, *quo ſcripſit Cicero*; multa enim uſurpavit in libris philoſophicis, quæ licet ſint romana ac latina, minus tamen in epiſtolis, aut orationibus ſuam habent elegantiam: de hoc diſcrimine lector facile poteſt moneri, ſi, ubi philoſophicæ voces ac formulæ occurrant, brevis obſervatio ſubiiciatur, quod iſtæ in caractere philoſophico, minus vero in oratorio ſint imitandæ: (V) *vocum ſignificationes indicare*, atque diſcrimen obſervare inter naturalem ac translatam ſignificandi vim, quod multum facit ad ſermonis nitorem; metaphoræ enim atque allegoriæ, quas uſurpavit Cicero, non duriores ſunt, ſed plerumque molles, ſuaves atque elegan-

 tes;

tes. (VI) *omnia vocum genera obſervare*, particulas, epitheta, phraſes; ſed tamen quæ ſunt vulgaria ac ſæpiſſime in Cicerone occurrunt, non eſt, quod adducantur: omnia capita diſtincte ſunt proponenda: quocirca quando princeps quoddam vocabulum eſt referendum, obſervari debent primum illius ſignificationes, ſi de illis ſingulare quid obſervandum; deinde conſtructiones; tum phraſes, quæ ad vocabulum illud ſpectant; denique epith eta, quorum Cicero maximus fuit artifex: (VII) *delectum habere teſtimoniorum ex Cicerone*: non neceſſe eſt, uti fecit Nizolius, unius vocis, aut phraſeos omnia loca, in quibus extant, adducere atque ipſa Ciceronis verba referre, id quod plane ſupervacaneum eſſe exiſtimamus; ſed quædam tantum teſtimonia ſufficiunt ac ſi quid amplius facere velimus, reliquorum loca tantum indicari poſſunt; ſcopus enim eſt, non indicem omnium Ciceronis vocabulorum, ſed tantum lexicon Ciceronianum conſcribere: (VIII) *duplicem indicem ſubjicere*; alterum germanicum, in quo voces ac phraſes teutonicæ ex Cicerone reddendæ ſunt latine; alterum vocabulorum barbarorum ſubſtitutis Tullianis, cujusmodi jam quibuſdam theſauri Nizoliani editionibus additus eſt; qui autem uti jam monuimus, augendus atque emendandus. Quod ab hoc lexico egregium adminiculum ad promovenda puræ atque elegantis latinitatis ſtudia ſit exſpectandum, de eo nemo dubitabit: ſed cavendum eſt, ne quis latinitatis terminos ex hoc indice metiatur ſibique perſuadeat, quæ in iſto haud inveniantur, haud latina eſſe,

noſque

noſque eum ſolo Cicerone debere loqui: recte hæc obſervat vir harum litterarum ſcientiſſimus *Chr.Cell.* in *prolegom.curar.poſter.* p. 2. *injurii ſūt in bonas litteras, qui latinitatis terminos ex indice metiuntur, quē Marius Nizolius theſauro ſuo vere aureo ſubjecit, ut proſcribant & exterminent, quidquid ibi notatum caſtigatumque inveniunt: non illud propoſitum Nizolio fuit, nec, qui Nizolii operā ſupplevit ediditque, Jacobo Cellario, pro avo noſtro, ut ad barbaros deportanda cenſerent, quæ Ciceronis non eſſent; ſed curæ fuit meritiſſimis viris latini ſtili tum caſtitas, tum ſuavis & ſibi conſtans elegantia: utramque quidem licet etiam ex rivis haurire, qui ex aureo illo ſeculo in proximum tempus permanarunt; tamen, quod nemo negabit, & puriores ſunt Ciceronis fontes & multo jucundiores*. Plenius ac perfectius Nizoliano *lexicon Ciceronianum* adornandum ſuſcepit *Georgius Petrus Schulze*, profeſſor in academia Francofurtenſi Viadrina, quod obſervat *Jo. Albertus Fabricius* in *biblioth. latin.* volum. II. p. 161.; qui etiam ex ephemeridibus Pariſienſibus addit, quod *Dionyſius Gaultierius*, cujus *præcepta linguæ latinæ & gallicæ* lucem viderunt, ſpem fecerit evulgandarum a ſe *concordantiarum Ciceronianarum*, quæ, ut nos credimus, tantam utilitatem haud adferunt, quanta a lexico Ciceroniano rite conſcripto eſt exſpectanda: plura de Nizolio ſubjungere, fas non eſt; adde *And. Bailletum* in *jugem.* part. III. p. 51., & *Jo. Fabricium* in *hiſtoria biblioth.* par. III. p. 268. De *Ludovici Lucii theſauro latinæ linguæ* qui eſt pars poſterior; Nizolii autem theſaurus pars prior lexici Baſi-

ſeenſis, ſupra diſſeruimus. *Lexicon Ciceronianum*, quod edidit *Henricus Stephanus* MDLVII. huc non ſpectat: in iſto enim tantum inveniuntur varia veterum Græcorum loca a Cicerone latine expreſſa, ut ipſe titulus monſtrat:

Antonius Schorus, qui edidit *theſaurum Ciceronianum*, *ſeu phraſes latinæ linguæ*, utiliſſimum librum Colon. Agripp. MDLXXVIII. & Argentorat. MDLXXX. cum præfatione *Jo. Sturmii*; extat quoque in collectione *ſcriptorum ſelectorum de elegantiori latinitate comparanda Ketelii*, de qua ſupra diximus:

Stephanus Ubelius, & *Stephanus Fliſcus*, qui *ſynonyma Ciceroniana* collegerunt: extant quoque *ſynonyma* ſub *Ciceronis* nomine, qui liber diverſis annis recuſus eſt: nihil aliud continet, niſi collectionem vocum ex Ciceronis libris inſtitutam a quodam illius cultore:

Chriſtophorus Uladeraccus, qui edidit *polyonyma Ciceroniana* ſub gallicis vocabulis litterarum ordine poſitis digeſta, quæ prodierunt Antwerp. MDLXXXVIII. & Rothomag. MDCXX.

Auguſtinus Gambarella, qui edidit librum inſcriptum: *antithetorum amica ſimultas arbitris Plauto*, *Terentio*, *Cæſare*, *& Cicerone*, Mediolan. MDCLIX.

Petrus Joann. Nunneſius, quo auctore prodierunt in lucem *epitheta Ciceroniana*, MDLXXXVIII.: quo & pertinent *Jacobus Cellarius* in *adjunctis*, *ſive epithetis Ciceronianis*, Baſil. MDLXXXIX.; *Horatius Tuſcanella* in *epithetis*, *antithetis*, *& adjunctis*, *ſive adverbiis*

Ciceronianis, ut de *Antonio Jolio*, *Hermanno Figulo*, aliiſque, qui itidem ex Cicerone, aliisque epitheta collegerunt, taceamus.

Hubertus Suſannæus, qui edidit *connubium adverbiorum Ciceronianorum* MDXLV., & ad calcem phraſium Stephani Doleti cum præfatione *Jo. Sturmii*, MDLXXXV.

Georgius Crauſerus, qui edidit *ſcintillas Tullianas, hoc eſt elegantiarum latinarum promtuarium ex Cicerone, præcipuo dicendi magiſtro, præcipue collectum, & ſcholaſticæ juventutis bono editum*, Rudolſt. MDCLXIV.

Alexander Scotus, cujus ſtudio prodiit *apparatus latinæ locutionis poſt Nizolii principia ex Cicerone collectus*, Pariſiis MDCXXVII. Præter hoſce libros alii ſunt, quos lexicis Ciceronianis poſſumus adnumerare: *Nicaſius Baxius* collegit *oratorias formulas figuraſque rhetoricas*, quæ cura *D.G.Morhof.* recuſæ fuerunt Kilon. MDCLXXXV.: prodiit quoque *enchiridium Ciceronianum, continens elegantiarum latini ſermonis præceptiones aliquot M.Georg. Vogelmanni; Juſti Lipſii, & Jo. Voellii de conſcribendis epiſtolis præcepta utiliſſima; epitheta, antitheta, & adjuncta Ciceroniana; in gratiam ſtudioſæ juventutis collectum*, Magdeb. MDCIV.

§. XVII.

Neque non aliorum auctorum phraſes collectæ, atque explicatæ cura doctorum virorum prodierunt: edidit enim *C. Suevus elegantias latinitatis Cæſareanas*, Vit. MDLXVIII.; *Rothius phraſeologiam Cæſareanam*, Ulm. MDCCII. 8.; *Jo. Knollius lexicon Corn. Nepotia-*

tripartitum; *Rhenanus elocutiones linguæ latinæ ex Livio*, Baſil. MDXLII. 8.; *Joach. Langius latinitatis anthologiam ſive latinæ linguæ floſculos ex claſſicis auctoribus, & optimis phraſiographis collectos*, quorum editio quarta exiit Berol. MDCCXII.; *Bernardus Baldus* librum de *verborum Vitruvianorum ſignificatione*, una cum vita Vitruvii, & ſcamillis imparibus Vitruvianis nova ratione explicatis, Auguſt. Vindel. MDCXII. 4., quamvis non ſit latinitatis, ſed tantum artis, & uti vocant, terminorum technicorum: *Joann. Rhodius lexicon Scribonii Largi*, quem uberrimis, & doctis commentariis illuſtravit, Patavii MDCLV.; *Chriſtianus Falſterus vigiliam primam noctium Ripenſium, ſive ſpecimen adnotationum in A. Gellium*, ad calcem adjectum eſt *ſpecimen lexici Gelliani*, Hafniæ MDCCXXI. Plures alii ejuſmodi lexica ſunt moliti, *Samuel Pitiſcus* edendum propoſitum ſibi habuit *lexicon Catullo-Tibullo-Propertianum*, de quo in dedicatione Curtii editi MDCLXXXIV. ſcripſit, *ſe jamdudum prælo commiſſurum fuiſſe lexicon Catullo-Tibullo-Propertianum: ad quod concinnandum ultra trecentos*, ait, *auctores improbo labore excuſſeram, niſi Joannem Sommeren, bibliopolam Amſtelodamenſem, fatum præripuiſſet*. *Barthii gloſſarii in Valer. Maximum* meminit *Chr. Daumius præfatione ad Statium Barthii*, ſed haud vidit lucem. Idem *Barthius gloſſarium vocum haud vulgarium in Gellio* voluit edere, cujus ſpecimen dedit VIII. 16. *adverſ.*; lib. III. c. 10. *adv.* & alibi innuit quoque, ſe confeciſſe *indicem* locupletiſſimum *in Apulejum*, quamvis tom. I. p. 9. ad *Statium* conque-

quæritur, periiſſe incendio. *Henricus Schæviūs* perfecit *lexicon Statianum*, cujus meminit *D.G. Morhofius polyh. litter.* IV. 13.9., & *Filitzius ſpecimine analectorum ad Olaum Borrichium de poëtis* teſtatur, lexicon hoc integrum ab auctore abſolutum extare Stetini apud filios: *Georgius Petrus Schulze* adgreſſus quoque eſt lexicon Livianum, ſive indices dictionum, & phraſium Livii locupletiſſimos, quam operam optaverat celeb. *Jo. Albert. Fabricius biblioth. latin.* lib. I. cap. II. p. 196. Clariſſimus *M. Jo. Chriſtophorus Schleuſnerus Suſannæi* libellum de *connubiis adverbiorum* iterum edere, ac ſi ceteros auctores, qui epitheta, ſynonyma, antitheta ex Cicerone congeſſere, pari modo perrenſere licebit, uno omnes volumine complecti voluit: adde de hoc lexicorum genere doctiſſimam præfationem *Severini Lintrupii* ad *Falſteri ſupplementum latinæ linguæ* ſupra laudatum.

§. XVIII.

Non ab re erit, ſi ad hoc lexicorum genus etiam *indices latinitatis* referamus, qui auctoribus claſſicis ſubjecti ſunt, modo ſeparatim, modo cum indice rerum conjuncti. Primo loco memorandi ſunt indices editionum in uſum Delphini; deinde merentur laudem indices *Lamperdi Alardi* ad *Valerium Flaccum*; *Samuelis Artopœi* in *Daretem*, & *Dictyn*; *Caſparis Barthii* in *Pap. Statium*; *Hermolai Barbari* in *Plinium*: *Math. Berneggeri* in *Svetonium*: *J. H. Ecleri* in *Vellejum*, & *Cornelium Nepotem*: *J. A. Boſii*, & *Aug. Buchneri* in *C. Ne-*

potem; *Jani Broukhuſii* in *Propertium*, & *Tibullum*: *Chriſtophori Cellarii* in varios libros *Ciceronis*, *Vellejum Paterculum*, *Nepotem*, *Curtium*, *Lactantium*, *Minucium Felicem*, *Silium Italicum*, *Cæſarem*, *Prudentium*, *Sedulium*: *Thomæ Creech* in *Lucretium*: *Nicolai Erythræi* in *Virgilium*, quem cuilibet editioni *Antonius Maria Baſſus*, Cremonenſis adcommodavit, & editionis Comelin. MDCIII. 8.; *Melchioris Freinshemii* in *Tacitum*; *Jo. Freinshemii* in *Florum*, *Curtium*, & *Phædrum*, quem Phædri indicem *Jo: Schefferus* editioni ſuæ adjecit; *Ob. Giſanii* in *Lucretium*; *Joſephi Antonii Gonſalii de Salas* in *Petronium*: *Jo. Georgii Grævii* in *Ciceronem*, *Juſtinum*, *Svetonium*, *Cæſarem*; *Jacobi Gronovii* in *Senecam*: *H.Ch. Henninii* in *Juvenalem*; *Mart. Hugenii*, & *Jac. Kockerti* in *Terentium*; *Joſephi Langii* in *Martialem*; *Jo. Paſſeratii* in *Propertium*; *Philippi Parei* in *Symmachum*; *Sam Pitiſci* in *Curtium*, *Svetonium*, *Aurel. Victorem*; *Jo. Pricæi* in *Apuleii metamorphoſin*; *Theodori Pulmanni* in *Lucanum*: *Caroli Stephani* in *Ciceronem*: *Ant. Tanii* in *Horatium*, & *Boëtium*; *Th. Treteri* in *Horatium*; *Horatii Tuſcanellæ*, Florentini, in *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*: *Joannis Forſtii* in *Nepotem*, quibus adhuc addimus *Nicolai Diſpontini collectanea in Phædrum*, & *Gottfried Voigtii indices latinitatis*, ut de pluribus aliis taceamus. Quod ad hos indices adtinet; de illis, qui ſubjecti ſunt editionibus in uſum Delphini, obſervandum eſt, quod opera, quam heic auctores, atque interpretes conſumſerint, interdum laude ſua carere videatur. Namque primum omnes

nes voces collegerunt, quod ſine cauſſa factum eſſe putamus: quis indicem ob voces, *&*, *non*, *ut*, *qui*, *quæ*, *quod* conſulat? Deinde nulla conſtructio, nullus uſus, nulla ſignificatio formularum obſervatur, uti factum eſt in indicibus Berneggeri, Freinshemii, Cellarii. Porro numeri vitio librariorum corrupte interdum ſunt poſiti, & voces omiſſæ, ut *Th. Crenius* tomo V. *animadverſ.* pag. 197. in Plauto notat: quum Angli has editiones recudendas curarent, indices omnium vocabulorum minus plenos paſſim exhibuerunt, quod dolet *Crenius animadv.* p.III.pag.6.; nec omnes aliorum indices eadem valent auctoritate. Quidam ideo compoſiti ſunt, ut tantum præcipuas voces auctorum complectantur; quidam vero, ut ſimul latinitati puriori inſerviant, veluti ſunt indices *Freinshemii*, *Grævii*, in primis *Cellarii*: horum ſtudioſa lectio majorem adfert utilitatem, quam phraſium copia, quas ipſi juvenes in ſcholis colligere tenentur; ſed quis ſcholarum magiſter differit de utilitate horum indicum? quis illos commendat? nonne per omnes dies colligunt phraſes? nonne fingunt multos illarum titulos? Qui igitur legit, e.g. Vellejum Paterculum, Nepotem, ille per ſingulos dies legat ſimul aliquot plagulas indicis latinitatis Cellarii, quo ſtudio uberrimum purioris linguæ romanæ fructum capiet: confer *Geſnerum pand.* p.I. tit.XIII. p.19. de *indicibus librorum*, *Jo. Verſlium præfatione ad Corn. Nepotem*: *Caſparem Sagittarium* de *imitatione Ciceronis* p.97., *Ol. Borrichii append. de lexicis* p.48. 49., ac *Chr. Falſterum* in *cogitationibus philolog.* p.147.

§.XIX.

§. XIX.

Quod ſi lexici munus poſtulat, ut inter alia vocum, & locutionum ſignificationes declaret: non ſine cauſſa ad lexicorum ordinem proverbiorum libri, in quibus iſta non folum collecta, verum etiam explicata ſunt, referri poſſunt. Cognitio proverbiorum multum facit ad intelligendos ſcriptores, quæ quum & in latina lingua ſint, haud quidquam a ſcriptione noſtra alienum agemus, ſi quædam de illis diſſeramus, qui proverbia latinæ linguæ collegerunt, atque explicarunt. In hoc genere omnibus palmam præripuit *Deſiderius Eraſmus*, qui ſingulari ſtudio adagia collegit, atque interpretatus eſt: ſæpe opus hoc editum fuit, cujus editiones recenſet diligenter celeberrimus *Jo. Albert. Fabricius* in *bibliotheca græca* lib. IV. cap. 9. p. 298., inter quas luculentiſſimam atque emendatiſſimam eſſe Frobenianam complexam numerum adagiorum MMMMCLI. conſtat; *Adrianus Barlandus* confecit *epitomen chiliadum Eraſmi*, Coloniæ MDXXIV. quæ ſufficit, ubi ipſius operis nulla eſt copia, quamvis iſto nemo latinæ linguæ ſtudioſior poſſit carere, in primis quando ultra primas ac vulgares lineas progreſſus, multa linguæ hujus myſteria, ac recondita philologiæ Romanæ capita cognoſcere vult: edidit quoque *Joann. Fungerus*, cujus ſupra fecimus mentionem, *novam proverbiorum farraginem*, ex Græcis, ac Latinis auctoribus, Lugduni apud Batavos MDLXXXV. *Adriani Junii adagia* lucem viderunt Baſileæ MDLVIII., in quo libro auctor veſtigia Eraſmi legere, ac

quæ

quæ in illius opere deſiderantur, addere voluit. *Jo. Antonius Berlucius* edidit *adagia ſelecta*, Græca, & Latina MDCXXXII. cum præfatione, in qua monſtratur ratio uſurpandi, imitandi, atq; inveniendi adagia. Habemus quoque *adagia, id eſt, proverbiorum, paræmiarum, & parabolarum omnium, quæ apud Græcos, Latinos, Hebræos, Arabes, &c. in uſu fuerunt, collectionem abſolutiſſimam in locos communes digeſtam*: in hoc opere continentur Deſiderii Eraſmi Roterodami *chiliades*, Hadriani Junii medici *adagia*, Joann. Alexandri Braſſicani J.C. *ſymmicta*, Jo. Ulpii Jc. *epitome*, Petri Godofredi Carcaſſonenſis Jc. *proverbia*, Guglielmi Canteri Jc. *adagia juridica*, Victoris Giſelini Medici *ſpecimen adagiorum*, Henrici Stephani *animadverſiones in Eraſmum*, Gilberti Cognati Nozareni *ſylloge*, M. Grunnii Corocottæ *Porcelli teſtamentum*, Polydori Vergiiii *adagia*, Caroli Bovilli *proverbia*, Hadriani Turnebi & M. Antonii Mureti *excerpta adagia*, Gulielmi Gentii Jc. *adagia juridica*, Melchioris Neipei Bredenani *adagia*: horum omnium proverbia ſecundum locorum communium ſeriem illis, quæ Eraſmus collegit, ſuo quæque ordine, auctoris nomine præpoſito, ſubjuncta ſunt: prodiit hæc collectio Francofurti MDCXLVI., cujus & aliæ ſunt editiones. Laudatus *Fabricius dicto loco* obſervat, quod in hac editione duo potiſſimum poſſint reprehendi: primum, quod parum ſit emendata: deinde quod ordine Eraſmi turbato, ſæpius verba prima adagii non poſſint intelligi, quæ ad proxime præcedens reſpicerent, quod hac in editione procul ſit

rejectum. Idem ſummus ingenio ac litteris vir copioſum indicem ſcriptorum recentiorum de proverbiis *citato loco* exhibet, quem quiſque, qui horum notitiam ſibi comparare vult, ipſe adeat: addimus ei *Danielem Georgium Morhoſium* in *polyhiſtore litterario* lib. I. cap. 21. Quod ad indolem proverbii adtinet, id eſt dictum cum aliqua gratia ac ſententia myſtica conjunctum, quodve in plurium ore verſari ſolet: ſed tamen ſcriptores in definitione proverbii conſtituenda diſcrepant. *Eraſmus* putat, proverbium eſſe celebre dictum ſcita quapiam novitate inſigne; quam definitionem vitioſam eſſe, pronuntiat *Julius Cæſar Scaliger poëtic.* lib. III. cap. 83. p. 327. nec ſine ratione: quod enim proverbii eſt proprium, hocque ab aliis ſententiis diſcernit, non ſatis clare nec diſtincte ſignificat: dantur & aliæ ſententiæ, quæ eam indolem præ ſe habent, ut ſint celebria dicta ſcita quapiam novitate inſignia, licet haud ſint proverbia. Ipſe *Scaliger* dicit, proverbium eſſe orationem vulgatam allegoricam; quæ definitio illa, quam Eraſmus dedit, melior videtur. Nos deſcribendo proverbium, tria momenta in illo notavimus: primum dicimus, eſſe dictum *cum aliqua gratia conjunctum*, quam gratiam efficiunt partim brevitas ac concinnitas, partim ornatus rhetoricus in metaphoris conſpicuus: ſunt enim proverbia plerumque ſententiæ breviores & translatæ, quarum verba non proprias ac naturales ſignificationes habent. Deinde obſervamus quod ſit *conjunctum cum quadam ſententia myſtica*, id quod iterum ex exemplis ipſorum proverbiorum, ſi iſta cogi-

gi-

gitando colligere ac expendere velimus, patet: cauſſa autem, cur habeant ſententias myſticas, in ſe clara eſt: compoſita ſunt ex vocabulis, quæ non pro naturali ac propria ſignificatione ſunt explicanda; hac enim ratione ſi iſta vellemus intelligere, ſæpe aut nulla, aut plane abſurda oriretur ſententia. Denique addimus, hujuſmodi dictum *verſari in multorum ore*; quod itidem indolem proverbii requirere, experientia confirmat: ponamus, quemdam excogitaſſe dicta, quæ ſunt conjuncta & cum quadam gratia & cum ſententia myſtica; ubi autem non obtinet communem uſum, neutiquam æſtimantur veluti proverbia, niſi dicere velis, dari illorum diverſitatem, alia eſſe publica, alia privata. Quod ſi hoc diſcrimen haud admittas; iſta tamen per alias rationes eſſe diverſa & varia, res ipſa docet: ubi enim illorum fontes conſiderantur, modo ex hiſtoria, modo ex mythologia, modo ex phyſica, aut alio quodam fonte petuntur; nec propter eumdem finem ſemper adhibentur: interdum ſaluberrimorum conſiliorum de moribus vicem præſtant: interdum vero homines ab illis præſidia, aut excuſationes vitiorum ſuorum petunt; aut gratiæ ac joci cauſſa tantum in loquendo ea adhibent. Uſus illorum varius omnino eſt ac multiplex, quem quominus diligenter ac diſtincte ediſſeramus, ratio argumenti, in quo explicando verſamur, impedit. Id addimus, quod ſcribendo parce proverbiis uti debeamus, inprimis quum maxime ſint vulgaria ac dignitati, quæ in ſtilo eſt ſervanda, adverſantur: in loquendo liberior quidem illorum

eſt uſus; ſed & heic diligenter eſt cuſtodiendum, quod decori ac politi moris ratio poſtulat, quæ inter alia proverbia hominum plebeii ordinis reſpuit.

§. XX.

Poſtquam hiſtoriam lexicorum latinorum breviter enarravimus, reſtat, ut quædam de *indole*, *auctoritate*, atque *uſu* illorum ſubiiciamus. Quod ad *indolem* horum lexicorum adtinet, iſtam haud generatim definire nec determinare poſſumus, quænam ſint virtutes, quæ vitia lexici cujuſdam latini, quave ratione illud ſit conſcribendum, eam ob cauſſam, quoniam latinæ linguæ cognitio, cui lexicon inſervire debet, varia eſſe poſſit ac diverſa: etenim vel eo nomine linguam hanc addiſcimus, ut veteres auctores Romanos legere atque intelligere valeamus; vel in iis ſtudiis ad univerſam latinitatem, inprimis philologiæ Romanæ myſteria pervenire adnitimur; vel eloquentiæ atque elegantiæ latinæ ſumus ſtudioſi. Pro hoc triplici ſcopo, qui in cultura latinæ linguæ locum ſuum habet, triplex quoque eſt lexicorum genus: *primum* illorum ſpectat præcipue ad intelligentiam veterum auctorum, cujus maxima virtus in eo cernitur, ſi vocũ ſignificationes rite atque accurate ſunt explicatæ; quam in rem neceſſe eſt non ſolum verum vocabulorum ſenſum indicare, nec illis alienum adfingere; ſed etiam diverſas ſignificationes, quæ interdum in voce quadam inſunt, diſcernere ac diſtribute recenſere: ſunt autem ſignificationes vocabulorum vel propriæ, vel impropriæ, ſive tropicæ per metaphoram,

ram, metonymiam, ſynecdochen, & ironiam: quumque ſignificatio propria prior eſt impropria, quoniam tropum neceſſitas genuit, inopia coacta & anguſtiis, ac poſthæc delectatio jucunditasque celebravit; ordinis ratio poſtulat, ut lexicon prius proprietatem vocum, quam tropum illarum, qui ex iſta illuſtrandus eſt, explanet. Quod ſi in propriam vocabulorum ſignificationem inquirere eamque adſequi velimus, expendere atq; meditari decet; num dictio convenienti litterarum poteſtate & poſitu reſpondeat ſono rei, quæ ſignificatur? num auctores & in aliis locis vocabulum quoddam eodem modo uſurpent? num latinum ex alio latino, an hoc ex græco poſſit derivari? Porro ſignificationes in ſua auctoritate differunt, quum aliæ ſint probæ, quippe quæ auctoritatem ac teſtimonia probatorum auctorum præ ſe habent; aliæ barbaræ, quæ latinis vocabulis impoſitæ fuerunt ſine ſuffragiis antiquorum auctorum: ſunt quoque vel ſolennes, impoſitæ certis vocabulis; vel vulgares. Diverſam hanc ſignificandi vim, qua voces latinæ ſunt præditæ, merito hujuſmodi lexicon, quod ad intelligendos veteres ſcriptores adhibetur, obſervare atque illuſtrare debet: quodſi in eo ſimul vocum grammaticæ proprietates & vulgares & rariores habentur, ſubſidia, quæ lectioni & ſcriptioni parat, ſunt majora. Sed virtutibus hiſce lexica latina, quæ in manibus juvenum verſantur, ſunt deſtituta: ac proſtant tot hujuſmodi libri, qui alium ſimulant ſenſum, quam quem ſuo voces loco natali ſuſtinent; qui vocabulis alienum plane ſenſum adfingunt; complures ſignificationes

omittunt, aut iſtas turbatim recenſent. *Secundum* lexicorum latinorum genus ſpectat univerſam latinitatem ejusque philologicam cognitionem, quale ſi quis conſcribere velit, primum hanc debeat inire ejus rationem, ut non ſolum voces veteris Latii, ſed etiam mediæ ac recentioris ætatis explicet: noſtra ætas novis rebus antiquitus haud cognitis, nova vocabula impoſuit, qualia ſunt *marchio*, *cardinalis*, *mareſchallus*, *thalerus*, *fregata*, *bombarda*, *muſqueta*, *muſquetum*, *piſtola*, *thea*, *coffea*, *chocolata*, *halbardacha*, *charlataniſmus*, *pædantiſmus*, *galantiſmus*; quæ licet in cenſu purioris latinitatis haud habenda ſint, requirunt tamen explicationem, quæ merito pertinet ad lexicon latinum: idem quoque dicendum eſt de latinitate medii ævi, in qua illuſtranda inſignem operam *Carolus Du Freſne* collocavit, ac gloſſarium, incomparabile opus, protulit. Deinde in hoc lexico, quod præcipue philologię Romanę inſervire debet, enucleãdę ſunt vocum phraſiumque auctoritas, origines, ratio ſignificandi, ac ſcribendi ſi eſt controverſa: hinc difficiliora auctorum loca explicandi, antiquitates illuſtrandi, ac quæ ad rariores ſignificationes, conſtructiones, criticorum ſententias pertinent, obſervandi, uberior ſuppeditatur materia, præſertim in antiquiori latinitate. Quum vero hujuſmodi opus omnem unius hominis laborem atque induſtriam ſuperaret, etiam, ſi & plures in conficiendo iſto conjuncti vellent elaborare, in infinitam ferme molem creſceret; conſultius omnino fuit, rei huic per partes ſatisfacere, eique diverſos deſtinare libros: hoc mo-

do & eruditiſſimi viri varios lexicorum libros ediderunt, qui philologiæ Romanæ cognoſcendæ egregia parant ſubſidia. In latinitate antiquiori præcipue utile, & valde neceſſarium eſt opus theſaurus *Baſilii Fabri*, toties recuſus, atque emendatus, ac locupletatus poſt Buchnerum, Cellarium, Stubelium a *Jo. Matth. Geſnero*, viro doctiſſimo. Quantum ſtudii latinitati mediæ, atque infimæ addixerit *Carol. du Freſne*, vix dici poteſt, cujus merita ſupra prædicavimus, ac quanta ſit gloſſarii, quod edidit, utilitas, ac præſtantia, oſtendimus: nec deſunt alia lexica, etymologica quippe, gloſſaria, latinitatis ſuſpectæ, nomenclatores, quæ cum varias philologiæ partes, tum latinam linguam diverſæ ætatis, ejuſque fata illuſtrant, quorum itidem ſupra dedimus indicem. Sed tantum abeſt, ut in his libris, quos habemus, omnia ſint perfecta, ut in illis omnino multæ emendationes, atque acceſſiones fieri poſſint; parata tamen ſunt egregia ſubſidia, ſi quis hujuſmodi laborem vellet ſuſcipere. Sic ad lexicon philologicum, quod in primis ad latinitatem antiquioris ætatis ſpectare debet, accurate ac diligenter ſcribendum, multum faciunt editiones veterum auctorum, quæ nunc probe emendatæ, ac caſtigatæ extant: commentarii in hoſce ſcriptores clariſſimorum interpretum, præcipue philologici, ac critici: accurati latinitatis indices, qui nonnullis additi ſunt editionibus: libri antiquitatum Romanarum, ad quas multæ dicendi formulæ, ac phraſes reſpiciunt, atque ex illis ſuam accipiunt lucem; auctores gramma-

ticarum philoſophicarum , atque obſervationum philologicarum , ac criticarum , quales qui ſcripſerint, partim jam indicavimus,partim capite , quod de *criticis latinis* exponet , monſtrabimus: auctores rhetoricæ artis,& veteres, & recentiores, qui præcipue opem adferunt ad illuſtrandas vocum improprias ſignificationes . Denique propter culturam latinæ linguæ , quæ ad ſtilum , atque ornatum ſermonis comparandum confertur , *tertium* lexicorum genus accedit , quod eſt cultioris ſtili Romani , atque copiam vocabulorum phraſiumque, quæ orationem puram,latinam, atq; elegantem reddunt,ac veteri pulcritudine ornant , complectitur : quali ratione hujuſmodi lexicon conficiendum ſit , breviter tradam . Mea opinione ejus tres partes ſunt conſtituendæ : *prima* in ſe continere debet adparatum purioris latinæ linguæ,atque eloquentiæ Romanæ , ita ut ſub certis notionum , ac vocum capitibus litterarum ordine, plura vocabula , epitheta, phraſes parallelas, quibus una res , diverſo tamen modo ſignificetur , cujus ſtudii ſpecimen habemus in *Schoenlederi adparatu eloquentiæ* ,notet:*ſecunda* habeat indicem vocum, ac phraſium barbararum,in quarum locum aliæ eæque puriores , ac vere latinæ ex probatis auctoribus ſubſtitui debent , cujuſmodi additus eſt *theſauro Nizoliano* , quamvis non omnibus barbariſmis ſufficiat , ac meliora tantum ex Cicerone commendet : & *tertia* exhibeat indicem vocum , ac phraſium Germanicarum,earum præcipue rerum, quas antiqui ignorarunt , quibus ſubjicienda eſt latina interpretatio, caſtitati Romanæ lin-

guæ

quæ conſentanea; quare ſi in antiquis auctoribus nulla, aut minus apta vocabula occurrant, adjiciendæ ſunt elegantes deſcriptiones. Quam utile, quam neceſſarium ſit hujuſmodi lexicon ſtili cultioris, ac purioris latinitatis, ii præcipue intelligunt, qui in ſuis ſtudiis caſtæ Romanæ linguæ per experientiam didicerunt, quod lexica, quæ in manibus noſtris verſantur, hujuſmodi inſtituto minus ſufficiant; quodve ſæpe de rebus latine, atque eleganter ſit diſſerendum, quarum veteres nullam habuerunt cognitionem, hincque vocabula, quibus ſint exprimendæ, minus reliquerunt. Equidem fatemur, quod hujuſmodi lexicon ſuſcipere, non parvi momenti res ſit, quam unius hominis humeri vix poſſunt ſuſtinere: huic tamen difficultati eruditi, atque latinæ linguæ periti viri poſſent ſubvenire, ſi has operas inter ſe vellent partiri.

§. XXI.

De *auctoritate* lexicorum haud aliud quid dicendum eſt, niſi hoc, quod non propria, ſed aliena, auctorum quippe uſu, valeant auctoritate; hinc egregia lexici virtus eſt, ſi in iſto exēpla ac ſolida teſtimonia accurate, & ſedulo ſint notata: denique de *uſu* horum librorum pauca addamus. Si quæratur, qualia in primis in culturam antiquioris latinitatis lexica ſint adhibenda? quæ ſuadenda? in tanta illorum copia delectus fieri debet. Juvenes recte ſibi conſulunt, atque ad intelligendos veteres auctores ſe confirmāt, ſi mature adhibent *Baſilii Fabri theſaurum ſcholaſticum*: ad copiam

piam verborum phraſiumque, quibus oratio ornanda, varianda, amplificanda, multum facit *Wolfgangi Schoenslederi adparatus eloquentiæ*, cum quo *Nizolii theſaurus Ciceronianus* conjungendus, ex quo latinæ linguæ Tullianæ opes colligere, atque ad uſum noſtrum transferre poſſumus, ſi cuiusvis principis animi notionis, quæ exprimenda eſt pure atque eleganter, vocabulum in iſto evolvatur: inveniemus multa epitheta; unius rei copioſas, atque elegantiſſimas phraſes, quibus oratio ornanda eſt, ac varianda. Si quis igitur ſcribere velit epiſtolam, atque patrono pro beneficiis gratias agere, quærat in Nizolio voces *beneficium*, *benevolentia*, *gratia*, *meritum*, *ſtudium*; habebit ſane copiam verborum, quibus epiſtola exornanda, ac locupletanda eſt. Nemo tamen ſibi perſuadeat, quod ſolo vocum Tullianarum uſu, ſtilus, ac dicendi forma Tulliana abſolvatur. Ad idem inſtitutum pertinent quoque indices latinitatis, qui nonnullis veterum auctorum editionibus, illis præcipue, quas induſtriæ *Chriſtophori Cellarii* debemus, adiecti ſunt. Denique ut iuvenes mature videant, quæ voces, dicendi formæ, ac ſignificationes ſint puræ, ac probatæ, quæve barbaræ, ac ſuſpectæ; adeant cenſorum latinitatis ſcripta, *Cellarii* præcipue, quæ uſui puerorum ſcholaſtico ſufficiunt: quibus ſi maiores progreſſiones facere velint, addant libros *Borrichiorum*, *Voſſii*, *Vorſtii*, atque aliorum. Hoſce habeant ad manus, ut ſi ſcriptionis, aut lectionis occaſio ita ferat, evolvantur: adponant notis, aſteriſcis eorum, quæ præ aliis ſunt neceſſaria, memoriam: ſi quæ ipſi-

ipſimet in lectione auctorum deprehendant, quod in his lexicis omiſſum eſt, notent; ac quod conſilium ſaluberrimum iudicamus, quotidie aliquid temporis legendis lexicis impendant, quæ ab initio ad finem percurrenda, ac relegenda ſunt: ſic uno anno plura diſcemus, quam alioqui toto decennio vix occurriſſent. Reſtat, ut recenſeamus auctores, ex quibus comparanda eſt notitia lexicorum latinorum, quales ſunt *Paullus Bolduanus bibliotheca philoſophica* p.592., *Georg. Draudius bibl. claſſic.* pag. 1403., *Geſnerus* lib. 1. tit. 9. p. 10. *pand.*, *Poſſevinus bibl. ſelecta* to 11. p. 519., *Jo. Henr. Boeclerus diſſertat. de lexicis* tom. I. p. 645. *diſſertat. academic.*, qui pauca habet, notatu digna, & plura de græcis, quam latinis lexicis; *Olaus Borrichius diſſert. de lexicorum latinorum jejunitate*, *& pendentibus inde nobilium criticorum hæſitationibus*, Haf. MDCLX. 4.; & *appendic. de lexicis Latinis*, *& Græcis*, quæ acceſſit *analectis ad cogitationes de lingua latina*, Hafn. MDCLXXXII.; *Jo. Petr. Titius* in *manuductione ad excerpendum*: *Ad. Baillet* in *jugemens* tom. III. p. 44.; *D. G. Morhofius polyhiſtore litter.* lib. IV. c. 9.; *Aug. Griſchovv. introd. ad philol. general.* p. 261.; *J. H. Loederus introductione in hiſtoriam univerſalem* p. 87.

CAPUT VI.

De Lectione, atque Interpretatione Auctorum latinæ linguæ generatim.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum ſumma indicatur §.I.
Diverſitas lectionis generatim explicatur §.II.
Speciatim vero monſtratur, primum, quinam ſint legendi §.III.... VII.
Deinde quo ordine ſcriptores latini ſint legendi §.VIII.
A quo auſpicium lectionis fieri debeat §.IX.... XIII.
Quibus explanatis, commendantur adminicula interpretationis veterum auctorum, cum generatim §.XIV.
Tum ſpeciatim, in libris hiſtoricorum §.XV.... XVIII.
Philoſophorum §. XIX.
Poëtarum §.XX.
Quæ ſubſidia quum ſpectent ad interpretationem ipſarū rerum, ea quoque laudantur, quæ pertineant ad ipſam linguam ejusque cognitionem §.XXI.

Explanavimus adminicula, quæ viam præparant ad latinæ linguæ ejuſque purioris ſtudia: nunc ad ea transgredimur, quæ ingenia in his ſtudiis perficiunt, & confirmant, quorum tria commendamus, *lectionem*, *obſervationem*, & *imitationem*.

§.II.

§. II.

Lectionem inter illa ſubſidia ponimus, quę perficiunt iter ad vetus Latium, quoniam quidquid elegantia latini ſermonis ſinu ſuo complectitur, legendo optima, & culta monimenta adſequimur. *Cicero* de *orat.* lib.III. *omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur ſcientia litterarum; tamen augetur legendis orationibus, ac poëtis. Quinctilianus* XII. *nobis copia cum judicio paranda eſt, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem ſpectantibus: id autem conſequimur optima legendo. Plinius* lib.VI. ep.30. *quum ego ex comparatione ſentio, quam male ſcribam.* Legendi ſtudium varium diverſumque eſt, ſive reſpicias ad diverſa genera monimentorum, quæ leguntur; ſive ad diverſam conditionem illorum, qui legunt; ſive ad diverſam rationem ipſius lectionis: ipſa monimenta continent res & verba, ex quibus etiam capi poteſt duplex fructus, quorum alter eſt rerum; alter verborum, de quo poſteriori in præſenti ſumus ſolliciti. Lectio, quæ ob verba ſuſcipitur, iterum triplex eſt: vel legimus aliorum ſcripta, ut inde accipiamus verborum copiam, quæ lectio dici poteſt *grammatica*: vel ut adſequamur orationis vim, atque elegantiam, quæ lectio eſt *ſtili purioris*; vel ut philologiam accuratius cognoſcamus, quæ lectio vocatur *philologica*. Integro hoc opere ſtilus purior nobis curæ eſt, quam ob rem de ſecunda lectionis ſpecie in primis diſputabimur; ea autem præſcripta lege, ut primam ab ea haud ſejungamus, quum utraque arctius conjuncta

ſit, nec ſecunda primæ auxilio, atque ope carere queat. Tria obſervanda ſunt: *qui legendi, quo ordine, & quomodo?*

§. III.

Primum igitur conſiderandum eſt: *quinam ex tam multis latinæ linguæ auctoribus ſint legendi?* de hoc & olim, & hodie non eadem omnium fuit ſententia. *Quinctilianus* lib.x. cap.1. *quidam ſolos veteres legendos putant, neque in ullis aliis eſſe naturalem eloquentiam & robur viris dignum arbitrantur: alios recens hæc laſcivia delitiæque, & omnia ad voluntatem multitudinis imperitæ compoſita delectant*; adde lib.11. cap.5. Sunt illi varii generis, & differunt primum *ratione ætatis*: dantur ſcriptores linguæ latinæ, quos vetus, & recentior ætas tulit; qui ergo ex illis ad lectionem imitationemque trahendi ſint? nunc diſquirendum eſt. Controverſia inter clariſſimi ingenii Galliarum viros agitata, hujus loci non eſt: num veteribus eruditis recentiores, an † veteres recentioribus cedant? Namque

† *De hac controverſia legi poſſunt Burc. Gotthelf. Struvius in* introductione ad notitiam rei litterariæ *cap.*v.§.18.; *Michaël Lilientalius de* machiavelliſmo litterario *p.*2.8.; *Severinus Lintrupius in* præfatione ad Borrichii orationes; *Gottlieb Stolle in* hiſtoria litteraria *p.*11.; *& Jo.Chr. Otto in diſſertatione de* æſtimanda veterum ac recentiorum eruditione, *Lipſiæ* MDCCXVI. *Placent nobis, quæ pronuntiat Plinius lib.*VI. epiſt.21. ſum ex iis, qui mi-

que de lingua veterum Romanorum diſputamus, quorum auctores antiqui ſine dubio præferendi ſunt recentioribus, quoniam illi fons ſunt atque origo, ex qua hi omnia latina ſua petierunt; conſultius autem eſt, ipſos fontes adire, quam ſectari rivulos, & dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ, quod tritum nec a veritate alienum eſt proverbium. Nihilominus recentiores cum veteribus conjungendos eſſe exiſtimamus, partim, ut cognoſcamus, quomodo illi veteres ſint imitati, & ex illorum exemplis diſcamus, adplicare & ad uſum adferre, quæ in ipſa latinitate profecimus; partim, quia recentiores auctores viam oſtendunt ad habitum de illis rebus dicendi, de quibus noſtra ætate loquendum eſt, comparandum, quarum magna eſt copia, quæ veteribus auctoribus fuerunt incognitæ. Ubi adoleſcentes ad ſolos vetuſtiores ſcriptores accedunt, diſcunt quidem, de rebus bellicis, civilibus ſimilibusque latine loqui; ſed quando dicendum eſt de argumentis aliis, quæ ævi noſtri ſunt propria, neſciunt, quomodo eleganter, quæ cogitant, ſint exprimenda: ſed tamen ejusmodi recentioris ævi ſcriptores eligamus, qui veteres latini ac puri ſermonis laude celebres imitati ſunt, & illorum copiam vim, atque elegantiam expreſſerunt, quorum ingeniorum ætas & patrum & noſtra ipſa ferax fuit.

mirer antiquos: non tamen, ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio; neque enim quaſi laſſa & effœta natura, ut nihil jam laudabile pariat.

§.IV.

Deinde ſcriptores differunt in *religione*: habemus auctores latinæ linguæ vetuſtiores & paganos, & chriſtianos. Scriptores religionis paganorum ab uſu ſcholarum haud removendi ſunt, quippe qui nobis uſum adferunt, ſive ad argumenta, quæ proponunt, ſive ad ſcribendi indolem advertamus animum: fructuoſa ſunt paganorum monimenta in rebus ſacris, religionis, philoſophiæ, hiſtoriarum; † hinc ipſe divinus Paullus provocat ad

† *De paganorum ſcriptis, num ſint legenda, diverſæ ſunt ſententiæ virorum veræ religioni addictorum, quas copioſæ atque erudite enarrat, atque accurate de illis judicat Jo. Franciſcus Buddeus in* iſagoge ad theologiam univerſam *p.*146. *Alii exiſtunt auctores, qui de lectione horum librorum atque utilitate ex illis capienda ſunt commentati, ex quibus nominamus Jo. Michaël Dilherrum diſputatione philologica de* uſu lectionis ſcriptorum ſecularium & antiquitatis, quem in altiori etiam litteratura præſtant, *quæ extat tomo* 1. diſputationum academicarum *num.*VIII. p.100.; *Jacob. Thomaſium in* præfationibus *num.*2. *p.* 250.; *Claudium Eſpencæum de* profectu ex gentilium librorum lectione percipiendo; *Jo. Franciſcum Buddeum de* cultura ingenii *cap.* III. §.8. 9.; *Jo. Chr. Langium in* protheoria eruditionis human. univerſ. *p.*762.; *Chr. Falſterum in* cogitationibus philologicis *p.*1. *Adde quæ diximus in præfatione partis primæ* obſervationum in novi fœderis libros §.XII. *ubi*

ad teſtimonia poëtarum, Epimenidis, Arati, Menandri,† quamvis heic latinitatem tantum curemus, quæ merito ex paganis ſcriptoribus, veluti ex ipſis incorruptæ ac limpidæ vetuſtatis fontibus hauritur. Sunt quidem, qui horum moniments a ſcholis remota volunt, & adoleſcentibus doctorum eccleſiæ ſcripta com-

Oo 3 men-

ubi inter alia diximus: prout auctores, qui obſcena, turpia ac rectis moribus inimica tradunt, in ſcholis chriſtianorum removendos eſſe ipſi arpitramur; ita uſum illorum, qui modo res geſtas referunt, modo antiquos ritus memorant, modo ad linguarum cognitionem viam muniunt, neceſſarium quidem eſſe cenſemus; ipſam tamen eorum lectionem ita inſtituendam, ne veritatis ac pietatis ſtudia capiant inde detrimentum. *Quapropter Baſilius* homil. XXIV. ad adoleſc. quomodo ex gentil. doctrina prof. *tom. 1. opp. p.* 494. *bene dicit*: quemadmodum in roſeto flores decerpimus, ſpinas relinquimus: ſic profani auctores tractandi ſunt, ὅσον χρήσιμον καρπωσάμενοι, τὸ βλαβερὸν φυλαξόμεθα, ut utilia decerpamus, a noxiis caveamus.

† *Primum horum teſtimoniorum extat* act. XVII. 28. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμὲν ὥς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι· τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *quæ verba num contineant duo teſtimonia, an unum, diſputant interpretes; poſteriora verba* τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. nam hujus progenies etiam ſumus, *petita eſſe ex Arato obſervarunt Chryſoſtomus, Hieronymus, Clemens Alex. & alii veteres, quamvis alii ſubnoturint eadem extare apud Clean-*

them

mendant, *Cypriani*, *Lactantii*, *Arnobii*, *Minucii*; ex recentiori ævo verſionem ſacri codicis, & colloquia *Caſtellionis*, *Schonæi chriſtianum Terentium*, *Burmeiſteri Martialem*, *Sagittarii Horatium* †, & alios chriſtianæ

pro-

them in carmine, quod conſervavit Stobæus in eclogis phyſicis. *Secundum legimus* 1. Cor. xx., 33. *ubi verba* φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαὶ *plurimi derivant ex Thaide Menandri, cujus comœdiæ mentio ſit apud Athenæum l.* III.; *Socrates vero H.E.* III., 16. *tribuit hunc verſum* Euripidi. *Tertium habemus Tit.* 1. 12. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri, *quorum verborum Epimenidem auctorem eſſe, plurimorum conſenſione confirmatur: hoc argumentum doctiſſime perſequitur Philippus Olearius* diſſertat. philologica de ſcripturis profanis a Paullo apoſtolo allegatis *Lipſ.* MDCCI.

† *Schonæi* Terentius *ſæpe prodiit: clariſſimus Hieronymus Freyerus, nobis multum amicus, edidit* colloquia Terentiana cum Plauto excerpto & Phædri fabulis ad innoxium ſcholaſticæ juventutis uſum accommodata, *Hal. Magdeb.* MDCCXIV. 8. *cujus conſilium a Schonæano inſtituto diſcrepat. Jo. Burmeiſteri* Martialis renatus, ſeu parodiæ factæ ad Martialem totidem ejus epigrammaton libris correſpondentes *lucem viderunt Goslar.* MDCXI. *Thomas Sagittarius edidit* parodias Horatianas; *& præter eum Caſp. Cunradus, Jo. Otto Mariana, Mel-Adamus, H. Meibomius, Joach. Henningius eodem labore functi ſunt. Fuerunt,*

qui

profeſſionis poetas: ſed non probanda ſunt horum inſtituta, qui omnia utilia, quæ ex paganis monimentis capi poſſunt, ideo abiiciunt, quia in illis quædam erronea inſunt, quorum veſtigia ſi in aliarum quoque ſcientiarum ſcriptis vellemus ſequi, neceſſe eſſet, multis libris & uſui illorum valedicere: ea, quæ minus recta ſunt, nec bonis moribus ſalubria, facile prudentis magiſtri opera poſſũt prætermitti, quod & a nobis ipſis fieri poteſt, ſi valemus robuſtiori ingenio, & bonarũ virtutum ſemine impletum eſt pectus noſtrum: repugnamus rationi, quando rivulos ſectamur, & limpidos nec corruptos fontes relinquimus, quos faci-

qui in ornandis ſcriptorum editionibus providerunt, ut abeſſent obſcena & caſtis moribus repugnantia, uti in Horatio *edito Colon.* MDCXVI. 8., *& a Ioſepho Deſmarez, Duaci* MDCXXXVI. 8. Martiale *Roderi factum eſt, quod & fecerat Sylvius. Verum pauci ſunt, quibus medica hæc manus eſt adhibita; & quibus contigit, non ita tamen a ſordibus repurgati ſunt, ut nihil periculi ſupereſſet: immo ad extremum operis hæc inquinamenta a nonnullis ſunt rejecta, uti in editionibus in uſum Delphini; id quod non improbandum eſſet, niſi hac ratione plures ad ea legenda allicerentur. Monimenta, quæ morum innocentiam maxime lædunt, ab uſu & privato & publico removenda ſunt, veluti ſunt* Priapejorum *auctores, Catullus, Tibullus, Propertius, Horatii quædam, Ovidii* amores, *Apuleii* aſinus aureus, *Petronii* ſatiricon: *confer Thomam Crenium in* tractatib. philolog. *p.* 242.

cile adire & omnia, quæ litteris noſtris utilia ſunt, ſubinde haurire poſſimus. At vero ſcriptoribus paganis non ita inſiſtendum eſt, ut tempus omne lectionis adripiant, nec aliquid ex bonis horis eccleſiaſticis relinquant: namque utroſque conjungi volumus, ut ex Romanis priſcis vera indoles latinitatis; ex Chriſtianis ejuſdem uſus melior perſpiciatur. Dantur etiam ſancti viri, qui quidem ea, quæ ſeculi ſunt, contemſerunt; latini vero ſermonis copiam & nitorem minus neglexere: quapropter ita ſentimus, bene conſuli Chriſtianorum ſcholis, ſi cum libris Romanorum profanis ſacros bene ac latine ſcriptos, Minucii, Lactantii, Sulpicii Severi, etiam ex poëtis Prudentii, Sedulii conjungamus: confer *Chr. Cellarium epiſt. ſelect.* p. 30. qui hoc argumentum pluribus proſequitur, & de uſu antiquitatis eccleſiaſticæ Chriſtianis ſcholis commendandæ diſſerit †.

§. V.

Neque non in *argumentis* inter illos eſt diſcrimen: alii ſunt auctores orationum; alii epi-

† *Notus eſt oſtraciſmus litterarius Jo. Harduini, qui e Græcis ſcriptoribus unicum Herodotum; e Latinis vero Tullium, Plinium majorem, Marcnis georgica, Flacci* ſermones & epiſtolas, *ſola ex omni latina antiquitate ſincera eſſe monimenta admittit, præter inſcriptiones admodum paucas: vide* proluſion. de nummis Herodiadum *p.* 343. *edit. Amſtelod. Sed oppoſuerunt ſe ei Maturinus Veſſirius la* Cro-

epiſtolarum, alii hiſtoriarum, alii rerum philoſophicarum,quæ diverſa argumenta faciunt, ut ſtilo quoque ac dicendi forma differant. Conſultum eſt, quodvis horum ſcriptorum genus cognitum ſibi reddere, ac rectum ordinem in evolvendis illis accurate ſervare: qui generatim in eo conſiſtit, ut cum ad argumenta, tum dicendi genus advertamus animum, & prius verſemur in libris hiſtoriarum, quam philoſophiæ; prius in libris epiſtolarum, quam orationum. Bene agit, qui in latinitate ſtudet proficere, ſi varii generis ſcriptores ſibi reddat familiares, quoniam ex libris hiſtoricorum perſpicit nativas vocum ſignificationes; rhetorum metaphoricas & tranſlatas; philoſophorum ſtilum philoſophicum. Caracteres ſuas habent regiones, quibus circumſcribuntur,& conſtitutis finium rationibus differunt, & verborum uſu & elocutione alii ab aliis ſeparantur: omne dicendi genus ſuo & proprio caractere definitur,a quo in multis dependet cultus orationis,; etenim in caractere oratorio ineſt plus dignitatis, & major verborum delectus, nitorque dictionis requiritur, quam in philoſophico, in quo eſt oratio ſimplex, & ſubtilitati congruens, non copioſa admodum, neque ornata. Hoc modo pura oratio dicitur, quæ propria eſt, & veritate contenta, non laborat de copia & ubertate, nec ſuavitatis gratiam captat, ſic ta-

Croſe in vindiciis veterum ſcriptorum, *& Jo. Sartorius de* oſtraciſmo litterario, *Gedani* MDCCX.

tamen, ut vitii expers ſit, & remota ab omni impuritate, quæ ſermonem vitiat & latinam loquendi munditiem corrumpit, uti loquitur priſcæ ac ſolidæ eloquentiæ romanæ ſummus artifex ac magiſter *Conr. Samuel Schurzfleiſchius* elegantiſſima præfatione *diſſertat. academicarum.*

§. VI.

Accedit *dicendi genus*, quo itidem auctores latinæ linguæ diſcrepant: alii utuntur ſermone ligato, ut poëtæ; alii vero ſoluto. Poëtæ omnino conjungendi ſunt cum ſolutis ſcriptoribus; quoniam poëſis latina multum facit ad culturam & conſervationem ipſius linguæ: poëtæ ſolliciti ſunt de epithetis, quæ congruant, de ſimilibus & aptis deſcriptionibus, de veris ſynonymis, unde copia verborum, item de accentu. Quantum poëtæ contulerint ad linguam hanc conſervandam, patet ex hiſtoriarum monimentis: ab Ennii temporibus poëtæ primi fuerunt, qui latinitatis cultum ſuſceperunt, ſaltem tentarunt; quumque ſoluta oratio amitteret ſuam auctoritatem dignitatemque, poeſis reſtitit barbariei, cujus rei teſtes ſunt *Cælius Sedulius*, *Proſper Aquitanicus*, *Sidonius Apollinaris*, *Alcimus Avitus*, *Venantius Fortunatus*. Præter hæc lectio poëtarum alumnis latinæ linguæ vel ideo neceſſaria eſt, ut rationem latinitatis poëticæ curatius perſpiciant, & id quod bonum ſit, ad ſuum uſum adferant, malum autem fugiant: is autem cum fructu legere poteſt ligata monimenta, qui in latinitatis ſtudiis jam eas progreſſiones fecit, ut valeat facultate di-

diſcernendi ac dijudicandi, quid ſit elegans ac horridum, quid caſtum purumque ac barbarum. *Jo. Ludov. Strebæus* de *elect. & oratoria collocatione verborum* lib. 1. cap. 6. ſuadet, a poetarum lectione eſſe incipiendum; poſtea demum proſaicæ orationis ſcriptores, præcipue oratores evolvendos. Cicero, ut teſtis eſt *Quinctianus* lib. x. c. 1. putabat, *in lectione poetarum requieſcendum*. Verum quum caracter poeticus a ſoluta oratione maxime differat, maturo debet reſervari ingenio: nemini eſt facultas, utendi omnibus verbis in claſſem poetarum deſcriptis, quæ latina quidem ſunt, ſed proſæ dignitatem non ſemper tuentur: ſunt locutiones, quæ in proſa nitore aliquo minus dignæ ſunt; in ligata vero fulgent, veluti propriæ poetarum, & lumina carminum: ipſi poetæ propter diverſas dicendi rationes, & formas diſtinguendi, & alii aliis præferendi ſunt, ac interdum granditatis quoque cauſſa imitandi. Utilitatem, quam in ipſo addiſcendæ latinæ linguæ ſtudio præſtat poëtarum lectio, demonſtrat prima eruditiſſimarum de *poëtis diſſertationum Ol. Borrichius*, academiæ Hafnienſis quondam decus: *grammaticorum*, inquit, *præceptiones fulciunt, caſus obliquos roborant, genera nominum certiora reddunt, orthographiam ſtabiliunt, præteritis & ſupinis præſtant ſecuritatem, & quidem conſtantiorem, quam hiſtorici & oratores, dirigunt verborum pronuntiationem, immo abſque his eſſe jam propemodum actum videremus de mora vocabulorum in pronuntiando, & qualibet natio idiotiſmos linguæ ſuæ in eloquendo perperam ſequeretur: & hæc quidem uni-*

univerſi ideo a poëtis certius petuntur; quia quum ſolutæ dictionis ſcriptores ob libertatem ſibi permiſſam varias hodie lectiones facillime admittant, poëtæ vi legis & numeri, cui ſe adſtrinxere, conſtantiora tradunt: adde doctiſſimi *Jacobi Burkardi medic. vindicem humanitatis ſtud.* p. 22. 27. 28.

§. VII.

Denique in latinæ linguæ auctoribus deprehendimus diverſitatem *ſtili*, qui eſt modo circumductus, modo conciſus aut mediocris: item alii utuntur caractere ſublimi ac magnifico; alii humili, aut eo, qui inter utrumque priorem mediam tenet rationem. Hujus quoque diſcriminis ratio habenda eſt in perlegendis veterum monimentis: quumque caracteres circumductus, mediocris & conciſus multum dependent ex indole ingenii auctorum, nec quodlibet ingenium ad hoc, vel illud ſcribendi genus aptum; neceſſe eſt, ut heic ad captum noſtrum monimenta veterum adcommodemus: quamquam ingeniis haud maturioribus heic aliquid dandum eſt, quibus ſufficit, vim & copiam ſermonis percepiſſe; confirmati vero, atque exercitati primo latinæ linguæ ſtudio animum quoque ad caracteres hos convertere debent. In altero ſtili diſcrimine id obſervandum, ut primum juvenibus ſcriptores ſtili humilis; deinde mediocris, tum ſublimis prælegamus. Summa ſtili virtus continetur in caſtitate: linguæ fata ſua habent, id eſt per aliud tempus coluntur, & ſunt nobiliſſima pectora, quæ caſtitatem ea-

rum cuſtodiunt; per aliud vero exulant quaſi, nec quiſquam eſt, qui conſulat illarum elegantiæ ac nitori, ut iſta ſarta tectaque conſervetur: quo fit, ut barbaræ ſæpe dictiones invehantur, & ipſe dicendi mos, cujus elegantiæ nullam operam dant, ita corrumpatur, ut loquentes inter barbaras gentes educati videantur. Quum eadem fata ſubjerit Romanorum lingua, neceſſe fuit, auctores in claſſes & ordines dividere, ut pateat, quantum quiſque in probanda latinitate valeat; proinde quoniam ſcriptorum Romanorum alii ſcripſerunt pure, alii vitiarunt immunditie ſermonem ſuum; decet prudentem terſioris atque elegantis ſtili Romani cultorem, duces optimos ſectari, quos præcipue ætas aurea atque argentea tulit: quodſi ſolos auctores ſeculi aurei ſequi vellemus, latinitas ſane anguſtis circumſcripta eſſet limitibus: nec lumen in ætate argentea erat extinctum, quo floruerunt viri ſuo dicendi genere, atque eleganti linguæ uſu clariſſimi. Sed qui adoleſcentibus commendant monimenta eo tempore edita, quo latinus ſermo remiſit de priſtino vigore atque elegantia, immo ipſa latinitas penitus cecidit, minus rebus ſcholaſticis proſpiciunt: alia eſt illorum ratio, qui ita in his ſtudiis profecerunt, ut ſibi ipſi poſſint conſulere, ac facultate bona a malis diſcernendi ſint prædit. Hi ubi operam dant philologiæ Romanæ, in his monimentis, licet ſint barbara atque horrida, evolvendis verſantur, ut videant, quo miſero caſu ceciderit latinitas, ac quid de priſtina pulcritudine ſenſim amiſerit: ſed illorum magiſtrorum

temeraria & noxia docendi ratio reiicienda, ac veluti peſtis ſcholarum fugienda eſt, qui promiſcue auctores, ſive puri ſint atque elegantes, ſive minus, adoleſcentibus explicant. Quum Tiberius vocem non ſatis latinam vellet uſurpare, interceſſit Marcellus & *tu*, dixit, *Cæſar civitatem dare potes hominibus, verbis non potes*, ut legimus apud *Spartianum in vita Adriani* c. XV. Adriano, de romana lingua reformanda cogitanti, Favorinus grammaticus ceſſit quidem, ſed ita, ut teſtaretur, non jure quidquam nova moliri in ſermone latino, ſed vim ei inferre. Certatum quoque fuit, utrum *Conſul tertium*, ân *tertio* in monimento quodam publico ſcriberetur, quod habet *Gellius* XI., cap. I., adde *Adr. Relandi* præfationem ad *Petri Relandi faſtos conſulares*; tanta olim puri atque incorrupti ſermonis cura fuit: pluribus videas *Godofr. Vockerodt* diſſertat. de *recta & antiqua eloquentiæ maxime latinæ ratione*, præmiſſ. part. I. *latin. reſtit. Guntheri*.

§. VIII.

Nunc diſpiciamus, *quo ordine ſcriptores latinæ linguæ ſint legendi*? tres curſus conſtituamus, quibus auctores linguæ romanæ ita evolvi & perlegi poſſunt, ut per eos in ſuavitate illius ac caſtitate proficiamus. *Primo* curſu tantum legendi ſunt veteres ſcriptores Romani, quorum quum magnus numerus eſt, nec omnes ſermonis nitore ſunt conſpicui, merito cultores linguæ hujus in illis diligenter evolvendis debent verſari, ex quibus haurienda ſunt, quæ ſtili decus requirit: nonnul-

li

li de illis publicis lectionibus, quæ non omne ſtudium abſolvunt; quidam vero operæ privatæ & domeſticæ relinquuntur. Quos magiſtri ſuis litterarum alumnis debent prælegere, ſunt auctores cum proſæ, tum ligatæ orationis: illos in tres claſſes dividimus; prima complectitur *Phædrum*, *Nepotem*, *Cæſarem*, quædam de *Cicerone*; ſecunda iterum *Ciceronem*, *Salluſtium*, *Vellejum Paterculum*, *Curtium*; tertia *Plinium* juniorem, *Livium*, non integrum, & *Tacitum*: hos commendamus ob elegantiam, vim ac caſtitatem ſermonis, in quorum lectione ordo eſt obſervandus, quem perſpicui ac proprii ſermonis ratio commendat. Qui ſtudio privato pertractari debent, ſunt præter *Ciceronis* ac *Livii* reliqua, *Juſtinus*, *Florus*, *Suetonius*, *Seneca*, *Quinctilianus*, qui ſimul hiſtoriarum & antiquitatum cauſſa legendi ſunt.

§. IX.

Doctores linguæ hujus ſæpe diſputarunt: de quo auſpicium illius faciamus? Multi incipiunt a *colloquiis*, quibus exponendis terunt pueritiam & detinent: quos dialogos, præcipue quum pure ſint conſcripti, non plane quidem ſpernere debemus; commodum tamen, quod ex illis redundat, haud amplum, nec uberius eſt. *Chriſtophor. Cellarius diſſert. acad.* p. 696. de his colloquiis dicit: *faciunt quidem ad promte loquendum colloquia, & captui puerorum accommodata ſunt; quod vero recentiores ſunt, dulcius pueri primos hauſiu; etiam purius, ex fonte ducunt, quam*

ex rivulis, qui ſæpe aliquid inquinatū trahunt. Varii exſtiterunt auctores colloquiorum latinorum, quorum nonnulli ſunt recenſendi:

Maturinus Corderius, cujus *colloquia* ſæpe edita ſunt: in præfatione *principiorum latine loquendi ſcribendique* Genevæ MDLXXIV. evulgatorum de ſe ipſo teſtatur, *quod hæc puerilia atque infima Lutetiæ & aliis in locis non ſine ſucceſſu, magno, ut res ipſa docuerit, adoleſcentulorum fructu tractaverit*:

Jo. Ludovicus Vives, cujus *dialogos* notis philologicis ac moralibus illuſtravit *Matthias Martinius*, atque edidit Bremæ MDCXVIII. vide *Thomam Crenium* in *not.* ad *tractat. de philologia*, *ſtudiis liberalis doctrinæ* p. 235.

Deſiderius Eraſmus, cujus *colloquia*, quæ ſæpe ſunt edita, etiam obſervationibus illuſtrata, præ aliis hujuſmodi libris dignitatem ſibi compararunt: elegans eſt editio, quæ cum adnotationibus *Montani* prodiit Amſtelodami MDCLIII., extant quoque in *operum Eraſmi* tom. I. Quanto ſtudio hæc colloquia ſit proſequutus Eſaias Pufendorfius, his verbis declarat *Chriſtianus Thomaſius* in *hiſtoria plenior. juris natural.* p. 53. *vir quondam illuſtris Eſaias Pufendorfius hos Eraſmi libellos*, colloquia *quippe* familiaria, *dum in itinere eſſet, temporis fallendi cauſſa ſecum habebat. Mirabar equidem ante viginti quinque annos, cum in itinere per Lipſiam tranſiret, & colloquia Eraſmi penes ipſum conſpicerem, quid rei viro politico, & regii ſtatus miniſtro, cum libello hoc ſcholaſtico eſſet; ſed reſponſum ferebam, etiam prudentiſſimos in colloquiis & encomio Moriæ ſuas lectiones reperturos: quod judicium, ſeu con-*

ſir

ſtium ab eo tempore in frequenti horum libellorum lectione ſæpius deprehendi eſſe veriſſimum; quare & aliis id commendo, &c. Nec his colloquiis aliorum virorum eruditiſſimorum judicia egregia defuerunt: tradit præcepta morum, ac ſimul errores ac vitia hominum demonſtrat; ſed quia hæc ſuperſtitioſi ægre ferebant, multi venerunt adverſus iſtum. *Scaliger* quidem in *Scaligerianis* p. 140. dicit, hæc colloquia latinitatis vitio laborare; plura de illis habent *Thomas Crenius* in *animadverſ. hiſtoricis & phil.* part. IV. p. 103., & *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part. II. p. 361. Extant quoque *Helvici colloquia*, atque alii hujus generis libelli.

§. X.

Multi commendant cultoribus linguæ latinæ, præcipue ubi ſimul diſciplinis ſacris operam navant, latinam verſionem ſacri codicis, præter dialogos illius, *Sebaſtiani Caſtellionis*. Maxime illam laudat, atque ad exercitationem orationis latinæ aptam judicat clariſſimus ac quum viveret, gnarus Romani ſermonis judex, *Gothofr. Vockerodt conſultat.* IV. p. 152.; ſed expertus quoque eſt Caſtellio acerbiores cenſuras, inprimis quod per nimium latinitatis ſtudium, quod ſit ſectatus, ſanctitati ac majeſtati divinæ ſcripturarum ſacrarum haud ſatisfecerit. *Rickardus Simonius hiſtor. critic. veteris teſtam.* lib. II. cap. 21. exiſtimat, quod *ſenſum ſacrarum litterarum magis obſcuriorem reddiderit, quam clariorem. nec caracterem boni interpretis obſervaverit.*

Alexander Morus exercitat. ſacræ ſcripturæ vocat verſionem ejus *ethnicam, quod elegantiæ plus ſatis curioſus proterve in re ſeria verbum divinum Ciceronianæ dictionis flore veſtire inſolenti temeritate molitus ſit. Thuanus* part.III.*hiſtor.* tom.II.lib.36.ad ann. MDLXIV. p.65. refert: Sebaſtianus Caſtellio *quum puriorem linguarum cognitionem ad theologicam ſcientiam adjunxiſſe ſe putaret, impuras manus multorum judicio ad ſacra tractanda adtulit, quum a rebus ad tantum opus neceſſariis homo imparatiſſimus novam bibliorum interpretationem inſolenti temeritate molitus eſt.* Alii mediam viam ſequuntur, ad quos accedit Jo. *Fr. Buddeus* in *iſagog. in theol. univerſ.* p.1540. qui dicit: *media via qui & hic incedunt, mea opinione quam rectiſſime ſapiunt. Quod nimia latinitatis ſtudio profanas, & ethnicisſimum redolentes formulas loquendi adhibuerit, vitio non caret: nec tamen rurſus diffitendum, quod plurimis in locis recte non tantum & adcurate, ſed eleganter etiam atque perſpicue, ſenſum expreſſerit, ut inſtar commentarii hæc ejusdem verſio eſſe queat.* Omnino fatendum eſt, quod multa ex hac verſione ſint haurienda, quæ ad res ſacras pure atque eleganter ediſſerendas pertineant; ſed cautio adhibenda, ne modus negligatur: vide plura apud *Theodor. Zvvingerum theatro vitæ hum.*p.1225., *acta eruditor.* MDCLXXXIII. p.532., *Caſp. Sagittarium* de *imitatione Ciceronis* p.56., *Th. Crenium* de *ſingular.ſcriptorum* p.82., *Paravicin.ſingul.erudit.*p.117.

§. XI.

§. XI.

Alii commendant *Jo. Amoſi Comenii januam*, ſeu *veſtibulum*, in multas linguas translatum; ſed vere judicat *D. G. Morhofius polyh. litter.* II. 4. 10. *de Comenii janua habendum eſt, illam plane e ſcholis illis, ubi latinitatis genuinæ, ut æquum eſt, cura habetur, eliminandam. Nam ut rerum aliqua notitia ex illa haberi poſſit, tamen exigua illa eſt, nec ſatis convenienti ordine, quod præcipuum ea in re eſt, propoſita, & vocibus ac phraſibus barbaris paſſim ſcatens, quæ corrumpere bonam latinitatem poſſint, quidquid etiam apologia, pro ſuæ januæ latinitate ſcripta contendat Comenius*: conf. *Deſid. Philomuſæ judicia de emendanda juventutis inſtit.* p. 106., & *Th. Crenium* in *notis ad tract. de ſtudiis philologiæ* pag. 452. Multi fabulas *Terentii* pueris commendandas eſſe, opinati ſunt, *Eraſmus*, *Joach. Camerarius*, *Michaël Neander*, *Juſtus Lipſius*, *Andreas Schottus*, *Caſpar Barthius*, *Caſpar Barlæus*, *Jo. Schefferus*, *Jo. Clericus*. Sunt illæ ſuaves verbis, & plenæ elegantiarum, ſicut ab ipſo *Cicerone* laudantur lib. VII. epiſt. 3. *ad Atticum*: *ſecutus ſum Terentium, cujus fabellæ propter elegantiam ſermonis putabantur a C. Lælio ſcribi*, quaſi eſſet ſupra indolem Afri hominis; tam ornate ac pure ſcribere: ſed fabulæ ejus longiores ſunt, quam ut puerili ætate adprehendantur; periculoſiores, quoniam in ſingulis fabellis ſtuprum; & quod princeps momentum, difficiliores, quam ut a pueris percipiantur: ſunt abruptæ

for-

formulæ; utitur ſæpe græciſmis, archaiſmis, locutionibus ellipticis, adeo ut in ea verſemur opinione, Terentium extremo fere loco eſſe reſervandum: confer diſſertationem *C.S. Schurzfleiſchii: num a Terentio primordia latinitatis ſint capienda?* Viteml. MDCCVI.; *Chr. Cellarium programmatib.* p. 584. 585. *diſſert. academic.* c. I. Sunt quoque, qui volunt initium capi a *Plauto*, ut *Jo. Clericus arte critic.* lib. I. p. 48.; & *Arnoldus Clapmarius* in *nobilis adoleſcentis triennio* §. 6. ait: *primum vehementer velim, initium a Plauto fieri, quippe in quo ſermonis elegantia ſumma eſt, eaque non vulgaris*, ad quem locum *Thom. Crenius* in *tractat. de erud. comparanda* p. 352. hæc obſervat: *ego, qui ſemper Ciceroni, & Cornelio Nepoti cum Cæſare primas concedo, etſi ab auctore in hoc diſſentio: perſuaſiſſimum tamen habeo, juventuti, poſtquam nativum illum vultum, veraque latini ſermonis lineamenta imbiberit e fonte Tulliano, non modo Terentium, Cæſarem, alios, qui propius ad Tullium accedunt, ſed Plautum etiam ipſum multum ac diu eſſe verſandum. Tantum judicium in delectu deſidero; primum in archaiſmis & pene deſitis, quæ nec ubique, nec ſemper locum habent; deinde in iis, quæ comicus ille finxit ad riſum captandum; multa enim apud eum decore dicuntur a ſervo, aut lenone, quæ ſi orationi noſtræ inſerantur, reddimus eam protritam ac plebejam; quale eſt, quum ſervus ait,* exprere lacrymam, *pſeud.* I. 1. 7.; *ſuntque apud eum complura hujus generis, quæ extra ſcenam non habeant locum, niſi forte cum familiari amico, ſermone, vel epiſto-*

ſtola, *viſum erit*, *paullum negari* †. Pueris dandum eſt aliquid, quod delectat, apertum, planum, perſpicuum, dilucidum, purum, uſitatum eſt: hinc *Phædri* fabellæ ætati primæ proponendæ ſunt, quia breves, elegantes ac puræ ſunt, & adficiunt teneros animos; quæ autem obſcœnis verbis conſcriptæ, facile reſecari poſſunt. Sed tamen in colloquiis, ac fabulis, aut dialogis puerilis ætas non relinquenda eſt; ſed mature videndum, ut nexum partium cognoſcant, qua de cauſſa adoleſcentes ad alios ſcriptores debent adduci, *Nepotem*, *Ciceronem*, & alios, de quorum vi-

† *Plautus non plane inelegans eſt*, *& ſua ætate præſtitit multa in latinitate. Ælius Stola*, *teſte Varrone*, *dixit* muſas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi latine loqui vellent, *vid. Fabium* inſtit. orat. XI. 1.; *Scaliger eum* Romanæ linguæ legem, *de* cauſſis lat. lingu. VI. 30.; *A. Gellius* verborum latinorum elegantiſſimum, & linguæ latinæ decus N. A. XIX. 8.; *Lipſius* decimam muſam, cent. II. iſc. epiſt. 31. *vocant. Attamen negari non poteſt*, *multa habere obſoleta*, *& vetuſtiores dicendi formulas*, *quæ ſermonem reddunt obſcurum*. *Terentius verbis & rebus multo caſtior eſt Plauto*; *vide Rol. Mareſium* epiſt. 1. 16. p. 258. *De Plauti latinitate ſcripſit Henricus Stephanus. Alii laudant* dialogos ſacros *Georgii Fabricii*, *qui ſectatus eſt ſcribendi genus*, *quod elegans eſt & purum: conſultius tamen eſſe exiſtimamus*, *ſi ipſos adeamus fontes*, *& primæ quoque ætati veterem Romanum*, *qui elegans eſt & perſpicuus*, *auctorem proponamus*.

vita, monimentis, ſtilo infra uberius diſſeramus: quod ad poëtas adtinet, utiliſſime in ſcholis explicari poſſunt *Virgilius*, *Ovidius*, *Horatius*, *Silius Italicus* †.

§. XII.

Secundo curſu pergimus ad ſcriptores Chriſtianos & ſacros, quos cum paganis conjungere, non ab re eſt: ſunt illi *Minucius Felix*, *Lactantius*, & *Sulpicius Severus*, qui partim lectionibus publicis exponi poſſunt, partim privato ſtudio pertractari. *Tertio* curſu pervenimus ad auctores recentioris ætatis, de quibus poſthæc plura dicentur. Sed audio, a multis objici, non poſſe fieri, ut tam multa perlegantur. Non deeſt, quod iis reſpondeatur, qui tam curte & breviter de adoleſcentum ingeniis, & latinæ linguæ cultura ſentiunt: conjungi debent publica inſtitutio, & privata induſtria; item tempus ſcholaſticum, & academicum: in ſcholis publice explicandi ſunt auctores primi curſus, non ita, ut omnia illorum ſimul tractentur, ſimul legantur: temporibus penſa dividantur, & unum poſt alterum ſuſcipiatur; & ubi majora videantur, prætermitti quædam, meliora retineri, legi, & ad uſum transferri poſ-

† *Veteres incipiebant a Virgilio, ſicut docet Fabius* 1. 8. *hinc Auguſtinus* 1. 8., *de civitate Dei*: Virgilium parvuli legunt, ut videlicet poëta magnus omniumque præclariſſimus atque optimus, teneris ebibitus annis non facile oblivione poſſit deleri.

poſſunt: hæc expectamus ab ingeniis præſtantioribus ac probatæ induſtriæ, & quibus contigit; magiſtris uti eruditis, alacribus, qui exhortentur, & ſuo induſtriæ exemplo præcedant. Privato ſtudio relinquimus ſcriptores Chriſtianos, quumve ſchola cum academiis commutata eſt, ſuademus, cum antiquis recentiores conferre, ut cum Cicerone, Cæſare, Livio, Salluſtio, Tacito legant Manutium, Muretum, Jo. Picum, Grævium, Schurzfleiſchium, Cellarium. Illis, qui colunt philologiam latinam, addimus *quartum* curſum, quem & ſecundum, aut tertium potes conſtituere, quo græca cum latinis conjuncta eſſe volumus: ſic componantur cum Terentio quædam Menandri, cum Phædro fabellæ Æſopi, cum Ovidio Lucianus, cum Julio Cæſare græca ejus paraphraſis, cum Eutropio græca Pæanii metaphraſis, cum Nepote Plutarchus & Thucydides; cum Tacito, Livio Polybius, cum orationibus Ciceronis Demoſthenea; cum Virgilio Homerus, cum Horatio Pindarus: lingua Romana ſine Græca haud accuratius cognoſcenda eſt. Supereſſet, oſtendere, *quomodo hi latinæ linguæ auctores ſint legendi?* quod fit cum obſervando ea, quæ ſtilo puriori neceſſaria ſunt ac fructuoſa; tum imitando, ut ad normam veterum loqui & ſcribere pure atque ornate diſcamus: ſed de utroque exercitio verboſius diſſerendi, infra nobis erit occaſio.

§. XIII.

Nonnullis alius ordo in legendis auctoribus

bus obſervandus placet: conſtituunt quoque quatuor curſus, ita ut juvenes a facilioribus ad difficiliora ſemper progrediantur, ac prioribus abſolutis confirmatiſque ingeniis, ad poſteriores feliciter conficiendos accedant. Primo itaque curſu legendos eſſe ſcriptores exiſtimant, qui ad puritatem ſermonis pertineant: ſecundo, ex quibus ſermonis concinnitas atque elegantia ſit diſcenda: tertio, qui ſtili differentiā ac varios caracteres docere poſſint juvenes; & quarto omnium ætatum auctores, qui ob ſtilum ſint laudandi ac commendandi. Hujusmodi ordinem præſcripſit *Tanaquill. Faber* in libro, quem ſupra memoravimus *methode pour commencer les humanitès grecques & latines*, quem & in quibusdam mutatum & emendatum ſecutus eſt *Jo. Gottlieb Heinneccius* in *fundamentis ſtili cultioris* part. III. cap. I. §. 3. ſeqq.; idem placuit clariſſimo *Jo. David. Leonhardo* in elegantiſſima præfatione, quam *Phædri fabulis* Jenæ MDCCXXVII. præmiſit. Sed num hic legendi ordo accurate poſſit obſervari, ſubdubito; haud enim videmus, quomodo ſcriptores, qui ad puritatem ſermonis pertinent, ab illis quorū ſtilus elegantias commendat, ſint ſeparandi: illi enim veteres auctores, qui ſermonis candorē ac caſtitatē ſectati ſunt, ſimul elegantiæ operā dederunt. Requirit quoque linguæ hujus ac ſtili ratio, ut juvenes, ubi in antiquis ſcriptoribus ſe exercent, ſimul ad puritatem atque elegantiam adducantur; quod autem in primo curſu atque in illis haud fieri poteſt, qui eo nomine auctores legunt, ut ex illis principia grammatica, ac vocum ſignificationes diſcant. Horum puerorum ingenia non ſunt

apta ad ea capienda, quæ ſpectant ad puritatem: ubi quæ ad has ſtili virtutes pertineant, cognoverint, poſtulat quidem docendi ratio, quam res ipſa præſcribit, ut magiſtri explicando veteres auctores juvenibus differentiam ſtili, varioſque dicendi caracteres monſtrent; ſed etiam in hoc curſu puritatis, atque elegantiæ præcepta diligenter ſunt tradenda, ac per exempla auctorum commendanda.

§. XIV.

Explanatis igitur illis, quæ ad lectionem ſcriptorum latinæ linguæ, præſertim antiquioris ævi pertinent, convertimus nos ad adminicula ediſſerenda, per quæ interpretatio atque intelligentia illorum facilior expeditiorque redditur. Duo ſunt eorum capita, ad quæ legendo veterum Romanorum monimenta animum advertere debemus, quorum alterum complectitur ipſas res, quas proponunt, alterum vero ſcribendi rationem, ſive ſtilum: de utroque diſtincte diſpiciendum eſt. Quod ad res ipſas adtinet, per illarum diverſitatem varii quoque ac diverſi ſunt ſcriptores, quos legimus atque in ſcholis diſcentibus explicare debemus: alii ſunt hiſtorici, alii philoſophi, alii oratores ac poëtæ, quorum quodvis genus propria requirit ſubſidia. Idem dicendum eſt de ſcribendi ratione, quæ propter ingeniorum atque ætatis, qua hi auctores vixerunt, diverſitatem itidem eſt varia, eoque nomine non minus diverſa adminicula explican-

 di

di iſtam poſtulat: de ſingulis capitibus nunc diſputabimus diſtincte.

§. XV.

Primum legendi atque interpretandi ſunt *hiſtorici*: cum hiſtoria nonnullæ diſciplinæ ita conjunctæ ſunt, ut ſine illarum ſubſidiis haud feliciter poſſit tractari atque intelligi: Principes in illis ſunt Geographia, & Chronologia, quoniam hiſtorici ubi res geſtas memorant, inprimis locum & tempus obſervant: quod adtinet ad *Geographiam*, illius cognitio ad perſcrutanda atque intelligenda veterum latinorum monumenta ita neceſſaria eſt, ut ubi ignoratur, multa obſcura, difficilia atque inevoluta eſſe debeant. Dolendum eſt graviter, quod ſtudia veteris Geographiæ in ſcholis negligantur; juvenes autem ad antiquiorum ſcriptorum intelligentiam adduci debeant: ita lectio horum auctorum non voluptatem, ſed tædia ac languorem efficit. Nec iſti rectam ac prudentem docendi rationem tenent, qui poſtquam per tempus aliquod auctores ſine Geographiæ ſubſidio prælegerint, poſtea iſtam adſumunt: quos cæcos eſſe, quiſque, qui hanc rem accurate expendere velit, confiteri debet. Quocirca exiſtimamus, quod hæc veteris Geographiæ ſtudia aut lectioni ſcriptorum præmittenda, aut cum iſta conjungenda ſint: nec eſt, quod quis objiciat, qui veteres auctores legant, poſſe juvari interpretum obſervationibus: nam quamvis fateamur, quod eruditorum notæ, quibus veteres auctores il-

lu-

luſtrarunt, quando ſtudioſe ſunt conſcriptæ, lucem adferant; attamen ſine maxima moleſtia fieri haud poteſt, ſi ad harum obſervationum ſubſidia confugere debeamus. Proinde rei ſcholaſticæ conſulimus, ſi diſcentes ad compendium quoddam veteris geographiæ, cujuſmodi *Chr. Cellarius* ſcripſit, adducamus, iiſque rationem, tabulas geographicas perluſtrandi monſtremus: quibus decretum eſt, in his geographiæ litteris majores progreſſiones facere, ab his non ſolum diligenter evolvendi ſunt vetuſtiores ſcriptores artis hujus, ex quibus recentiores ſua hauſerunt, *Ptolemæus*, *Strabo*, *Pauſanias*, iique geographiæ veteris auctores Græci minores; ſed & illis commendamus præſtantiſſimum opus *Chr. Cellarii*, viri harum litterarum intelligentiſſimi, quod inſcripſit *notitiam orbis antiqui*, quo nemo eruditionis hujus ſolidioris cupidus carere poteſt. De ſcriptoribus veteris geographiæ agit *Jo. Albertus Fabricius* in *bibliographia antiquaria* cap. v.

§. XVI.

Perutile hiſtoriæ ſubſidium eſt *Chronologia*, quæ verſatur in epochis illuſtribus earumque terminis, intervallis, aliiſque temporis quo aliquid contigit, partibus. Duæ illius ſunt partes, quarum altera dicitur *hiſtorica*, altera *technica*: illa oſtendit, quo tempore aliquid ſit geſtum ac præcipui eventus evenerint; hæc vero tradit principia, quomodo computatio chronologica ſit inſtituenda: utraque præmittenda eſt lectioni vete-

rum ſcriptorum, præcipue prior pars; poſterior vero, quæ difficilior eſt, ad aliud tempus reſervari poteſt. Generatim noſſe debemus, quo tempore auctor, quem perlegere propoſitum eſt, vixerit, id quod etiam linguæ accuratius cognoſcendæ, ac ſtilo auctoris dijudicando lucem adfert; quodvis enim tempus ſua habet ingenia, ſuos loquendi modos, ſuas opiniones, ſuas conſuetudines, ad quas auctores ſæpe adludunt, ſive hoc fiat clare, ſive obſcurius. Cognita ſcriptoris ætate, cui præcipue inſervire poteſt *Jo. Alb. Fabricii bibliotheca latina*, porro conſiderandum eſt, a quo tempore auctor initium hiſtoriæ ſuæ duxerit; quæ principes ſunt periodi illius: quam in rem eligenda eſt brevis hiſtoria univerſalis, in quo ſtudio diſcentes ſequi poſſunt duces *Dionyſium Petavium* in parte priori *rationarii*, & *Chr. Cellarium* in *hiſtoria antiqua*, id quod compendium præ aliis commendandum eſt cum propter brevitatem ac perſpicuitatem, tum propter ordinis ac teſtimoniorum, quæ adjecit, dignitatem. Habent quoque lectores veterum auctorum neceſſe, ut cognitam ſibi reddant Calendarii Romani rationem, de quo multos ſcriptores laudavit *Jo. Albertus Fabricius* in *menologio*, & in *bibliotheca latina* lib. IV. cap. 6.; cumque ſcriptoribus Romanis ſit ſolenne, per Conſules deſignare tempus, quo quid contigit, hanc in rem evolvendi ſunt auctores faſtorum conſularium: edidit *Theodor. Jans. ab Almeloveen faſtorum romanorum conſularium* libros II. Amſtelod. MDCCV., & *Petrus Relandus faſtos conſulares ad illuſtratio-*

tionem codicis Juſtiniani ac Theodoſiani ſecundum rationes temporum digeſtos, Trai. ad Rhen. MDCCXV., quamvis hoc poſterius opus poſt auctoris mortem a fratre ipſius *Adriano Relando* in lucem publicam ſit emiſſum.

§. XVII.

Inter adminicula hiſtorica merito locum ſuum tuentur *antiquitates*, ſine quarum cognitione nemo in evolvendis ſcriptoribus iiſque intelligendis feliciter progredi poteſt. Primum enim frequens fit mentio ipſorum rituum, ſive ſint publici, ſive privati, quorum illi modo ad res ſacras, modo ad res politicas, ſive civiles, modo ad res militares ſpectant: deinde ſcriptores loquendo, ſæpe adludunt ad hoſce ritus, ac formulas dicendi ab illis petitas uſurpant, quæ ſine luce ipſarum antiquitatum haud accurate ac ſolide poſſunt illuſtrari. Recte igitur magiſtri diſcentibus ſuis conſulunt, quando ipſis viam ad ſcientiam antiquitatum romanarum monſtrant, ut ſtudii, quod in interpretandis antiquis ſcriptoribus collocant, feliciores ac majores capiant fructus. Magna eſt illorum librorum copia, qui Romanorum veterum antiquitates illuſtrant; copioſum illorum indicem habemus in elegantiſſima *bibliographia antiquaria Jo. Alberti Fabricii*.: diligentiæ, quam hæ litteræ ſibi adtribuunt, quiſque eum modum tenere debet, quem ſtudiorum ac vitæ princeps ratio præſcribit; campus enim, qui heic aperitur, ſane eſt ampliſſimus: alumnis litterarum, ubi in ſcho-

ſis inferioribus verſantur ſuaque ingenia exercent, commendamus utiliſſima compendia *G.H.Nieupoort* in *rituum, qui olim apud Romanos obtinuerunt, ſuccincta explicatione*, & *Petr. Joſephi Cantelii* de *Republica Romana*.

§. XVIII.

Hactenus de adminiculis hiſtoricis: accedere debet ad lectionem veterum ſcriptorum feliciter inſtituendam ipſius *hiſtoriæ romanæ* cognitio, hauſta ex quodam compendio. Equidem ipſi veteres hiſtorici ſunt fontes, ex quibus hiſtoria romana hauritur, propter quam cauſſam nonnulli putarunt non eſſe neceſſe, ut præter lectionem veterum auctorum compendium ſcriptoris recentioris ad ſcholarum uſum adhibeatur; ſed ubi & heic præcipua capita ex compendio quodam præmittuntur, via quoque ad intelligentiam veterum librorum redditur facilis atque expedita: non requiritur accurata ac copioſa hiſtoriæ romanæ cognitio, antequam quis ad legendos antiquiores ſcriptores ſe conferre velit; ſed ſufficit, præcipua illius capita cognoviſſe, qualis quippe urbis Romæ fuerit origo, qualis regiminis forma, primum ſub Regibus, deinde ſub Conſulibus tempore Reipublicæ liberæ, & poſthæc ſub Imperatoribus; item quænam ſint Romanorum bella partim externa; Punica quippe, Macedonica, Hiſpanica, Aſiatica, Gallica, Achaicum, Jugurthinum, Thracicum, Illyrica, Germanica, Rhæticum & Noricum,

Judaica, Dacicum; partim civilia, ſociale illud, ſive Marſicum, Marco-Sullanum, Catilinarium, Pompejo-Cæſarianum, ab Auguſto compoſita: hæc diſci poſſunt ex *Chr. Cellarii hiſtoria antiqua*, quam ſupra laudavimus: quodſi evolvuntur ſcriptores vetuſtioris ævi, qui res aliarum gentium memoriæ prodiderunt, idem compendium viam parabit.

§. XIX.

Non ſolum in ſcholis explicantur ſcriptores hiſtorici, ſed etiam *philoſophici*, quando inter alios prælegantur Ciceronis libri de *officiis*, ad quos intelligendos adminiculum habemus in *hiſtoria philoſophica*; ex iſta enim obſervandum eſt, quod philoſophi Romani placita Græcorum ſint ſecuti, nec novas condiderint ſectas. Alii erant *Platonici*, ſive academici, uti Cicero, qui profeſſus eſt, ſe malle cum Platone errare, quam cum aliis vera ſentire, quamvis hæc vox philoſopho minus ſit digna: alii fuerunt *Stoici*, ex quibus Senecam tantum nominaſſe ſufficiat: alii ſe adſeclas *Ariſtotelis* eſſe declarabant, quemadmodum Lucretium doctrinas *Epicuri* ſectatum fuiſſe conſtat; pauci extiterunt *Pythagorici*. Dolendum eſt, quod eruditi viri, qui laudabili ſtudio in enarrandis philoſophiæ veteris ſatis elaborarunt, ea, quæ ad philoſophos Romanos pertinent, ſtrictim tradiderint, nec ad longiorem illarum rerum explanationem ſint adgreſſi. Quos commendandos eſſe exiſtimamus præter ſcriptores, qui hiſtoriam phi-

philoſophicam generatim tradiderunt, ſunt *Paganinus Gaudentius* de *philoſophiæ apud Romanos ortu & progreſſu*, & *Chr. Falſterus* in *quæſtion. roman.* p. 249. Quis igitur dubitaret, quod feliciori ſucceſſu ſcripta Ciceronis, Senecæ, Lucretii evolvantur atque intelligantur, ubi legentium ingenia antea ex hiſtoria philoſophica placitorum ſapientum Græcorum, quæ Romani ſunt ſecuti, cognitione ſint prædita, quam ſi quis hiſtoriæ hujus expers ad hæc monimenta evolvenda velit accedere.

§. XX.

Poëtarum libri quoque in ſcholis ſunt explicandi: hi ſæpe proponunt fabulas, aut adludunt ad iſtas; quocirca neceſſe eſt, ut nobis aliquam mythologiæ ſcientiam comparemus, antequam ad lectionem poëtarum accedamus. Veteres mythographos collegit atque edidit *Thomas Munckerus*, duobus tomis Amſtel. MDCLXXXI., in qua collectione extant C. Julius Hyginus, Fabius Planciades, Fulgentius, Lactantius Placidus, & Albricus philoſophus. Recentiori ætate multi extiterunt, qui de diis gentium diſſeruerunt, ac fabulas in libris poëtarum occurrentes explicarunt: nullus in ſcholis frequentior eſt, quam *Natalis Comes* libris decem *mythologiæ*, in quibus licet verboſior ac in pluribus verſetur allegoriis; negari tamen haud poteſt, quod ad explicandas fabulas non male faciat: prodierunt hi libri Venetiis MDLXXII., Francofurti MDLXXXVII. & MDXCVI., Pariſiis MDCV., & Gene-

ne-

novæ MDCLI.; quas editiones recenſuit, ac de his libris judicia eruditorum virorum collegit celeberrimus *Jo. Fabr.* in *hiſtor. bibl.* part. VI. pag. 330. Alumnis eruditionis ſcholaſticæ commendant alii *Wagenſeilii mytologiam veterum*, quæ in *peræ juvenilis* loculamento tertio habetur: alii adjiciunt *Franciſci Pomey pantheum mythicum*, ſive fabuloſam deorum hiſtoriam: facit quoque ad remoto cortice medullam penetrandam poëtarum, ac veram doctrinam intelligendam *Jo. Henrici Boecleri aditus ad Ovidianarum fabularum opus metamorph.* cum *Georgii Sabini interpretatione earundem fabularum*, Lipſiæ MDCXCIX. Commentarii, quos ediderunt *Lil. Gregorius Gyraldus* in *deorum hiſtoria*, & *Ger. Jo. Voſſius* in *theologia gentili*, ſunt ampliores, quam ut ab adoleſcentibus, qui brevitatem ſectantur, commode poſſint evolvi, etiam ſumtuoſiores, quam multorum res attenuatæ ferunt; ſed tamen magiſtris poſſunt inſervire, quibus etiam ad explicandas poëtarum fabulas commendamus *Caroli Stephani dictionarium hiſtoricum-geographicum & poëticum*, quod auctius edidit *Nic. Loydius* Lond. MDCLXXXVI.: addi poſſunt, quæ generatim de natura, atque interpretatione fabularum poëtarum diſſeruimus in *lexico philoſophico* p. 874.

§. XXI.

Monſtravimus, quæ adminicula ad interpretationem ipſarum rerum, quas veteres auctores proponunt, ſint adhibenda: ſed tamen quum hi ſcriptores in ſcholis præcipue

lin-

linguæ addiſcendæ cauſſa evolvi debent, illius quoque a magiſtris, qui interpretum munere funguntur, ratio habenda eſt. Varia ſunt capita, quæ ad indolem atque uſum hujus linguæ pertinent, ac diligenter ſunt obſervanda ac commendanda. Quidquid in hiſce auctoribus, quod ad ſermonem adtinet, habemus, rationem præ ſe habet exemplorum, quæ ad regulas ſunt applicanda, ita ut modo illuſtrentur ac confirmentur, modo emendentur, immo novæ inſtituantur obſervationes: alia momenta ſpectant ad principia grammatica, ubi interpres obſervare debet rectam loquendi rationem, ſive cum vernaculæ noſtræ indole conveniat, ſive ab iſta diſcedat; ſpeciatim vero vocum proprietates, conſtructiones, ſignificationes aliaque de illis capita, de quibus grammatici ſolent præcipere: alia pertinent ad principia ſtili cultioris, in quibus rite ad auctorem, qui explicandus eſt, adplicandis nemo feliciter verſatur, niſi ipſe earum rerum, quæ ad ſtilum cultiorem, ad diverſos dicendi caracteres eorumq; virtutes pertinent, præditus ſit cognitione. Hac ſi inſtructus eſt, in auctore, quem explicat, primum caracterem dicendi notabit, num ſit circumductus, an conciſus; utrum ſublimis, an humilis; aut ex utraque parte mediocris? deinde quæ ſtili hujus ſunt propria, ſive ſint virtutes, ſive vitia, quæ reſpiciunt modo ad caſtitatem, modo ad perſpicuitatem, modo ad elegantiam. Sed non eſt, quod hæc perſequamur copioſe; cap. XIII. enim ex inſtituto ac ſingulari induſtria de obſervatione latinæ linguæ diſſeremus, ac

quæ

quæ hæc interpretationis pars requirat, explanabimus.

CAPUT VII.

De Editionibus Veterum Auctorum Latinorum.

Σ Υ Ν Ο Ψ Ι Σ.

Dicendorum ſumma indicatur §.I.

Recenſentur auctores, ex quibus cognitio editionum haurienda eſt §.II.

Ac poſtquam criteria bonarum editionum fuerunt explanata §.III.... VII.

Commemorantur interpretes auctorum veteres §.VIII.

Ac qui primi veterum ſcriptorum libros ediderunt atque ab interitu vindicarunt §. IX.

Quibus recenſitis, enarrantur interpretes recentiores ac editiones Gallorum §.X.XI.

Anglorum §.XII.

Belgarum §.XIII.

Italorum §.XIV.

Hiſpanorum aliarumque gentium §. XV.

Germanorum §. XVI.XVII.

Ultimo autem loco oſtenditur, quænam omnium ſint optimæ editiones §.XVIII.

INter ſubſidia, quæ iter ad vetus Latium perficiunt, lectionem ſcriptorum latinæ linguæ retulimus, ac de iſta generatim ſuperiori capite diſſeruimus; ſed ut hoc ſtudium auctores legendi ſit ſolidum, ac ſua commoda lin-

linguæ hujus cultoribus adferat, non ab re eſt, ſi quædam præmittantur de *vita*, *editionibus*, & *ſtilo* horum ſcriptorum. Cognitio vitæ elegantioris latinitatis culturam multum juvat, ſi cognoſcamus, quo litterarum ævo auctor illuxerit: quibus uſus ſit diſciplinarum magiſtris; qua ratione profecerit in his doctrinarum ſtudiis; quosve ſit imitatus, & quæ reliqua ſunt: vitarum hiſtoriæ ingeniorum indolem patefaciunt, qua cognita, multum adfertur lumen doctrinæ de ſtilo, cujus ratio cum ingeniorum conditione arcte conjuncta eſt. Editionum diſcrimen noſſe, ideo neceſſarium eſt, ut optimos ſequamur libros, & ſubinde diſcrepantium ſcripturarum negotia, quæ ad latinitatem quoque ſpectant, expedire queamus. Utilitas cognitionis ſtili, quem auctores expreſſerunt, effundit ſeſe in imitationem, ut ſciamus, quomodo in ſtilo conciſo Plinium juniorem, Tacitum, Symmachum; circumducto Ciceronem & alios imitari debeamus. De vita, & ſtilo ſcriptorum capite primo ea, quæ neceſſaria ſunt, jam obſervavimus: quocirca quæ de editionibus horum auctorum præcipue claſſicorum † generatim diſſeri poſſunt, nunc breviter ſunt explananda.

§.II.

† Auctores claſſici *dicuntur probatiſſimi & optimi: omnes Romanorum cives pro ratione cenſus in ſex claſſes diſtribuit Servius Tullius, ſextus Romanorum rex, ut habet Livius* I. 43.: *qui in prima claſſe cenſebantur, ſoli proprie* claſſici *dicebantur, reliqui omnes* infra claſſem, *de quo vide Gellium* VII. 13.

§. II.

Varii ſunt auctores, qui hoc caput illuſtrant: nonnulli editiones horum ſcriptorum recenſuerunt, in quibus omnium diligentiam ſuperavit celeberrimus *Joann. Albertus Fabricius* in egregia *bibliotheca latina*; adde *Adr. Falſterum* in *cogitationibus philologicis* p. 107.; multa quoque habet de hiſce editionibus *Thomas Crenius* in *animadverſionibus hiſtorico-philologicis*, ut taceamus de ſcriptoribus aliis bibliothecarum, qui de auctoribus, quos in lucem ediderunt, indices editionum illorum præmiſerunt. Speciatim notitia antiquiſſimarum editionum, quæ prima fere ætate typographiæ lucem viderunt, comparatur ex illis, qui origines typographiæ laudabili inſtituto expoſuerunt, quo labore perfuncti ſunt *Cornelius a Beughem* in *incunabulis typographiæ*, Amſtelodami. MDCLXXXVIII., ac *Michaël Maitaire*, qui edidit *annales typographicos ab artis inventæ origine ad annum* MD. Hag. Comit. MDCCXIX., cui tomo primo adjecit diſſertationem epiſtolicam ad Jo. Clericum de antiquis Quinctiliani editionibus; laborem hunc continuavit in *annalibus typographicis ab anno* MD. *ad annum* MDXXXVI. ibid. MDCCXXII.: in quo opere conficiendo quamvis celeberrimus auctor egregiam operam collocaverit; id tamen perfectum, atque omnibus numeris abſolutum minus potuit exhibere, quod nec ab ulla induſtria humana eſt exſpectandum. Quocirca doctiſſimi ac de bonis litteris egregie meriti viri extiterunt, qui ad hosce annales

emendandos atque augendos operam ſuam contulerunt: in his laudandi ſunt *Valentinus Erneſtus Loeſcherus*, cujus *ſtromateus* exhibet p. 134. *incunabula typographiæ recuſa*, ac p. 238. *ſupplementum ad annales laudati Maittaire*; *Jo. Georgius Schelhornius* cum in *miſcellaneis Lipſienſibus* tom. XII. p. 66., tum in *amanitatibus litterar.* tom III. p. 123.; ac *Jo. Henricus a Seelen* in elegantiſſimis *ſelectis litterariis* p. 547. ſeqq.: in hiſce libris memorantur quoque antiquiſſimæ editiones auctorum veterum Romanæ linguæ. Ratio etiam habenda eſt ipſorum celebriorum typographorum, de quibus legendi ſunt celeberrimus *Jo. Albertus Fabricius* in *bibliotheca latina* lib. IV. cap. 14. p. 885., ac volumine III. illius p. 890.; *Adrianus Bailletus* in *jugemens* tom. II. part. I.; *Burcardus Gotthelf Struvius* in *introductione ad rem litterariam* cap. XI. Fuerunt quoque, qui ſpeciatim de Stephanis eorumque vitis expoſuerunt, *Almelovenius* quippe de *vitis Stephanorum ad Grævium*, Amſtelod. MDCLXXXIII.; ac *Michaël Maittaire* in *hiſtoria Stephanorum*, Londini MDCCIX.: *correctorum in typographiis eruditorum centuriam* edidit *Joannes Conradus Zeltnerus*, Norimbergæ MDCCXVI.: de *erroribus typographicis* egit *Caſpar Lindenbergius*; vide *nova litteraria maris Balth.* MDCCVI. p. 12. menſ. januar.; adde *Groſcupfii* præfationem, quam præmiſit *collectioni librorum rariorum* p. 3. Denique & quodammodo huc ſpectant, qui de criteriis boni libri diſſeruerunt, uti celeberrimus *Burc. Gotthelf Struvius* noſter in *introductione ad*

rem

rem litterariam cap. v., & *Carolus Fridericus Buddeus* in *ſchediaſmate litterario de criteriis boni libri*, Lipſiæ MDCCXIV.

§. III.

Nobis animus eſt, de editionibus horum ſcriptorum generatim diſputare, & de dignitate illarum breviter diſſerere, quod ut fiat accurate, præmittamus quædam de ſignis bonarum editionum: hæc dividimus in *certa*, & *probabilia*. Quod ad caracteres adtinet, qui cum certitudine ſunt conjuncti, cum externa, tum interna editionis cujuſdam ratio eſt conſideranda: ad externam faciem pertinent typorum elegantia, chartæ nitor, & defectus vitiorum operarum, per quæ editio fit elegans, nitida & accurata: his virtutibus ſe commendant editiones *Manutiorum*, *Philippi Juntæ*, *Stephanorum*, *Wecheliorum*, *Jodoci Badii*, *Seb.* & *Antonii Gryphiorum*, *Frobeniorum*, *Mamnerti Patiſſoni*, *Chriſtophori Plantini*, *Franciſci Raphelengii*, *Elzevirorum*, *Hieronymi Commelini*, *Jo. Oporini*: horum editiones magno pretio dignæ ſunt, & ſæpius in comparationem librorum ſcriptorum evehendæ; namque eruditio & diligentia typographorum, qui libros hos proferebant in publicum, fuit ſingularis, quoniam non ſolum ipſi cultiſſimi erant litteris, ſed munus quoque libros ſuos corrigendi tradebant viris omni litterarum genere clariſſimis. Munere hoc functi ſunt præter alios *Fridericus Sylburgius* in officina Wecheliana; *Franciſcus Raphelen-*

gius, *Theodorus Pulmannus*, *Victor. Geſelinus* in Plantiniana; *Æmarus Ranconnetus* in Stephanorum, *Gothofredus Jungermannus* in Wecheliana, de quibus legendus eſt, quem paullo ante laudavimus; *Jo. Conrad. Zeltnerus* in *centuria correctorum in typographiis celebriorum*: hi conſulebant libros manu exaratos diligentiſſime, quumque ipſi hæc litterarum ſtudia ſibi haberent familiaria & publicæ doctrinarum utilitati ſtuderent, non poterat fieri, quin editiones nitidæ atquæ emendatæ prodirent. In quo dignitatis cenſu etiam debent haberi aſiæ editiones antiquiſſimæ, quæ non minus librorum manu exaratorum fidem habent, uti ſunt *Plinius* Veron. MCCCCLXVIII., Rom. MCCCCLXX., Venet. MCCCCLXXII. cura Jo. Andreæ Alerienſis in Corſica epiſcopi, Rom. MCCCCLXXIII., Parm. MCCCCLXXVI.: *Livius* Rom. MCCCCLXX. dicti Alerienſis epiſcopi, item MCCCCLXXI. & MCCCCLXXII., Mediolan. MCCCCLXXX.: *Lucanus* Rom. MCCCCLXIX.; *Silius Italicus* Rom. MCCCCLXXI.: *Celſus* Florentiæ, MCCCCLXXVIII.; *Gellius* Romæ MCCCCLXIX. cura Conradi Sweinheim & Arnoldi Panartz, Venet. MCCCCLXXII.; *Quinctilianus* Venet. MCCCCLXXI. apud Nic. Jenſon; *Virgilius* Venet. MCCCCLXXV.; *Salluſtius* Venet. & Pat. MCCCCLXXIV. Sub initia ſane typographiæ hi veteres auctores prolati ſunt in publicum ex codicibus ſcriptis: ſic liber *Ciceronis de officiis* impreſſus eſt per Joannem Fauſt, ejuſque exemplum in membrana excuſum Petrus Ramus habuit, in cujus extremo hæc erant adſcripta: *præſens M. Tullii cla-*

clariſſimum opus Jo. Fauſt Moguntinus Civis, non atramento plumali, canna, neque ærea; ſed arte quadam perpulcra, manu Petri de Gernsheim, pueri mei, feliciter effeci: finitum anno MCCCCLXVI. *quarta die menſis februarii*; quamvis typorum hujus ævi non ea fuerit elegantia, quæ in officinis operarum noſtra ætate nitet, arte hac magis ornata, emendata, polita. Noſtra ætate editiones præſtantia & typorum & chartæ excellunt *Belgicæ*, *Anglicæ*, *Oxonienſes* quippe e *theatro Scheldoniano* & aliæ, *Cantrabrigienſes*, *Gallicæ*, etiam interdum *Lipſienſes*: ſed quod ad accuratam librorum emendationem adtinet, librarii noſtri antiquioribus & qui ſuperiori ætate auxerunt rem litterariam, interdum ſunt inferiores, quum editiones Belgicæ, Gallicæ, etiam Anglicæ non ſemper vitiis careant, licet typis & charta ſint nitidiſſimæ. Quis eſt ex Germanis, qui exempla majorum ſuorum ſequitur, & libros emendate & polite exſcribit? apud Argentoratenſes *Riheliorum* & *Cephaleorum*: apud Baſileenſes *Frobeniorum*: Francofurtenſes *Wecheliorum*: Lipſienſes *Vœgelinorum*, ſi excipias *Jo. Fridericum Gleditſchium*, & *filium* eum *Thoma Fritſchio*.

§. IV.

Quodſi internam editionum indolem conſideramus, illas duplicis generis eſſe, deprehendimus: aliæ carent obſervationibus; aliæ illis ſunt ornatæ atque illuſtratæ. Editiones prioris generis ſunt bonæ, quum ſint

ſtudioſe emendatæ: emendatio adfert locis auctorum corruptis medelam, & vera a falſis, quæ & gloſſemata dicuntur, ſejungit; quod fieri poteſt duplici medicina, quarum altera eſt *uſus codicum ſcriptorum*, altera *ipſum ingenium*, quod conjecturas criticas ſuppeditat: Librorum manu exaratorum magna eſt utilitas, quum ex illis loca male ſana poſſunt ſanari, adeoque tam philologiæ, quam aliis litterarum ſcientiis clara lux accenditur; ipſorum quoque auctorum ſententiæ, ex quibus magna illorum bonæ exiſtimationis pars dependet, ex veritate vindicantur. *Thomas Reineſius* præfatione, qua *libros variarum lectionum* sereniſſimo Duci Saxoniæ Friderico Guilielmo dicavit, hanc nobiliſſimam litteraturæ partem his verbis laudavit: ars eſt, *in qua non niſi doctiſſimus quiſque & probatiſſimus, reique omnis humanæ peritiſſimus aliquid audere laudabiliter potuit. Hæc enim eſt, quæ ſcriptoribus ſua nomina reddit, ſua opera adjudicat, genuina a ſuppoſititiis diſcernit, rem quamvis obſcuram & quidquid tandem in quæſtionem cadit, exponit, quidquid ſciri poteſt, inquirit, ſententias examinat & diſſonantes conciliat, de verbis cenſet, & veritatem, quantum ejus in hac mentium caligine comprehendi poteſt, quovis in materia indagat, eruit, proponit, falſa, ἀθετεῖ, notat, circumſcribit, inſulta eiicit, tranſpoſita reſtituit, fugitiva revocat, prava emendat*. Has utilitates artis criticæ ſine libris manuſcriptis non ſemper capere poſſumus; namque occurrunt momenta, quibus neceſſe eſt, ut ad hos libros

con-

confugiamus, quorum *C.A.Heumannus* p.25. *parerg. critic.* quinque conſtituit: primum eſt, ubi lacuna quædam ſe offert & verborum pauca, ſive plura caſu quocumque ſunt omiſſa: ſecundum, ubi occurrit depravatum nomen proprium, cujus certo cognoſcendi nulla alia ſuppetit ratio; tertium, quum adſint gloſſemata; quartum, ubi duæ lectiones æque poſſunt eſſe veræ, nec una alteram probabilitate ſuperat; quintum, ubi codices male exarati pravæ lectioni occaſionem præbuerunt. Verum non ſancta illis debetur veneratio, quoniam nec antiquiſſimi libri a vitiis plane immunes ſunt. Codices ſolent corrumpi ab *ipſis ſuis auctoribus*, cum aberrante manu facile aliud ſcribere poſſunt, ac ſentiunt: a *ſcribis*, qui perperam audiunt, orthographiam & antiquiores litteras non ſemper adſequuntur; qui ſcribunt, quæ cogitant, non quæ audiunt: *a dictante*, qui modo ſcripturam non intelligit, modo ſine accuratiori animi adtentione monimentum legit, modo male pronuntiat, modo gloſſemata oræ libri adpoſita ipſi auctoris ſermoni interponit: a *librariis* & *criticis*, quum elegantem & nitidam ſcripturam emendatæ lectioni præferunt; quum officio corrigendi libros aut plane deſunt, aut illo ita funguntur, ut plura corrumpant, quam ſanent: a *vetuſtate*, quæ in libris in membrana, aut charta deſcriptis, vel plurium vocum, vel aliquot litterarum lacunas efficit; confer *Jo. Clericum arte critica* tom. II. part. 3. ſect. 1. *Cicero* ad *Quintum fratrem* lib.III. *ep.5.* de *latinis vero* (libris,

quos

quos ſibi comparari cupiebat Quintus) *quo me vertam neſcio, ita mendoſe & ſcribuntur & veneunt*. *Symmachus* lib.1. ep.18. ad Auſonium: *ſi te amor habet naturalis hiſtoriæ, quam Plinius laboravit, en tibi libellos, quorum præſentanea copia fuit; in qua, ut opinor, opulentia eruditioni tuæ negligens veritatis librarius diſplicebit: ſed mihi fraudi non erit emendationis incuria: malui enim tibi probari mei muneris celeritate, quam alieni operis examine*. *Paullus Manutius commentar. ad Cic.* lib.v. *ad fam. epiſt.*2. p.480. *nec vero librum ullum tam antiquum eſſe arbitror, qui omni prorſus vacet mendo, quippe cum ne illa quidem interdum, quæ a nobis cogitata ipſi noſtra manu ſcribimus, emendata ſatis videamus*: adde *Jo. Wouverium polymath*.cap.XVIII.,*Hottingerum analect*.p.343. ſeqq., *Carol.du Freſne præfat.gloſſarii latinitat. mediæ*. p.6. n.6., *Richard. Simonium* tom.IV. *bibl.crit.* ep.16.,*Joann.Clericum* c.l. cap.2. p.25. Quibus de cauſſis miramur cultum, quo nonnulli codices ſcriptos proſequuntur, ita ut quotquot poſſint reperire, conquirant, eos adeant ſubmiſſa veneratione, & quæcunque præ ſe habeant, probent, laudent, vindicent: hoſce perſtringit celeberrimus *Jo. Burc. Menckenius declamat. de charlatan.*, p.56. edit. II. *in primis vero cœlum ſe manibus tetigiſſe ac diis ſimillimos eſſe putant, quum in codicem quemdam veteri manu exaratum inciderint, quem, utut exeſos tantum litterarum ductus laceraſque chartas oſtendat, ſitque vel centies ab eruditis ſollicito ſtudio collatus, cum ingentibus divitiis & quicquid*

quid in rebus humanis eſt delitiarum permutare nolint : adde p. 104. cum notis. Duo ſunt præcipue, quæ critici in uſu codicum ſcriptorum merito obſervant, quum non ſolum ætatem illorum conſiderant; verum etiam ipſas ſcripturas, quas præ ſe habent, in quibus eligendis ita ſunt conſiderati, ut videant, num ſpeciem quamdam veritatis habeant ac cum ipſa re ac ſtilo auctoris conveniant? quocirca non omnes diſcrepantes ſcripturas colligunt: vitia ſcribarum diſcernunt a ſcripturis, quæ vera ſunt, aut tolerari poſſunt, omniaque ſecundum regulas probabilitatis criticæ ſedulo expendunt, licet codices ſint antiquiſſimi; nulla enim ætas privilegium veritatis habet, qua de re poſt hæc capite octavo, in quo de criticis latinis differere, decretum eſt, copioſius dicemus: nunc addimus verba *Petri Aurelii* in *reſponſione de canone Arauſicano ad Sirmondum* tom. III. p. 291. *debetur manuſcriptis eatenus fides; qua lux major & rerum graviorum explorata ratio nihil obſtat; debetur in dubiis, quum veritas aliunde nulla cernitur; debetur, quum eorum auctoritas nulla inſigniori præponderatur; debetur denique, quum nihil eſt, quo eorum errorem aperte coarguamus: alioquin, ſi vel dilucida ratio, vel ſanctior auctoritas, multo magis ſi rerum divinarum decreta, majorumque religio reclament, nemo eſt, quin manuſcriptorum codicum, non modo paucorum; ſed plurium etiam, ſeu voces, ſeu clamores, ſeu quaſcumque conſenſiones longe adſpernandas reſpuendaſque videat, & primum eorum unius, vel alterius errorem in ceteros manare potuiſ-*

ſe

ſe fateatur. Nam qui hoc negare velit, in eum eruditorum omnium conſenſu conſerentur illæ voces, quibus tu eos, qui aliquot tuorum manuſcriptorum fidem elevare audeant, aſperſiſti; non enim ſubeſſe manuſcriptis ideoneum criticum, ſed præeſſe decet, moderari, judicare, regere; nec imperitorum plurium ſcribarum veterno, eruditorum hominum judicia rerumque ſummarum amplitudinem mancipare. Hoc demum eſt, gnavum eſſe criticum, prudentem, eruditum, elegantem: nil criticum eſſe attinet; hypercriticum eſſe neceſſe eſt, qui vere criticus eſſe velit, tam judicio, quam nomine, tam re, quam officio. Qui enim nil niſi criticus ſit, mere criticus, κενοκριτικὸς litterularum & formularum grammaticus auceps, ſecularis litteraturæ quadam notitia tumidus magis, quam plenus, theologiæ ſanctorumque patrum ſcientia leviter tinctus, totus litteræ, totus chartæ ſervus, hunc criticorum omnis natio & in primis theologorum criticorum e choro ſuo exiget, neque tali ἀκρισία venerandum critici nomen inquinari patietur. Rerum juxta & litterarum peritum eſſe oportet, qui hoc nomen quærat, & judicio præterea ſummo quodam, quæ ipſa critici notio eſt, præcellentem: quem horum quodpiam deficiat, hunc manuſcriptorum codicum copia magis implicabit, quam juvabit; quo pauciores evolvet, hoc ſibi minus & aliis oberit; tam publicum quieſcendo demerebitur, quam alii laborando: quæ verba etiam adduxit celeberrimus *Jo. Alb. Fabricius* in *bibliogr. antiquaria* cap. v. p. 122. Illa igitur editio, quæ per codices ſcriptos accurate

ac

ac rite eſt emendata, laudem meretur, quoniam faciliori negotio ſententias auctoris adſequimur: obſervari quoque poſſunt diſcrepantes lectiones, ut lectores copiam habeant, iſtas examinandi; delectus tamen illarum inſtituendus, nec quæ per ſe vitioſæ ſunt, colligi debent.

§. V.

Altera medicina, qua utuntur critici in caſtigandis, atque emendandis libris, eſt ipſum ingenium, quando ſcriptis codicibus ſunt deſtituti. Hoc emendationis ſubſidium præcipue poteſt adhiberi, ubi loca auctorum ita aperte ſunt corrupta, ut ex ſtilo eorum, atque integra contexta oratione non obſcure pateat, quæ ſomenta illis debeant adhiberi. Sed qui hoc emendationis genus rite vult adhibere, caveat, ne primum labatur corrigendi temeritate & impetu ſine judicio, neve deinde prodat ſuperbum imperium, quo emendare omnes jubentur, ut illis videtur, aut quibus veluti certa, explorata, manifeſta, ſola vera obtruduntur, quæ deinde falſa, ſaltem incerta eſſe deprehenduntur. Ex his conſequitur, ut editiones illæ, quæ ope ingenii a doctis criticis, remota omni temeritate & ſuperbia, caſtigatæ ſint, in cenſu librorum bonorum debeant haberi: bona emendatio per codices conjuncta eſſe debet cum eruditione & judicio, & fugit cultum ſuperſtitionis erga ſcriptos libros; ubi autem deſunt codices, aut nullam lucem accendunt, requiritur ſimul ingenium ac neceſſe eſt, ut removean-

tur

tur temeritas ac ſuperbia: utraque emendatio in quibuſdam editionibus conjungitur, quum critici modo ope codicum, modo ingenii caſtigant & corruptis locis medentur. *Lucas Fruterius*, vir humanitatis ſtudiis clariſſimus, lib.1.cap.2.p.7. *veriſimilium* de ſe ipſo teſtatur: *doctiores hodie conquiſitis paſſim ſcriptis codicibus, auctoribus eamdem dignitatem reddunt, quam ſuis aliquando temporibus habuerunt: aut ſi id fallit, ingenio ſuo ad eam rem prudenter tractandam utendum judicant. Quæ ratio mihi (nam omnino libris manuſcriptis careo) pæne ſemper ſequenda fuit: nec pœnitet tamen conſilii, immo interdum juvat intelligere ab amicis meis, quibus manuſcriptorum feſtiva eſt copia, locum aliquem, quem ad illos miſeram, ita ſe habere in ſcriptis libris, ut ante multo conjeceram, legi debere.*

§. VI.

Quod ad editiones adtinet, quæ illuſtratæ ſunt obſervationibus, illas prioribus, quæ tantum emendatam lectionem præ ſe habent, neutiquam opponimus; ſed ita conjunctas eſſe cenſemus, ut bonæ editiones obſervationibus ornatæ debeant quoque correctæ eſſe & caſtigatæ, ſive per codices, ſive per ingenium id factum ſit. In auctoribus occurrunt cum argumenta & res; tum philologia & verba, quod utrumque adnotationibus poteſt explicari atque illuminari. Generatim interpretes in eo collocare debent ſtudium, ut obſervationes ſuas *ſolide*, *perſpicue*, & *prudenter* conſcribant, id eſt, ut adnotamen-

tis

tis ſuis vera & clara lux aut rebus ipſis, aut philologiæ accendatur: ut facile poſſint intelligi, nec nova interpretatione egeant: ut omnia, quæ haud neceſſaria, nec auctori utilia ſint, prætermittant. Quibus interpretum virtutibus oppoſita vitia attingit *Theodorus Gorallus*, ſive *Jo. Clericus præfatione C. Pedonis Albinovani*, quæ auctor *vitæ Clerici* Amſtel. MDCCXI. editæ p. 117. ſeqq. his verbis repetit: *primum eſt eorum* (interpretum) *vitium, qui aliud nihil præſtant, niſi quod varietates quaſdam lectionum, emendationes ex libris, aut conjecturas & loca aliorum ſcriptorum ſimilia, ſi forte occurrunt, proferunt; ſed alto ſilentio innumera, quæ interpretatione indigent, prætermittunt. Scio, eſſe nonnullos id genus homines, qui exiſtimant, ejuſmodi notas eorum eſſe, qui ſummum eruditionis faſtigium adtigerunt, qui minuta illa & puerilia omittere ſolent; nec diffiteor, fuiſſe viros ſummos, qui ejuſmodi notas ſcripſerint. Sed non ſequitur propter ea, eos utiliorem operam reipublicæ litterariæ navaturos non fuiſſe, ſi ita ſe geſſiſſent, ut fecere Juſtus Lipſius in Senecam & Tacitum, & Iſ. Caſaubonus in Teophraſtum & Perſium, ubi nullum paullo obſcuriorem locum intactum prætermiſerant. Recipimus tamen a Joſ. Scaligero ejuſmodique primariis viris, quæ dare voluerunt, quamvis plura cuperemus, quia ſcimus, omnia potuiſſe eos, ſi voluiſſent, interpretari: ſed a minutis quibuſdam criticis talia merito faſtidimus, cum volunt propterea magni viri a nobis haberi, quod quæ pluribus annis in paucula* lo-

loca ſcriptoris antiqui corraſerunt, velint, quaſi magna quædam merita & eximiorum ingeniorum ſœtus, nobis imputare, cum re vera ideo de aliis taceant, quod ea interpretari non poſſent, & neſciant quidem, unde eorum peti queat interpretatio: ſilentio illo ſuo non eruditionem produnt, ſed inſcitiam occultant, quamvis alia omnia ſimulent. Alterum vitium erat eorum, qui cum ad ſcriptorem ipſum nihil habent, quod dicant, in digreſſiones ad rem nihil facientes, dilabuntur, quibus intempeſtivam eruditionem oſtentant; ii ad quemvis ſcriptorem antiquum proferre poſſunt, quæ in eos, quos ſibi illuſtrandos delegerunt, convertunt, ſi modo eadē voces in eo occurrunt. Tertium delictum eſt eorum, qui ſeriem & nexum ſcriptorum nuſquam oſtendunt, ita ut lectores eorum opera rerum connexionem nequaquam adſequi poſſint: habemus poëtas, non ita pridem editos, & amplis quidem collectaneis locorum ſimilium, aut diſſimilium onuſtos, ſed neceſſariis ad loca obſcura intelligenda, nexumque orationis evolvendum, deſtitutos. Egregia ſunt hæc, quæ monet doctiſſimus *Clericus*, ac diligenter a quovis interprete veterum auctorum obſervanda; addimus merito, quæ de virtutibus horum interpretum ediſſerit clariſſimus *Chr. Falſterus* in *cogitationibus philolog.* p. 144. *oportet ſane hos, qui unum auctorem illuſtrare cogitant* I. in multorum auctorum lectione verſatos eſſe; *neque enim, qui Ciceronem edere inſtituit, ſola Ciceronis lectione contentus eſſe poteſt, quamquam in hac plurimus eſſe debet* II. variis artibus imbutos; *neque enim interpretatio Cicero-*

ronis rhetorices tantum ope indiget, ſed & hiſtoriæ, juriſprudentiæ, & quæ ſunt reliquæ philoſophorum diſciplinæ III. plurium linguarum cognitione inſtructos; *neque enim arcana Ciceronis excutere feliciter poteſt, qui latine tantum doctus eſt, græcarum aliarumque litterarum ignarus* IV. viribus ingenii, & judicii pollere; *ut vera a falſis diſcernat, vitioſa prudenter caſtiget, ſuamque auctori mentem integram, dictionem emendatam relinquat. Breviter ut dicam, quod ab idoneo & diligenti exegeta poſtulatur, ut ſacram ſcripturam intelligat, intellectam perſpicue tradat, fideliter enodet, docte illuſtret; id ab interprete profanarum litterarum poſtulari merito poſſe videtur.* Quod adtinet ad ipſas obſervationes, illarum duplex eſt genus, quum aliæ ſpectant ad res, aliæ verba ſcriptorum, quos interpretantur: quæ ipſas auctorum res illuſtrant, iterum varii ſunt generis pro diverſa rerum indole. Præter princeps argumentum, in quo exponendo verſantur veteres ſcriptores, occurrunt varia ex antiquitatum, geographiæ, hiſtoriæ litterariæ ſcientiis capita, quæ non ſemper explicata ſunt; quid ex hac diverſa rerum copia ſit eligendum atque explicandum, ex fine, qui interpreti propoſitus eſt, debet dijudicari; namque alii eo nomine illuſtrant veterum monimenta, ut juventutis utilitati inſerviant, propter quam nec antiquitatum, nec geographiæ momenta inevoluta debent prætermitti. Alii commentarios ſuos doctiorum ingeniis conſecrant, quæ in litteris antiquitatum aliarumque diſciplinarum ſunt exercitatiſſimas;

ra : ſunt quoque, qui & utilitati cum adoleſcentum, tum provectiorum ætate ingenioque invigilare ſtudent. Quod ad princeps auctoris argumentum adtinet, illud poteſt partim *explicari*, ut connexio, errores, obſcura clarius oſtendantur; partim *illuſtrari*, ut alii auctores ejuſmodi argumenti, eorumque ſententiæ adferantur: quibus accedat interpretis *prudentia*, quæ jubet, ubique brevitatem ſectari ac omnes digreſſiones, quæ ingenia perturbant ac commentarios juſto ampliores efficiunt, devitare; ſedulo conſiderandus eſt ſcopus, qui non eſt, ut omnem eruditionis copiam oſtendamus, ſed ut auctori intelligendo lucem adferamus. Adnotationes, quæ ad verba pertinent, ſunt vel *grammaticæ*, vel *philologicæ*, vel *criticæ*: obſervationes *grammaticæ* eo ſpectant, ut locutionum conſtructiones, ſignificationes & alia, quæ de iſtis pertinent ad grammaticam, interpretentur: *philologicæ* explicant vocum ac phraſium auctoritatem, attingunt controverſas ſignificationes, ac quæ ad ſtilum ac latinitatem auctoris pertinent, obſervant: denique ſi quis obſervationes *criticas* velit adjicere, verſatur modo in ſcripturis codicum, quæ pro diverſa illarum indole vel vindicari poſſunt per ſuffragia aliorum codicum, ipſius contextæ orationis ac ſtili auctoris; vel rejici, ubi iterum rationes, cur ſcripturas declaremus falſas nec genuinas, proferendæ ſunt; modo in conjecturis criticis, in quibus ſtabiliendis ea argumenta ſunt colligenda, quæ efficiunt probabilitatem. In omni harum obſervationum genere in eo elaborandum

dum eſt, ut ſolide, perſpicue, & prudenter proponantur. Præſtantia autem editionum, quæ hujuſmodi ornantur commentariis, ex fine interpretum debet judicari, quum alii laborem ſuum juvenibus, alii doctis ingeniis conſecrent, quorum ſingulæ editiones bonæ ſunt, ſi ſolide, perſpicue & prudenter confectæ, quamvis tantummodo commentarios grammaticos, modo philologicos, modo criticos complectantur: verum quævis editio lectionem emendatam præferre debet, ſive obſervationes inſerviant uſui ſcholarum, ſive muſis altioribus clariſſimorum virorum. *Chr. Cellarius epiſtol. ſelectior.* p. 37. de commentariis ſuis ad Minucium Felicem ita loquitur: *Quod ad noſtras adnotationes pertinet, quæcunque interprete nobis viſa ſunt indigere, declaravimus perſpicue, ad tria animum advertentes, ut primum emendationis rationem reddamus, quo auctore & cujus conſilio vel hanc, vel illam lectionem aliorum ſcripturæ præferamus; deinde ut hiſtoriam atque fabulas, ſi quæ obſcuriores ſunt, illuſtremus; tandem latinitatis, ſi qua rarior occurrit aut difficilior, rationem habeamus*: quæ interpretandi ratio egregia omnino eſt, quam ſi quiſque interpres rite ſequeretur, haberemus utiliſſimas editiones. Alia ornamenta editionibus auctorum accedere poſſunt, quæ non minus rem litterariam adjuvant: quo pertinent diſſertationes de vita, editionibus & ſtilo ſcriptorum, quippe quas præmittere, non ab re eſt; item indices rerum, præcipue latinitatis, quorum conficiendorum ratio ea obſervanda eſt, ut non trita & ubivis obvia vocabula,

ſed ſi qua latinitatis raræ, aut difficilioris, aut eleganticris occurrant, complectantur. Fuerunt quoque nonnulli, qui variis iconibus, numis libros ſuos ſplendidos fecerunt; quod de *fabulis Phædri Davidis Hoogſtratani*, *Curtio Samuelis Pitiſci*, *Floro J. G. Grævii*, *Svetonio* ejuſdem *Grævii* & *Pitiſci*, *Julio Cæſare Grævii*, & *Samuel. Clarckii* aliorumque conſtat. Verum utilitas ſæpe mediocris eſt, quam imagines hæ cultoribus rei litterariæ adferunt; immo augent pretia talium librorum eoſque efficiunt ſumtuoſiores, quam multorum res attenuatæ ferunt: quid? colligunt figuras ex aliorum monimentis, quæ in manibus eruditorum jam verſantur, & ſæpe ea ſunt indole, ut magis ad ſplendorem, quam genuinum litterarum uſum pertineant. Sed tamen de omni imaginum genere haud adfirmamus, quod nullius ſint utilitatis, quoniam, inter illas occurrunt nonnunquam, quæ rem litterarum poſſunt ornare, prout icones ſunt veterum monimentorum in *Svetonio Grævii*, in quibus eminet columnæ roſtratæ imago in æs inciſa ad lib. II. cap. 2. cum Ciacconii ſupplementis, monimentum latinæ linguæ properrodum antiquiſſimum. Illorum præcipue inſtitutum laude dignum eſt, qui tabulas geographicas addunt, & beneficio illarum juventuti viam parant ad geographiam antiquam facili negotio cognoſcendam. Editiones igitur, quæ ſcripturas & lectiones habent caſtigatas; ornatæ ſunt commentariis, qui res ipſas & philologiam illuſtrant, idque ſolide, prudenter & perſpicue; eleganter

& accurate impreſſæ ſunt, & ſecum habent diſsertationes de vita & ſtilo auctoris, etiam copioſos indices rerum & latinitatis; illæ, inquam, editiones maximæ ſunt dignitatis.

§. VII.

Solent alia ſigna obſervari, ex quibus libri cujuſdam præſtantia ſit cognoſcenda: ſunt iſta varia ac diverſa; nimirum ſi auctor ſit eruditionis fama celebris, & eo inprimis litterarum genere excellat, ex quarum diſciplinis libri argumentum petitum; ſi amplisſimum librorum adparatum poſsideat; multum conſumſerit temporis; ipſe liber a viris & eruditionis & fidei laude claris laudetur; ab auctore ætate provecta ſit confectus; ſæpe recuſus & in alias linguas translatus, ut de aliis taceamus, de quibus copioſe agit *Burc. Gotth. Struvius* in *introductione* cap. v., & *Car. Frid. Buddeus* dicto *ſchediaſmate* p. 6. ſeqq. Horum caracterum ea eſt ratio, ut ſæpe fallant nec in ſe, ſi conjunctim adplicantur, aliud quid, niſi probabilitatem efficiant: quibus nec opus eſt, quando quis copiam habet ipſos libros evolvendi, ac de præſtantia illorum judicandi. Quod ſpeciatim ad primum ſignum, cujus mentionem feci, adtinet, probabile quidem eſt, quod a viro fama atque eruditione conſpicuo aliquid excellens ac præclarum ſit ſperandum; ſed interdum res aliter evenit, as ſperavimus; namque interdum bonus Homerus dormitat: eleganter *Quinctilianus* lib. x. cap. 1.

ner-

neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia quæ magni auctores dixerint, utique eſſe perfecta: nam & labuntur aliquando & oneri cedunt, & indulgent geniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animos & nonnunquam ſatigantur, quum Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio vero etiam Homerus ipſe videatur. Nec certius eſt ſignum petitum a librorum adparatu, quem auctor poſſideat, licet multi ſibi certo perſuadeant, editiones veterum auctorum fore præſtantiſſimas, ſi ſciant, adhibitum fuiſſe uſum codicum ſcriptorum: ſane nec ſola codicum ſcriptorum copia, nec ſolus librorum adparatus ſufficit: conſtat, quod codicem fabellarum Phædri majori uſurpaverit uſu doctiſſimus *Marq. Gudius*, quam antea illius ope uſus fuerat *Rigaltius*: vide D.G. *Morhofium polyhiſtore litterario* lib. 1. c. 7. n. 3. Multi veram negligunt rationem, codices manu exaratos adhibendi, atque ex illis libros emendandi. *Conradus Ritterhuſius ad Oppianum* dicit: *non ſtatim pro vera quælibet lectio recipienda eſt, dummodo in libro ſcripto, quantumvis antiquo reperiatur: ſed judicio accurato & diligenti circumſpectione utendum eſt, quid auctore dignum eique conſultum eſſe videas: adoratiſque etiam veſtigiis falſarum lectionum paulatim ad cubilia verarum penetrandum.* Alii parvi faciunt ſcriptos codices quamvis illorum copiam poſſent nanciſci: in vita Antonii Walæi p. 614. edit. Beſianæ dicitur: *maxime æſtimabat bibliothecam Mſſ. auctorum, ad quam illi liber aditus per virum clariſſimum Janum Gruterum,*

rum, conterraneum ſuum, patuit: verum ad collationem manuſcriptorum cum impreſſis plane animus non inclinavit: nimia varietate lectionum alienus ſæpe ſenſus auctoribus affingitur; & niſi in locis tantum ſit maximi momenti, inglorius prorſus eſt labor, nec pluris eſt æſtimandus, quam eorum, qui indices conficiunt. Tertium argumentum boni libri ſumtum a tempore, quod auctor in conficiendo libro conſumſit, non magnam probabilitatis ſpeciem præ ſe habet. Ingeniorum indoles diverſa eſt: alia tardius ſua litterarum negotia exſequuntur; alia promte & ſine cunctatione, ut de multis cauſſis taceamus, quæ laborem graviſſimorum virorum interrumpant, quod de *Jo. Lockio* ejuſque opere de *intellectu humano*, & *Dalechampii verſione latina Athenæi* conſtat: attamen *Jo. Harduinus* præclara in *Plinium*, item *Ezech. Spanheimus* in *Julianum* excluſerunt, qui in commentariis ſuis multum temporis conſumſerunt. † Quartum caracterem, ſi libro cui-

† *Ab erudito omnino laborandum eſt, ut habita ratione argumenti viriumque ſuarum nec nimis ſibi fidens ſcyllam; nec nimis ſibi diffidens carybdin ſecurus devitet. Joachim. Fortius Ringelbergius* de *ratione ſtudii* c. XXIV. *librum edituro hoc ſuppeditat conſilium:* dic chalcographis, parent ſeſe, librum te dare velle excudendum, etiamſi ne paginam quidem paraveris: tum facile totam voluminis ſpeciem animo concipere, inde ſingulas partes leviter in commentarium argumenti modum deſcribere, denique quoti-

die

cuidam ampliſſimorum virorum, qui & poſſunt & volunt vere judicare, haud deſunt egregia judicia, probabilitatis vim in ſe continere; minus vero quintum exiſtimamus: dantur quippe ingenia præcocia, quod exempla Danielis Heinſii, Claudii Salmaſii, Hugonis Grotii, Petri Lambecii & aliorum probant, qui in adoleſcentiæ ætate veteres auctores interpretati ſunt, id quod de Theodoro Grævio, Jo. Georgii filio etiam conſtat, qui nominis ſui memoriam propagavit ad poſteros elegantiſſima *Callimachi* editione: de aliis caracteribus, diſſerere hujus loci non eſt.

§. VIII.

Hiſce præmiſſis, quæ generatim de virtutibus ac vitiis editionum veterum auctorum ediſſeruimus, accedimus ad ipſos interpretes eorumque commentarios breviter enarrandos: ſunt illi vel antiquiores, vel recentiores. Ævo vetuſtiori grammatici eo quoque fungebantur munere, ut difficiliora ſcriptorum loca interpretarentur, ſuamque operam præcipue ad poëtas, qui obſcuriores eſſe ſolent, conferrent: nomina nonnullorum in antiquis monumentis ac libris ſunt conſervata; quorundam etiam ipſi commentarii, aut frag-

men-

die, quantum illis ſatis erit, abſolvere poteris: quum ſic inceperis aliquid, perficere debes, velis nolis; *quem ſcribendi modum Salmaſium, Cardanum & alios obſervaſſe, dicunt.*

menta ſuperſunt. Sic *Plautus* illuſtratus fuit ab *Aruntio Celſo*, *Flavio Capro*, *L. Siſenna*; indices autem fecerunt *Vulcatius Sedigitus*, *L. Ælius*, *Claudius* quidam, *Accius*, & *Aurelius*, itemque *Manilius*, quos commemorat *A. Gellius*. *Terentius* vero illuſtratus eſt ab *Helenio Acrone Adeſione*, ut dicitur apud *Donatum*, *Aſpro*, *Flavio Capro*, *Aruntio Celſo*, *Annæo Cornuto*, *Evanthio*, *Nigidio Figulo*, *Valerio Probo*: inter hoſce Terentii interpretes inprimis celebres ſunt *Donatus*, & *Eugraphius*: illius obſervationes in ſolas quinque comœdias habemus, nec integras fortaſſe, ſed e Donato aliiſque excerptas, uti obſervat *Jo. Albertus Fabricius in bibliotheca latina p.* 30.: *Eugraphii* nonnulla edidit *Gabriel Faernus*, locupletiora vero *Fridericus Lindenbrogius*, de quo itidem *Fabricius* dicto loco egit. Illuſtris *Virgilii* interpres eſt *Servius*, de quo legenda eſt præfatio elegantiſſimæ editionis Virgilii adornatæ a *Pangratio Maſſevicio*, MDCCXVII.: eundem poëtam quoque explicarunt *Tiberius Claudius Donatus*, ac *Probus* quidam. *Ciceronis* orationes aliquot commentariis ornavit *Aſconius Pedianus*: *Horatium* vero *Helenius Acron*, & *Pomponius Porphyrion*: ad *Perſium*, ac *Juvenalem* hanc operam contulerunt incerti auctores; ad *Statii Thebaidem Luctatius*, ſive *Lactantius Placidius*.

§. IX.

Poſtquam bonis litteris, abſterſis barbariei ſordibus, ac tenebris, quibus media æta-

te

te omnes muſæ, præcipue elegantiores erant circumfuſæ, diſpulſis, priſtina dignitas reſtituebatur; graviſſimi harum litterarum antiſtites exſtiterunt, qui egregiam ſuam operam in proferendis antiquis latinis ſcriptoribus collocarunt, eorumque codices in bibliothecis, cœnobiis, aliiſque locis, ubi muribus, ac tineis cibum, pulveri vero domicilium præbebant, ab interitu vindicarunt. Horum virorum nonnulli ſunt recenſendi: ſic

Franciſcus Petrarcha reperit Vercellis *Ciceronis epiſtolarum ad diverſos* libros XVI., & totidem *ad Atticum*, quibus poſterioribus inventis exclamavit, *ſe tandem agnoſcere Ciceronem, præcipitem & calamitoſum ſenem*:

Simon Grynæus, qui Heidelbergæ, & Baſileæ litteras ſacras, atque humanas docuit, primus lib. XLI. ac quatuor proximos *Titi Livii* in editione Baſileenſi MDXXXI. ex codice antiquiſſimo monaſterii Wormatiæ Lauriſſeni edidit:

Beatus Rhenanus, qui primos quoque libros *Velleii Paterculi* ex manuſcripto codice Murbacenſi, additis obſervationibus, in lucem publicam protulit. In primis ſunt inſignia merita

Poggii, qui quum Conſtantiæ verſaretur, in monaſterio Sancti Galli invenit *Quintiliani* codicem ceteris multo uberiorem, tametſi in quibuſdam locis deficientem: ita rem narrat *Jovius*, & ex *Ger. Jo. Voſſius* de *hiſtoricis latinis* p. 500., licet una cum *Silio Italico* in Germania inventum fuiſſe, referat *UGolinus Verinus* de *viris illuſtribus Florentin.* lib. II.: nonnulli addunt, inventum eſſe huncce codi-

di-

dicem ſub ſalſamentarii cujuſdam menſa latentem; hinc *Gabriel Naudæus* de *inſtituenda bibliotheca* p.118. *novimus, quod Poggius invenit Quinctilianum ſub menſa cujuſdam ſalſamentarii cum in Concilio Conſtantienſi ageret: ſic & Papirius Maſſon incidit in Agobardum apud bibliopolam quendam, qui jam jam dorſa librorum eo conveſtire volebat: pariter Aſconius ſimili fato ad manus noſtras pervenit*: ſed hoc alii negant. Porro hic *Poggius* ad lucem produxit *Aſconii commentarios*: partem *L. Columellæ*: *Lucretium*, quamvis non integrum: libros I. II. III. & partem quartam *Valerii Flacci*, de quo ex codice Laurentii Pignorii *Ger. Jo. Voſſius* de *hiſtoricis latinis* dicit. *C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum eſt in monaſterio S. Galli prope Conſtantiam* XX. *millibus paſſuum, una cum parte Q. Aſconii Pediani. Deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat perfectum, nos quod potuimus, egimus*: neque non quasdam *Ciceronis orationes*, *pro Cæcinna*, *de lege agraria*, contra *Rullum*, *ad populum contra legem agrariam*, *in Lucium Piſonem*, *pro C. Rabirio perduellionis reo*, ac *pro Roſcio Comœdo*: *Ciceronis* quoque libros de *finibus bonorum & malorum*, ac de *legibus*: *Sext. Julium Frontinum* de *aquæ ductibus*, quē invenit in Bibliotheca montis Caſſini, quo in Monaſterio idem hic codex eſt ad hæc uſque tempora, teſte *Jo. Mabillonio* in *muſeo italico* tom. I. p. 133.: *Silium Italicum*, cujus codicem latentem in quadam turri tempore Concilii Conſtantienſis repertum fuiſſe, refert *Lilius Gyraldus* in *dialog.* IV. de *poëtar.*

hiſtor., adde *Arnoldi Drakenborch præfationem* doctiſſimam ad *Silium Italicum*. Præter hos libros e ſqualidi carceris horrore liberavit *Marcum Manilium* poëtam, *Marcellinum*, *Nonium Marcellum*, *Manilium* aſtronomum, *L. Septimium Caprum*, *Eutychium*, *Probum* grammaticum, *Tertullianum*: confer Poggii vitam cura *Jo. Baptiſtæ Recanati* præmiſſam illius *hiſtoriæ Florent.* Venet. MDCCXV. cap. VI., qui de hac re accurate atque eleganter diſſerit.

§. X.

Nunc accedimus ad enarrandos, qui recentiori ævo operam ſuam contulerunt ad veteres ſcriptores latinos emendandos ac commentariis illuſtrandos, quorum quum magnus ſit numerus, illos ordine regionum obſervato, diſtincte recenſere animus eſt. *Gallia* ſemper ferax fuit bonarum litterarum, cui quoque editiones veterum ſcriptorum elegantes debemus: namque dignitatem præ ſe habent libri editi cura *Jodoci Badii*, qui & *Aſcenſius* dictus eſt, viri linguarum græcæ & latinæ intelligentiſſimi; & *Roberti Stephani*, qui multos ſcriptores ejus generis protulit, Terentium, Plautum, Nepotem, Varronē Ciceronem, Salluſtium, Virgilium, Horatium & alios, in quibus recenſendis, emendandis, & renovandis neque eruditione, qua valuit mire, neque diligentia deeſſe, a ſe potuit impetrare; & *Henrici Stephani*, cujus editio *epiſtolarum Ciceronis ad diverſos cum notis Paulli Manutii*, & *Lambini*, *at-*

que

que Hieron. Ragazoni ſive Sigonii, additis Guil. Canteri explicationibus aliquot locorũ & emendationibus, ipſiuſque Stephani commentario de variis generibus epiſtolarũ Ciceronis variaque earum ſcriptione MDLXXVII., præter alios libros ſumma exiſtimatione digna haberi debet: nec incelebris eſt *Mamertus Patiſſonius*, Rob. Stephani filii ſocius, cujus typographiam poſtea accepit. Recentiori autem ætate nitidiſſimæ editiones in Gallia in *uſum Delphini* publicari cœperunt. *Carolus Sanctamauræus* Montauſeri Dux, *Jacobus Benignus Boſuetus*, Epiſcopus Condomienſis atque inde Meldenſis, & *Petrus Daniel Huetius* celeberrimus vir, omne genus virorum, etiam feminarum, litteratura elegantiori eminentium amplioribus præmiis ad id invitarunt, ut auctores veteres primum fide ſcriptorum librorum caſtigatos, deinde luculenta interpretatione explicatos, tum animadverſionibus & notis, ſive ſint ex hiſtoriis, ſive philologia & critica depromtæ, illuſtratos, & denique maxime copioſis indicibus munitos, non ſuis ſolum civibus, ſed toti erudito orbi juris publici facerent. Conſilia hæc bonis litteris in ſe fuerunt ſaluberrima, nec feliciori deſtituta ſucceſſu: horum quippe auctoritate publicam lucem adſpexerunt multi ſcriptores latini emendati, atque interpretatione notiſque atque copioſiſſimis indicibus adornati, quos ſecundum ordinem annorum, quibus prodierunt, additis nominibus interpretum, heic recenſebimus:

L. Annæus Florus ab *Anna Tanaquilli Fabri* filia, MDCLXXIV.

C. Salluſtius Criſpus a *Daniele Criſpino*, MDCLXXIV.

P. Terentius a *Nicolao Camo*, MDCLXXV.

Phædrus a *Petro Daneto*, MDCLXXV.

P. Virgilius Maro a *Carolo Ruæo* MDCLXXV.

Cornelius Nepos a *Nicolao Courtino*, MDCLXXV.

Vellejus Paterculus a *Roberto Riguezio*, MDCLXXV.

Panegyrici veteres a *Jacobo de la Baune*, MDCLXXXVI.

Cl. Claudianus a *Gulielmo Pyrrho*, MDCLXXVII.

Juſtinus a *Petro Joſepho Cantelio*, MDCLXXVII.

Q. Curtius a *Michaële Tellierio*, MDCLXXVIII.

Julius Cæſar a *Jo. Godvvino*, MDCLXXVIII.

Valerius Maximus a *Petro Joſepho Cantelio*, MDCLXXIX.

M. Accius Plautus a *Jacobo Operario*, MDCLXXIX.

M. Manilius a *Michaële Fayo*, MDCLXXIX.

T. Lucretius Carus ab eodem, MDCLXXX.

Dictys Cretenſis, & Dares Phrygius ab *Anna Tanaquilli Fabri* filia, MDCLXXX.

A. Manl. Sev. Boëtius a *Petro Callyo*, MDCLXXX.

Martialis a *Vincentio Colleſio*, MDCLXXX.

Sex. Pomp. Feſtus, & M. Verrius Flaccus ab *Andrea Dacerio*. MDCLXXXI.

Sextus Aur. Victor ab *Anna Tanaquilli filia*, MDCLXXXI.

Aulus Gellius a *Jacobo Prouſtio*, MDCLXXXI.

Ti-

Titus Livius a *Jo. Doviatio*, MDCLXXIX. MDCLXXX. MDCLXXXI.

Cornelius Tacitus a *Juliano Pichon*, MDCLXXXII.

Horatius, privato conſilio a *Petro Rondello*, MDCLXXXI., & poſt eum a *Ludovico Deſprez*, MDCLXXXIII.

Eutropius ab *Anna Tanaquilli Fabri* filia MDCLXXXIII.

Ciceronis orationes a *Carolo de Meroville*, MDCLXXXIV.

Pap. Statius a *Claudio Beraldo*, MDCLXXXIV.

Juvenalis, & Perſius a *Ludovico Deſprez*, MDCLXXXIV.

Svetonius ab *Auguſtino Babellonio*, MDCLXXXIV.

Catullus, Tibullus, Propertius a *Philippo Sylvio*, MDCLXXXV.

Ciceronis epiſtolæ ad diverſos a *Philippo Quartier*, MDCLXXXV.

Plinius a *Jo. Harduino*, MDCLXXXV.

Ciceronis ſcripta rhetorica a *Jacobo Prouſtio*, MDCLXXXVII.

Prudentius a *Stephano Chamillardo*, MDCLXXXVII.

Apulejus a *Juliano Florido*, MDCLXXXVIII.

Ovidius a *Daniele Criſpino*, MDCLXXXVIII.

Hæ editiones ſæpe non ſolum in Gallia, verum etiam in Anglia, Italia, ac Belgio recuſæ ſunt, quas ſingulas ut recenſeamus, inſtituti ratio haud permittit, inprimis quum illarum notitia ſit haurienda ex *Jo. Alb. Fabricii biblintheca latina*. Diverſæ ſunt eruditorum virorum ſententiæ de dignitate

harum editionum: non defuerunt, qui iſtas vitiis ſuis haud carere obſervarunt. *Joſephus Juventius*, ſociet. Jeſu adſcriptus *præfatione Horatii* Pariſ. MDCXCVI. editi has editiones ita perſtringit: *quod ſpectat ad rationem, quam interpretando ſecutus ſum, nolui eam nimis eſſe exanguem & jejunam, qualem cernere eſt in iis commantariis, quæ haud ita pridem exierunt, in quibus interpretatio fere eſt horrida & hirſuta, cum verbum verbo religioſe ac putide potius reddit. Jo. Clericus* tom. I. *Parrhaſ.* fatetur, quod hi interpretes codicum & librorum corruptorum fidem fuerint ſecuti, quorum indices etiam meliores eſſent, ſi omiſſa forent communiſſima vocabula. *Jacob. Gronovius præfatione ad opera Ciceronis: ſed neque ulla genere approbare poteram laborandi genus, quod ſereniſſimo Delphino ſuſtinent offerre Galli; præterquam enim, quod nihil prorſus ad poliendum Ciceronem in locis etiamnum dubiis adferunt, tum illi, quibus iſte labor commendatus eſt, non videntur tales eſſe, ut ullos egregios & ad hanc rem neceſſarios profectus in bonis ſtudiis collegiſſe ſint putandi: ut verbo dicam, non geographica, non hiſtorica, non latina ullo bono more illic adminiſtrantur. Michaëlem Fayum*, qui interpretatus eſt Lucretium, *Thomas Creechius*, ſocius Collegii omnium animarum in academia Oxonienſi, qui ſibi ipſe necem MDCC. conſcivit, notat, *barbara interpretatione inceſtaviſſe latinum poëtam, in contextu uni Pareo fidere; eas vero adjeciſſe notas, quæ philoſophum faciunt ſæpe abſurdum, ſe ipſum ſemper ridiculum. Philippus Sylvius*

in-

interpres Catulli, Tibulli, Propertii paſsim reprehenditur a *Jano Brookhuſio* in *Propertium*, & *H. Leon. Schurzfleiſchio* in *obſervationibus ad Thaddæi Donnolæ diſſertationem de patria Propertii*, wittemb. MDCCXIII.; adde *Spanhemium* ad *Callimachum* p. 424. , & *Diſpontini præfationem collectaneorum ad Phædrum*. Nec variorum cenſuram effugere potuit editio epiſtolarum Ciceronis ad diverſos cura *Philippi Quartier*. *Jo. Godvvinus*, qui Cæſarem illuſtravit, malus aliquando & cæcus dux dicitur a *Jo. Daviſio*. *Danielem Criſpinum*, qui Naſonem edidit, ob indicem notat *Thomas Crenius animadv.* par. III. p. 1. ſeq. Nec negari poteſt, quod nonnulli horum interpretum officio ſuo haud rite ſatisfecerint: barbaræ ſunt interdum paraphraſes, ac difficiliores ad intelligentiam, quam ipſius auctoris verba: nec editiones ubique ſunt emendatæ; ac quas adjecerunt obſervationes, multa obſcura inevoluta, quæ præſertim ex hiſtoria, atque antiquitate erant illuſtranda, relinquunt: quid autem in indicibus harum editionum fuerit deſideratum, ſupra jam obſervavimus. Sed tamen fuerunt ex hiſce interpretibus, qui egregiam operam in interpretandis antiquis ſcriptoribus collocarunt, quorum merita omnino ſunt laudanda: eximium eſſe opus editionem Plinii, quam *Jo. Harduinus* adornavit, ac curis poſterioribus illuſtriorem reddidit, fama, quam ex iſta ſibi comparavit, teſtis eſt; hinc *Thomas Crenius cit. libro* part. VII. p. 11. 12. ſcribit: *Jo. Harduini Jeſuitæ Plinius in uſum Delphini editus, ſolus omnes inter*

ter

ter libros illos, qui in uſum Delphini prodierunt; *æſtimatur a me, utpote in quo multa bonæ frugis materia; etſi non ignoro quoque defectus illius libri, ac errores auctoris, de quibus hic adſerre multa, locus non eſt;* adde *acta eruditor.* MDCLXXXV. p.452., *Jo.Alb.Fabricium bibl.latin.* p.409., cum *Noriſii paræneſi ad Harduinum* p. 150., & *La Croze* in *vindiciis veter. ſcriptor.* p.203. Præter Harduinum famam nominis, & laudem conſecuti ſunt *Carolus de Merovílle* de Ciceronis orationibus: *Jo.Doviatius* de Livio: *Carolus Ruæus* de Virgilio: *Jacob. de la Baune* de duodecim panegyricis antiquis; *Michaël Tellerius* de Curtio. Num ab hac nobiliſſima gente reliquos ſcriptores veteres, rei ruſticæ auctores, Catonem, Varronem, Columellam, Palladium, Ciceronis ſcripta philoſophica, ejuſdem ceteros epiſtolarum libros, Vitruvium, Julium Hyginum, Pomponium Melam, Senecam utrumque, Lucanum, Petronium, Quinctilianum, Plinii epiſtolas & panegyricum, Julium Frontinum, hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, Ammianum Marcellinum, Vegetium, Macrobium, Auſonium, Symmachum, Sidonium Apollinarem, exſpectare poſſimus, nec ne? non liquet: vide præter laudatos auctores de his editionibus *Adrian. Bailletum* in *jugem.* tom. II. part.2. p.555. & *Jo.Sartorium* de *oſtraciſmo litterario* n.11. ſeq.

§. XI.

Alii ſunt ex Gallorum gente viri eruditione meritiſque clariſſimi, qui operam ſuam

his

his antiquis ſcriptoribus addixerunt, ut illis adferrent lumen per obſervationes: ex illis quidam ſunt nominandi, ac laudandi. Igitur meriti ſunt *Nicolaus Abramus*, e ſocietate Jeſu & vir in humaniori litteratura exercitatus de Cicerone, & Virgilio: *Jacobus Bongarſius* de Juſtino. *Iſaac. Caſaubonus* de Perſio, cujus commentarius Scaligero videbatur divinus: *Jac. Dalechampius*, clariſſimus Galliæ medicus & amator bonarum litterarum de Plinio majore, quamvis multa illius corruperit: *Tanaquill. Faber* de Lucretio, Terentio, Virgilio, Horatio, Phædro, qui codicum ſcriptorum haud admirator fuit: *Fr. Hottomannus*, Pariſienſis, quive obiit Baſileæ, de Cicerone, Cæſare, Aſconio Pediano: *Joſephus Juvencus*, e ſocietate Jeſu, vir egregius, de Terentio, Horatio: *Dionyſius Lambinus* de Plauto, Lucretio, Cicerone, Horatio, Cornelio Nepote, ex cujus commentariis ille, quo Horatium interpretatus eſt, maximum fecit ſibi locum, in Cicerone non raro lapſus eſt: *Frid. Morellus* de Cæſare Germanico, Statio, Cat., Tibullo, Propertio: *Jan. Paſſeratius* de Catullo, Tib., Propertio: *P. Pithæus* de Phædro, Perſio, & aliis: *Nic. Rigaltius* de Phædro; *Joſ. Scaliger* natione Gallus, de Catullo, Tibullo, Propertio, Varrone, Cæſare, Manilio, Martiale: *Adr. Turnebus* de Quinctiliano, Varrone, Cicerone. Hæc ſufficiant de Gallorum meritis, quæ tantum ſtrictim, non copioſe recenſere volui: plures alii reſtant, itidem laudandi, quorum longior index a noſtro inſtituto alienus eſt.

§. XII.

§. XII.

Angli, quibus elegantiores litteræ multum debent, etiam ſummo ac laudabili ſtudio in eo elaborant, ut veterum auctorum monimenta in lucem prodeant caſtigata atque emendatiſſima. Abundat Anglia copioſis, & nobilibus bibliothecis, quas ſcripti libri & antiquitate & elegantia præſtantes multum ornant; nec deſunt illi typographiæ, e quibus prodeant libri, ſplendidam nitidamque præ ſe habentes faciem: in primis autem academicæ Oxonii & Cantabrigiæ inſtitutæ celebrantur, quas regia Pariſienſi non multo inferiores eſſe, certum atque exploratum eſt, quod & ſcriptores, qui ex illis, præcipue theatro Sheldoniano emittuntur in lucem, fuſe & clare probant. Id ſibi curæ habent Angli, ut emendent & caſtigent veteres ſcriptores, quorum locis male ſanis medicinam per codices ſcriptos paratam adhibent: notæ, quas ſubjiciunt, plerumque diſcrepantes ſcripturas comprehendunt, quæ haud juvenibus, ſed illis, qui ſtudium ſuum arti criticæ conſacrant, inſervire poſſunt: omnium equidem errorum haud immunes ſunt; illis tamen editiones in uſum Delphini maxime cedunt, inprimis quum plura vitio ac negligentia operarum, quam interpretum corrupte ſint poſita. Multi quoque in hac litteris cultiſſima gente extiterunt, qui præſtantiſſimas auctorum editiones curarunt, quorum nonnullos commemorare animus eſt. Ediderunt *Annesley* Catullum, Tibullum, Propertium: *Rich. Bentlejus* Horatium: *Sam.*

Clarck

Clarck Julium Cæſarem: *Thomas Cockmann* Ciceronis libros de officiis, dialogum de oratore: *Thomas Creech* Lucretium: *Jo. Daviſius* Ciceronis Tuſculanas quæſtiones, alioſque ejus libros; & Cæſarem: *Edmundus Gibſon* Quinctilianum: *Thomas Hearne* Livium, Plinium juniorem, Juſtinum, Julium Obſequentem, Eutropium: *Jo. Hudſonus* Vellejum Paterculum: *Thomas Johnſon* Phædrum: *Henricus Laughtonus* Virgilium: *D. Leng* Terentium: *Thomas Spark* Lactantium: *D. Tilbottus* Horatium: *Joſephus Waſſe* Salluſtium. Hi plerumque præter variantes lectiones adjecerunt animadverſiones, ex antiquitate, hiſtoria, philologia petitas, quod de *Bentlejo*, *Clarckio*, *Creechio*, *Daviſio*, *Sparkio*, *Waſſe* conſtat: plurimæ harum editionum ea forma & ratione adornatæ ſunt, ut uſui familiari haud inſerviant, & ſumtu multorum gravent tenuitatem: multæ aliæ Londini, Oxonii, ac Cantabrigiæ prodierunt ſine editorum nominibus, quæ etiam quidem ſunt ſplendidæ atque elegantes; ſed præter variantes lectiones haud aliud fere quidquam in ſe continent, nec aliis obſervationibus ſunt ornatæ: conſtat quoque, quod in Anglia pleræque editionum in uſum Delphini fuerint renovatæ & iterum impreſſæ. Parum abfuit, quin *Thomam Farnabium*, Londinenſem ſilentio dimiſiſſem, quippe qui Terentium, Virgilium, Perſium, Juvenalem, Martialem, Lucanum, Ovidii metam., & alios auctores notis grammaticis interpretatus eſt: lectiones ejus haud emendatæ ſunt, nec obſervationes magno pretio di-

dignæ habentur ; namque multis locis ſcriptorum ſententias non adſequitur, & profert ſæpe maxime trita, quæ præcipue grammaticarum regulas illuſtrant. †

§. XIII.

Sed omnes fere alias gentes in hoc ſtudio ſuperant Belgæ, qui uti elegantioribus litteris promovendis atque ornandis ſunt addictiſſimi ; ita proferunt editiones veterum auctorum, quas chartæ elegantia, litterarum nitor, atque interpretum ſtudium ſingu-

gu-

† *Superioribus ſeculis Angli non diligentes fuerunt in re litteraria promovenda, prout communis ſententia eſt, raros fuiſſe ſcriptores in Anglia ante Baconis Verulamii tempora : theatrum Scheldonianum cognomen ſuum accepit a* Gilberto Sheldono, *Epiſcopo Cantuarienſi, quid id propriis ſumtibus extruendum curavit, vide Antenium a Wood part.*II. hiſtoriæ & antiquitatum academiæ Oxonienſis : *de editionibus anglicis bene judicat Jo. Clericus* bibl. choiſie *tom.*III. *art.*4. ; *de Farnabio vero & ejus inprimis obſervationibus in Terentium part.*1. *c.*2. §.5. *p.*44. artis criticæ *ita ait* : qui notulis minoribus Terentium explicuerunt, *Thom. Farnabius*, *& Jo. Minellius*, in Anglia & Belgio, ii cum plurima omiſerunt neceſſaria, tum etiam in multis errarunt : *idem etiam Morhofius judicat, quod & alii videbunt, ſi harum rerum intelligentes, ex ſententia & ſtudio veritatis, virorum horum operas examinare velint.*

gulare ſcriptorum loca obſcura illuſtrandi, maxime commendant: quod licet haud de ſingulis ſit adfirmandum; multæ tamen ex illis hanc laudem poſſunt ſibi adtribuere. Superiori ætate apud illos floruit typographia *Chriſtophori Plantini* Antwerpiæ; *Franciſci Raphelengii*, *Elzevirorum*, *Franciſci* & *Danielis Hackii* Lugduni, itemque *Sebaſtiani* & *Antonii Gryphiorum*: Amſtelodami etiam *Elzeviriana*, *Wetſteniana*, *Haguetanorum*, ut de aliis plurimis, quæ noſtra ætate florere cœperunt, taceamus: editiones, quæ cura horum typographorum & librariorum prodierunt in lucem, magnam exiſtimationem adſecutæ fuerunt, quoniam nitidam atque elegantem faciem præ ſe ferunt, & ad hæc pleræque caſtigatæ ſunt ſcriptis libris & accuratius impreſſæ, quod tamen de omnibus haud dicendum eſt: inprimis editiones *Plantinianæ* & *Gryphianæ* fide proba ſunt, quæ cum Aldinis, & Stephanorum fructuoſam operam illis præſtare poſſunt, qui veteres auctores emendatiores proferre in lucem volunt. In Belgio quidam eam formam auctores illuſtrandi ſecuti ſunt, ut collectis variorum obſervationibus, quibus aut ipſos ſcriptores illuſtraverant, aut nonnulla illorum loca data occaſione fecerant clara, editiones ſuas ornarent, quæ dictæ ſunt editiones cum *notis variorum*. Ratio & forma hæc auctores interpretandi omnino utilis & laude digna eſt, ſi interpretes, qui obſervant illam, caveant a duobus ſcopulis: alter eſt ne integros aliorum commentarios colligant, quod quum nonnulli fecerint, aliter fieri

haud poterat, quin multa ſine utilitate ſint repetita ac lectoribus effecerint tædia: alter eſt, ut vi judicii litteris philologiæ & critices exercitati ſeligant ea, quæ ſolide perſpicue, & prudenter ſunt conſignata & auctores, ſive rem, ſive philologiam illorum reſpiciamus, explicant non ſolum, ſed quoque illuſtrant: quibus de cauſſis pronum eſt, de dignitate editionum cum notis variorum, quæ adhuc publici juris factæ ſunt, judicare & cognoſcere, quid quævis illarum valeat. Eruditorum querelæ de notis variorum, quæ ſunt a *Cornelio Schrevelio* & aliis ex doctorum commentariis collectæ, nemini ignotæ eſſe poſſunt, *quibus diſplicent, qui neſcio quibus agitati Bacchicis furoribus quoſvis doctorum labores in panuceos centunculos ſine nomine, ſine judicio, ſine miſeratione dilacerant, & dein miſerabiles ſuas quiſquilias invidendo & ſplendido variorum titulo oſtentant*, ut ait ad *Juvenalem Henr. Chriſtianus Henninius. Dan. Georg. Morhofius polyhiſtore litter.* lib. IV. c. II. n. 2. dicit: *ſane ne comparandæ quidem illis ſunt ineptæ variorum editiones, quam nuper peſtem bonis auctoribus bibliopolæ Batavi inducere cœperunt, reclamantibus fruſtra viris doctis: nec defuerunt emtores ſtultitia quidem bibliopolis pares, qui ſe ſic ſumtuum atque operæ compendium facere poſſe exiſtimabant: illi interea lucri ſpe, non ceſſabunt in bonorum commentatorum ſævire viſcera, & quomodocumque lacinias aliquas conſuere, operam venalem commodantibus pædagogis neſcio quibus, qui in auctorum ſcriptis nihilo plus ſapiebant, quam ſus occiſa.*

Petr.

Petr. Burmannus præfatione fabularum Phædri : inolevit mos ille jam ab aliquo tempore, nullos fere ſcriptorum veterum, niſi variorum commentariis illuſtratos eſſe titulus doceat, emittendi, qui a pædagogorum tribu inventus, ingens ipſis ſtudiis vulnus impoſuit; hi enim, virorum doctorum labores mutilare & illud ſolum, quod ſcholaſticorum horum palato arridebat, excerpere, excuſſis e juventutis manibus integris & omni doctrina refertis commentariis, egregiam laudem putabant. Aliorum judicia de editionibus cum notis variorum vide apud *Borremanſium* in *variis lect.* cap. VII., *Caſp. Sagittarium comment. de vita & ſcriptis Plauti, Terentii, ac Ciceronis* p. 67.; *Jo. Georg. Grævium præfatione ad Svetonium*; *Jo. Clericum arte critica* p. 1. c. 2. & tom. 1. *Parrhaſ.* p. 230.; *Thom. Crenium* p. V. c. 1. *animadverſ. philol.*; *Andr. Baillet. jugem.* tom. 2. part. 2. p. 555.; *Petrum Bælium nouvell. de la republ. des lettr. de l'ann.* MDCLXXXIV. art. 7.; *Jo. Alb. Fabricium bibliothec. latin.* p. 38. & 397.; *Jo. Mollerum* ad *Morhof. polyh. litter.* IV. 9. 2. p. 394. Sed tamen, quum hanc viam interpretandi auctores ornandique multi ingreſſi ſunt, non eſt, quod de omnibus judicemus ſiniſtre: nonnullos veterum ſcripta magis corrupiſſe, quam exornaſſe, in ſe notum eſt, ad quam claſſem pertinent *Antonius Thyſius* Antverpienſis, & *Cornelius Schrevelius*, qui hujuſmodi notis variorum illuſtravit Terentium, Virgilium, Claudianum, Horatium, Ovidium, Lucanum, Juvenalem, Perſium, Curtium, Ciceronem: emendationi nullam operam de-

derunt, quæ a libris eorum ita exulat, ut non a *Thyſio*, ac *Schrevelio*; ſed a typographis haud litteratis confecti eſſe videantur: ac licet inſtitutum, quo variorum obſervationes colliguntur, in ſe haud ſit vituperandum; illud tamen minus poteſt laudari, niſi harum animadverſionum delectus rite adhibeatur; id quod iterum ab hiſce viris fuiſſe neglectum, immo hos, dilaceratis aliorum notis, in bonos auctores ſæviiſſe interdum, conſtat. Fuerunt alii & ingenio & meritis viri clariſſimi, qui hunc modum variorum notas colligendi ſecuti quidem ſunt; ſed ita ut a more Thyſii & Schrevelii remoti, majora adjumenta ad intelligendos Romanos ſcriptores adtulerint: princeps ex illis eſt *Jo. Georgius Grævius*, cui debemus Catullum, Tibullum, Propertium, Ciceronis orationes, epiſtolas & libros de officiis, Cæſarem, Florum, Svetonium, Juſtinum: multa præclara in his libris fulgent, quæ genuinæ atque eruditæ mentis ſtudia in ſe convertunt, nec obſcure ſignificant, *Grævium* elegantiori doctrina inſigniter floruiſſe: ad id operam contulit, ut editiones nitidæ, emendatiſſimæ & notarum lumine ita illuſtratæ prodirent, ut & adoleſcentes & alia exercitata ingenia ex illis capere poſſint, quæ litteras elegantes juvant ornantque: nihil prætermiſit, quod hujuſmodi librum reddere poteſt ornatum & ſplendidum, ſive eruditas præfationes, ſive figuras & icones, ſive indices ampliſſimos, ſive elegantiam typorum reſpiciamus: id tamen haud adfirmamus, eum omnia præſtitiſſe plane perfecta,

nec

nec quidquam aliis emendandum reliquiſſe: homo fuit atque humanæ ſortis veſtigia monſtravit. Sunt alii, qui ediderunt auctores cum notis variorum, *Rob. Keuchenius* Nepotem; *Jo. Laurentius* Phædrum; *Pet. Burmannus* fabulas Phædri, Petronium alioſque; *Jo. Veenhuſen* Statium, Plinium juniorem: *Burchardus Knippingius* Ovidium, ut de aliis taceamus, qui majorem poſuerunt operam in antiquis ſcriptoribus, quam *Thyſius*, & *Schrevelius*. Si de reliquis Belgii ingeniis curatius diſſerere vellemus quæ interpretando & ſanando veterum monimenta, rem litterarum in majorem locum promoverunt; neceſſe eſſet, ut a propoſita brevitatis forma recederemus, quæ ſemper nos jubet, omnia veluti in traſcurſu proferre: ſufficiat, eos attigiſſe, qui præ reliquis operam, laborem & ſtudium in eo fixerunt, ut veteres auctores Romanos rite ornarent. Meritus itaque eſt *Theod. Janſſon. ab Almeloveen* de Celſo, qui ex Batavis medicis in rem muſarum adjuvandam omni cogitatione & cura incubuit, qui & elegantiſſima editione Claudii Rutilii poetæ orbem eruditum reddidit ſibi maxime devinctum: *Nicol. Blancardus*, medicus græce doctus & pater Stephani Blancardi; de Curtio: *Janus Broukhuſius* de Tibullo, & Propertio, quos caſtigavit ex ſcriptis manu codicibus, & ſcripturis variantibus, commentariis aliorum & indice copioſo mire ornavit, interpres poëtarum feliciſſimus: *Petrus Burmannus*, inſigne humanitatis ſtudiorum decus de Horatio, Ovidio, Phædro, Petronio, Quinctiliano, Va-

lerio Flacco, Juſtino: *M. Z. Boxhornius* de Vellejo & aliis: *Guil. Canterus* de Cicerone: *Lud. Carrio*, juris doctor clariſſimus de Salluſtio, Cenſorino, Valerio Flacco: *Jo. Clericus* de Livio, Cornel. Severo, Pedone Albinovano, nomine *Theodori Goralli*: *Janus Douſa* pater & filius de Plauto, Catullo, Tibullo, Propertio, Petronio: *Arnold. Drakenborch* de Silio Italico: *Car. Andr. Dukerus* de Floro: *Herm. Eſſenius* de Nepote: *Janus Gebhardus* de Nepote, Catullo, Tibullo, Propertio: *Caſpar Gevartius*, filius Io. Gevartii de Statio: *Jo. Fridericus Gronovius* de Livio, Phædro, Plauto, Seneca, Plinio majore, Gellio, Tacito & aliis: *Jacobus Gronovius*, filius de Cicerone, Livio, Phædro, Mela, Gellio, Ammiano Marcellino, Macrobio & aliis: *Abr. Gronovius*, nepos de Pomponio Mela: *Hugo Grotius* de Lucano, Tacito: *Daniel Heinſius* de Terentio, Livio, Virgilio, Horatio, Ovidio, Seneca, Silio Italico: *Nicolaus Heinſius* de Virgilio, Ovidio, Vellejo, Valerio Flacco, Claudiano, Prudentio: *Rutg. Hermannides* de Nepote, Salluſtio: *David. Hoogſtratanus* de Nepote, Phædro: *Juſtus Lipſius* de Valer. Maximo, Vell. Paterculo, Tacito, Seneca: *Pancratius Maſuicius* de Virgilio: *Jo. Minellius* de Salluſtio, Terentio, Virgilio, Horatio, Ovidii metam., Valer. Maximo: *Fr. Modius* de Curtio, Frontino, Juſtino, Livio; *Thomas Munkerus* de mythographis latinis: *Petrus Nannius* de Cicerone: *Stephanus Pighius* de Varrone: *Samuel Pitiſcus* de Aurel. Victore, Curtio, Svetonio: *Auſonius Popma*

de

de Varrone: *Th. Ryckius* de Tacito: *Jan. Rutgerſius* de Horatio, Martiale: *Claudius Salmaſius* natione Gallus, de Solino; *Petrus Scriverius*, & *Godeſ. chalcus Stevvechius* de Frontino, Vegetio, Apulejo: *Herm. Torrentius* de Virgilio: *Lævinus Torrentius* de Horatio, Svetonio: *Gerh. Voſſius* de Vellejo: *Iſaac. Voſſius* de Mela, Catullo: *Arn. Henr. Vveſterhovius* de Terentio. †

§. XIV.

† *De interpretibus quibuſdam Belgicis pauca adhuc addamus: editionem* orationum Ciceronis *cum variorum notis cura Grævii, mendoſiſſimam adpellat Thom. Crenius part.* XVI. animadverſ. philol. hiſtor. *p.* 141.; *quod inique ab eo pronuntiatum, teſtatur Jo. Alb. Fabricius* ſupplemento bibliothec. latin. *p.* 31. *De editione* Cæſaris *ejuſdem Grævii obſervavit Jo. Clericus* biblioth. choiſ. *part.* III. *p.* 365. *non ubique eſſe emendatiſſimam. Gronovius pater plura præſtitit in veterum monimentis illuſtrandis, quam Jacobus filius, qui ſolebat eruditos & probæ mentis viros acerbius perſtringere, e. g. in* Phædro *Gudium, in* Mela, *Iſaacum Voſſium*, Gellio *Theſium*, Minucio Felice *Cellarium*: *reprehendit hoc vitium in eo Jo. Burc. Menckenius declam. de charlatan. p.* 65. & quoniam incidimus in Gronovium, non poſſumus, quin recordemur moris illius non minus ipſi, quam pantocriticis aliis perſamiliaris, ut nihil facile relinquant intactum, aut illæſum; verum quoties quiſquam aliquid in litteris prodit eximium, id continuo allatrent ac carpant, tantum quippe decedere rati ſuis laudibus, quan-

quantum optimorum ſcriptorum divulgatione accedit alienis: dicite auditores, ecquis vixit noſtro ævo paullo litteratior, in quem ille cenſuras, aut ſatiras ſuas non emiſerit, etiamſi fuiſſet vix ullo facinore provocatus: *obſervationes, quas adjecit, dignitate ſua aliorum interpretum ac criticorum animadverſionibus nonnunquam cedunt; laudat codices ſuos, veneratur illos: ſic legit codex meus & recte, & in aliis confutandis reprehendendiſq; nimius interdum eſt a modeſtia remotus, quum eruditos deceat, omnia placide agere.* Ciceronem, *quem edidit, magis chartæ ac typorum, quam obſervationum præſtantia commendat. Daniel Heinſius, & Nicolaus Filius ampliſſimam nominis gloriam conſecuti ſunt, quod ineptas & putidas lectiones veterum monimentorum proſcripſerunt, & ope plurium ſcriptorum librorum atque ingenii genuinas revocarunt in civitatem. Jo. Minellii editiones præcipue adoleſcentum ingeniis inſerviunt, in quorum gratiam obſervationes grammaticas, quæ veterum auctorum ſententias dilucidare debent, adjecit, haud de illis ſollicitus, quæ ad criticos pertinent: cujuſmodi interpretandi ratio in ſe haud ſpernenda eſt, quum ingeniorum, quæ in hiſce antiquis ſcriptoribus verſantur, diverſa variaque eſt indoles. Princeps omnino illorum, qui ad interpretationem veteris Latii ſcriptorum ſe contulerunt, jure ac merito eſt Samuel Pitiſcus: ſequitur emendatam ſcripturam, nec tamen nimio ac ſuperſtitioſo ſtudio variantes lectiones perſequitur: egregie ac copioſe capita quævis illuſtrat ex philologia, hiſtoria, anti-*

ti-

§. XIV.

Quid *Itali* in recenſendis atque illuſtrandis antiquis auctoribus præſtiterint, nunc breviter referamus: ex antiquioribus editionibus magnum ſibi fecerunt locum *Aldinæ*, & *Philippi Juntæ*, quarum ſupra facta eſt mentio. Ex ipſis interpretibus, & qui antiquos libros a vitiis liberarunt, fama & gloria nominis nitent *Philippus Beroaldus* de Ovidio, Livio, Horatio, Cicerone, Apulejo, qui Parmæ, Pariſiis, Bononiæ litteras elegantiores profeſſus eſt: *Domitius Calderinus* de variis poëtis latinis: *Petrus Ciacconius*, qui natus quidem Toleti Carpetanorum, Romæ autem per plures annos vixit, de Sal-

lu-

tiquitate, nec quidquam intactum, aut inevolutum relinquit. Equidem ſunt, qui hunc explicandi modum haud probant, in eam ingreſſi ſententiam, quod veteres auctores tantum ſint emendandi, ac critica opera eorum cauſſa ſuſcipienda: neque non Pitiſci editiones ſplendidam elegantiam præ ſe habent, nec quidquam in chartæ ac typorum nitore poteſt deſiderari. Idem dicendum eſt de Drakenborchii Silio Italico, *Maſuicii* Virgilio, *aliorumque editionibus, quas ſupra memoravimus. Magnam quoque laudem ſibi conciliarunt* commentarii in Melam *Iſaaci Voſſii*: *quomodo autem Cl. Salmaſius in* exercitationibus Plinianis *omnem ingenii atque eruditionis vim ac copiam voluerit exhibere, adeo ut opus hoc merito adpelletur theſaurus eruditionis Salmaſianæ, ſatis conſtat.*

luſtio, Cæſare, Plinio majore: *Gabriel Faerno*, poëta Cremonenſis de Cicerone, Terentio, Catullo: *Hieronymus Magius* de Nepote; *Aldus Manutius* Paulli F. de Salluſtio, Cæſare; *Paullus Manutius* de Cicerone, Virgilio, Aſconio Pediano & aliis: *M. Antonius Muretus* de Catullo, Tibullo, Propertio, Terentio, Cicerone, Salluſtio, Horatio, Tacito, Seneca; *Janus Parrhaſius* de Cicerone, Claudiano, Horatii arte poëtica: *Jo: Baptiſta Pius* de Plauto, Lucretio & aliis: *Carolus Sigonius* de Cicerone, Livio; *Petrus Victorius* de Plauto, Cicerone, Salluſtio; *Fulvius Urſinus* de Cicerone, Virgilio, Cæſare, Salluſtio, Tacito, Svetonio aliiſque. Ex horum interpretationibus inprimis ſunt commendandi commentarii *Paulli Manutii* in Ciceronem, præcipue *epiſtolas* ejus ad *diverſos & Atticum*, qui omni polita litteratura referti ſunt; nec minoris pretii ſunt animadverſiones *Mureti*: *non minus quidem ornatus* (Dionyſio Lambino) *Marcus Antonius Muretus, ſed religioſus magis, nec caſtitati minus, quam elegantiæ adſervit; nec ſententiam modo expremit, ſed genus ipſum dicendi, quod licet, imitatur: quod ſi plura in eo genere elaboraſſet, inter multos interpretes prope ſingularis extitiſſet; ſed tantum detraxit ex gloria, quantum ex eo ſtudio decerpſit*, dicit P. D. *Huetius* de *claris interpret.* apud *Pope-Blount* in *cenſura* p. 779.: nimium ſibi interdum indulget in emendando. *Petrus Victorius* eſt vir, cui Ciceronis monimenta tantum debent, quantum ipſe revocatus ab exſilio, patronis ſuis debere ſe profeſſus eſt. *Jo. Georgius Grævius præfat. ad Cicer. epiſt. ad diver-*

ſos

ſos dicit: *Petrus Victorius, princeps ingeniorum ſui temporis, judicio valebat acerrimo, & eruditione magna, quæ cum pari conjuncta erat modeſtia: illi uni plus Cicero debet, quam reliquis omnibus, qui in eo perpoliendo tempus ſtudiumque poſuerunt, quorum plurimos ſuperius illud felix ſeculum tulit, Italia præcipue omnis eruditionis, quæ in illa refloruit, parens; horum enim pleriſque cultum quidem refert acceptum, ſed Victorio ſalutem. Non inficior, alios etiam ſolertes & doctos viros multos nævos Tullio deterſiſſe; ſed Victorius tot gravia vulnera, tot latentia & ſuppurata, quæ bonam valetudinem mentiebantur, in eo ſanavit ulcera, ut principem inter omnes locum obtineat. Fulv. Urſini* explicationes & commentarii continent multa egregia & philologiæ & antiquitatum, quamvis non ubique eamdem adhibuerit diligentiam: a *Jacobo Thomaſio* refertur in numerum plagiariorum §. 583. p. 257. Omnino mirantur, qui rei litterariæ fata expendunt, quod Italia olim mater & ſedes bonarum litterarum, hæc bonæ mentis ſtudia ſepulta quaſi & nullis præſidiis munita jacere patiatur: quinam politi, elegantes, & eruditi commentarii in veteres auctores ex Italia jam ad nos perferuntur? & quis, ſi paucos exceperis, ſtudet, Romane, id eſt pure & eleganter ſcribere? quis legit veſtigia Manutiorum, Muretorum, Victoriorum, Majoragiorum, Urſinorum?

§. XV.

Pauca addamus de aliarum gentium inter-

terpretibus atque editoribus veterum auctorum. Ex *Hiſpanis* ad hanc claſſem referri poſſunt *Antonius Auguſtinus*, qui de Varrone de *latina lingua*, & Sexto Pompejo Feſto bene meritus eſt: *Jo. Lud. de la Cerda*, cui Virgilius multa debet: *Antonius Goveanus* Luſitanus, qui Toloſæ, Divonæ Cadurcorum, Valentiæ, & Gratianopoli docuit jus civile, & Terentium, Virgilium edidit, ac quædam Ciceronis explicavit. Ex *Svecis Jo. Freinshemius*, profeſſor politices & eloquentiæ academiæ Upſalienſis, Livium, Curtium, Tacitum, Florum multis locis reddidit integritati, & in clariorem produxit lucem: *Jo. Loccenius*, profeſſor dictæ academiæ, primum hiſtoriæ & eloquentiæ, deinde juris, Nepotem, & Curtium: *Jo. Schefferus* autem ejuſdem academiæ profeſſor Nepotem, Phædrum, & nonnulla Ciceronis edidit. Ex *Danis Jo. Iſaac. Pontanus*, Helſingorenſis Danus, hiſtoricus regius, & phyſicus, item matheſeos profeſſor Hardervicenus. Salluſtium, Plautum, Senecam, Apulejum illuſtravit. In *Helvetia Henricus Loritus Glareanus* explicatis & editis Horatio, Naſone, Cicerone, Salluſtio, Cæſare, Livio, Curtio nomen a ſe dedit. Addimus editiones *Baſileenſes*; ex typographis enim Baſileæ illuſtres fuerunt *Frobenii*, *Adamus*, & *Henricus Petri*, *Jo. Hervagius*, in primis *Jo. Oporinus*, alioqui *Herbſt* nominatus.

§. XVI.

Reſtat, ut merita quoque *Germanorum*, quibus rem litterarum auxerunt & veterum do-

doctrinarum monimenta ornarunt, paucis perſequamur, ut pateat, Germaniam quoque tuliſſe ingenia, quæ bonæ mentis ſtudiis adjuvandis maxime ſunt nata. Ipſi Germanorum critici atque interpretes neque eruditione, neque prudentia litteraria cedunt aliarum regionum muſarum doctoribus, ſive ſint Galli, ſive Belgæ, ſive Angli, licet editiones Germanorum quodammodo inferiores eſſe Gallicis, Belgicis, Anglicis, libenti animo fateamur. Duo ſunt, quibus illæ plerumque carent; hæ autem ſplendide nec ſine utilitate nitent: alterum eſt nitor atque elegantia chartæ & typorum; alterum medicina corruptorum locorum, quæ ex ſcriptis manu libris petitur: ſed nulla rei hujus culpa in eruditos atque interpretes relegari poteſt, quia illud ad librarios ſpectat; hoc fortunæ adtribuendum eſt, quæ nobis uſum librorum manu exaratorum denegat. Attamen non defuerunt, qui antiquitatis monimenta modo codicibus, modo ingenio liberarunt a nævis, quamquam numerus eorum in copiam haud excrevit: obſervationes, quas multi ſubjecerunt, ſæpe reconditam eruditionem antiquitatis, philologiæ & aliarum litterarum clare produnt. Ex antiquioribus cultiores libri ſunt, qui ex officina *Wecheliana*, & *Commeliniana*, Heidelbergēſi prodierunt. Noſtra ætate inprimis diligens fuit *Chriſtophorus Cellarius* in recenſendis & explicandis antiquis ſcriptoribus, ex quibus edidit Ciceronis epiſtolas ad diverſos, & orationes quaſdam ſelectas: C. Julium Cæſarem, Cornelium Nepotem, C. Plinii ſecun-

di epiſtolas atque panegyricum Trajano dictum; Q. Curtium, Eutropium, Sextum Rufum: Vellejum Paterculum; XII. veteres panegyricos: ne autem omne ſtudium in profanis ſcriptoribus illuſtrandis poſuiſſe videretur, Cælium Lactantiũ Firmianum æque magna cura edidit; nec non M. Minucii Felicis dialogum, Cæcilii Cypriani de vanitate idolorum librum; & quibus Aurelium Prudentium Clementem, Cœlium Sedulium adjunxit, ut ad poëtarum lectionem invitaret juventutem, quo fine Silium Italicum in lucem quoque emiſit: editiones celeberrimi viri hujus eleganter plerumque impreſſæ ſunt, quod de Lactantio inprimis *Groſchupſius* præfat. *collect. rar. librorum* p.7. teſtatur, quum ait: *exemplo nobis eſt Lactantius, ille Chriſtianorum Cicero, ſtudio Chriſtoph. Cellarii recenſitus & emendatus, quem Fritſchius tam eleganti habitu ac nitore ante decennium evulgavit, ut typi & chartæ elegantia multaque emendatione, quæ adhibita eſt, vel cum vetuſtis Belgicis de principatu poſſit contendere*: huic adjungimus præcipue Silium Italicum, Ciceronis epiſtolas ad diverſos, Vellejum Paterculum: ipſe ſequitur ſcripturam emendatam, quumque ſcriptos libros, quorum in his terris magna penuria eſt, haud potuerit conſulere, principes criticorum duces ſequutus eſt; tamen Lactantium contulit cum membranaceo Gothano, & tribus academiæ Lipſienſis bibliothecæ chartaceis. *Gottfr. Richterus ſpecimine obſerv. criticar.* p.74. dicit: *haud raro menda eaque graviſſima in editiones inrepſere Cellarianas, incertum,*

tum, editoris an operarum culpa: ſed ſi qua ſunt, quæ haud nego, immo ipſe deprehendi, vere illa ad typographorum incuriam pertinent: adnotationibus ſuis illud primum egit, ut auctorum verba, quantum fieri potuit, quam purgatiſſime exhiberet, rationem emendationis reddens, quo auctore, & cujus conſilio vel hanc, vel illam lectionem aliorum ſcripturæ prætulerit: poſt hæc latinitatis cura fuit, ſi qua rarior occurrit, aut difficilior: tandem ipſas res hiſtoriarum, antiquitatum, geographiæ, mythologiæ illuſtravit, uti permiſit brevitas, hanc enim ſectatus eſt; hinc haud negari poteſt, quod multa inevoluta, haud explicata, obſcura reliquerit: ingenio autem ſuo in caſtigandis locis difficulter aliquid permiſit: adjecit indices & rerum & latinitatis, quos ſupra laudavimus, nec non quibuſdam tabulas geographicas ad intelligendos auctores utiles & neceſſarias. Præter Cellarium alii ex noſtra gente antiquis auctoribus illuſtrandis operas ſuas conſecrarunt: jam ante aliquem temporis decurſum Lipſiæ veteres auctores cum notis *ad modum Minellii*, prodire cœperunt ſumtu Jo. Ludovici Gleditſchii & Mauritii Georgii Weidmanni, cujus inſtituti *Fridericus Benedictus Carpzovius*, elegantioris doctrinæ admirator & vindex acerrimus, auctor eſſe traditur. Varii fuerunt, qui *ad modum Minellii* animadverſionibus admoverunt manus, & methodo hac edidit *Andreas Stübelius* Nepotem, Curtium; *Chriſtianus Junckerus* Ciceronis lectas orationes, Juſtinum, Terentium, Virgilium, Salluſtium,

Svetonium, Horatium: *Gu. Erneſt. Tenzelius* Ciceronis libros de officiis: *Erdmann Uhſe* ejuſdem epiſtolas ad diverſos, Naſonis libros triſtium; *Jo. Fridericus Weinichius* Sulpicium Severum, & Plinii epiſtolas cum panegyrico: *Haſſius* Taciti opera: *Gumprectius* Eraſmi colloquia: quibus meas editiones, ſi tanti ſint pretii, ut faciam illarum mentionem, ideo adjicere dubito, quod non Minellium ducem meum ſecutus ſum: quod tituli voces, *ad modum Minellii*, præ ſe habeant, id inſtituti eſt bibliopolarum, qui a more ſuo recedere nolebant; ipſe autem præfatione ad Vellejum Paterculum adverſus hanc obſervationum normam differui. Ipſum inſtitutum in ſe haud vituperandum erat, quod præcipue eo ſpectabat, ut in uſum puerorum auctores veteres, qui in ſcholis explicantur, illuſtrentur; ſed non omnium interpretum, qui ad modum Minellii ſcripſerunt, animadverſiones ejuſdem ſunt pretii. Id res ipſa loquitur: nonnulli illorum res leviſſimi momenti illuſtrarunt, quæ autem obſcura ac difficilia ſunt, inevoluta reliquerunt; ac prout ea, quæ ex antiquitatum, hiſtoriarum, geographiæ monimentis lucem ſuam deſiderant, haud ſunt interpretati; ita nec latinitatis rationem habuerunt, cujus obſervationes, quando latinæ linguæ idiotiſmos, rariores conſtructiones, puritatem, veras ſignificationes, aliaque momenta notant, pueris maximopere ſunt utiles ac valde neceſſariæ: occurrunt ſane animadverſiones, quæ æque ſunt obſcuræ ac id, quod explicare debent; multo minus ſunt caſtigatæ atque emenda-

da-

datæ editiones, quum tueantur vulgarem lectionem, quæ ſæpe inepta eſt ac putida: ad quam negligentiam acceſſit in quibuſdam operarum tanta incuria, ut per iſtam multa ſint dilacerata ac corrupta. Ad hæc prodierunt editiones notis germanicis inſtructæ cum Halæ Magdeb., tum Auguſt. Vindelicor., quarum ratio in ſe haud improbanda eſt; immo ſi ad indolem puerorum ſcholaſticorum atque ingeniorum, quæ formari debent, componatur, maxime laudanda.

§. XVII.

Verum alii gentis noſtræ clariſſimi viri extiterunt, qui egregiis ſtudiis in antiquis ſcriptoribus emendandis atque illuſtrandis elaborarunt. Hiſce meritis excellunt *Valens Acidalius* de Vellejo Paterculo, Curtio, Tacito, Plauto, XII. panegiricis veteribus: *Caſpar. Barthius* de Statio, Claudiano & aliis, qui tam obſcuro utitur ſermone, ut commentarii ejus nova luce egeant: *Matt. Berneggerus* profeſſor hiſtoriæ & oratoriæ Argentoratenſis, de Juſtino, Tacito: *Jo. Henric. Boeclerus* de Terentio, Nepote, Cæſare, Virgilio, Vellejo: *Jo. Andr. Boſius* de Nepote, cujus editio non ſatis laudari poteſt; *Auguſtus Buchnerus* de Plauto, Nepote, Plinio juniore: *Jo. Camerarius* de Cicerone, Plauto, Terentio: *Gottlieb Corte* de Salluſtio: *Gerh. Elmenhorſtius*, Hamburgenſis de Apulejo, Arnobio, Minucio Felice: *Franciſcus Fabricius* de Terentio, Cicerone: *Georgius Fabricius* de Virgilio, Horatio; *Obertus Giſa-*

nius, Burenſis, qui autem Argentorati, Altdorfii & Ingolſtadtii philoſophiæ & juris litteras docuit, de Lucretio: *Dionyſius Gothofredus* profeſſor Argentoratenſis pandectarum, de Cicerone, & Varrone de latina lingua: *Janus Gruterus*, Antverpienſis, profeſſor Vitembergenſis & Heidelbergenſis de Cicerone, Salluſtio, Livio, Velleio Tacito: *Janus Guilielmus*, de Plauto, Cicerone: *Georgius Caſp. Kirchmayerus* de Nepote; *Frid. Lindenbrogius* de Terentio, Virgilii catalect. Statio, & *Henricus Lindenbrogius* de Cenſorino de die natali; *Philipp. Melanchthon* de Virgilio, & Cicerone; *Daniel Pareus* de Plauto, Salluſtio, Terentio; *Frid. Rappoltus* de Horatio: *Jo. Rivinus* de Terentio, Salluſtio: *Conrad. Ritterſhuſius* de Phædro, Plinio juniore & aliis: *Caſpar Scioppius* de Varrone, Phædro, Velleio Paterculo, Nepote: *Jacobus Schegkius* de Vellejo; *Jo. Sturmius* de Cicerone: *Frid. Taubmannus* de Plauto, Virgilio: *Jacob. Thomaſius* de Plinio juniore: *Jo. Weitzius* de Prudentio: *Jo. Vorſtius* de Valerio Maximo, Nepote, Salluſtio, Juſtino: *Jo. Wowerus* de Petronio, Apulejo, Firmico, Minucio Felice.

§. XVIII.

Pauca addamus de optimis editionibus, quarum pretium pro diverſa lectione diverſa ratione eſt dijudicandum. Triplex in legendis antiquis ſcriptoribus ſcopus eſſe poteſt, ita ut vel cognitio latinæ linguæ grammatica comparetur; vel quæ ad ſtilum pu-

rio-

riorem romanum ſpectant, cognoſcantur; vel philologica ac critica linguæ hujus capita, ſimulque antiquitates ac hiſtoria intelligantur. Pro diverſitate ſcopi, qui lectioni eſt propoſitus, diverſæ adhibendæ ac commendandæ ſunt editiones: lectioni igitur grammaticæ eæ imprimis editiones inſerviunt, quæ a Minellio, & ad modum ejus adornatæ; itemque notis teutonicis inſtructæ lucem publicam viderunt. Quorum autem ingenia ſtudiis grammaticis jam bene ſunt exculta, atque ad ipſam latinitatem ac ſtili romani habitum paranda: illi adhibeant editiones Cellarii, præcipue propter latinitatis indices, quibus ſunt ornatæ. Denique qui ad majora progreſſi, in his ſcriptoribus antiquitatum, hiſtoriarum, philologiæ, & criticæ artis amœnitates quærunt, illorum deſiderio quæ impleant extant editiones: hunc in finem merito commendamus *Paulli Bauldri* librum de mortibus perſecutorum, qui adſcribitur Lactantio: *Laurentii Begeri* Florum: *Jo. Andreæ Boſii* Nepotem: *Jani Brouckhuſii* Tibullum, Propertium, qui caſtigati ſunt ex ſcriptis codicibus & variis notis illuſtrati: *Petri Burmanni* Phædrum, & Petronium aliosque, quos ſupra laudavimus: *Iſaaci Caſauboni* Perſium, Flaccum; *Cellarii* Sedulium, & Silium Italicum: *Thomæ Creech* Lucretium; *Gottlieb Corte* Salluſtium: *Daviſii* Cæſarem, Minucium Felicem, & Ciceronis Tuſculanas quæſtiones, de natura deorum: *Arnoldi Drakenborchii* Silium Italicum: *Dukeri* Florum: *Emmeneſſii* Virgilium: *Jo. Georg. Grævii* editio-

tiones: *Jo. Frid. Gronovii* Livium: *Jac. Gronovii* Gellium, & Ammianum Marcellinum: *Adr. Gronovii* Tacitum,& Melam: *Harduini* Plinium: *Nicol. Heinſii* Ovidium, Vellejum; *Henr. Ch. Henninii* Juvenalem: *Hoogſtratani* Phædrum: *Jungermanni* Cæſarem: *Munckeri* mytographos latinos: *Jacobi Oiſelii* Gellium, qui & edidit Minucium Felicem: *Pitiſci* Svetonium; Curtium, & Aurelium Victorem: *Jo. Rhodii* Scribonium Largum; *Salmaſii* Solinum: *Petri Scriverii* Martialem: *Scaligeri* Manilium: *Jacobi Tollii* Auſonium: *Veneckuſenii* epiſtolas Plinii: *Iſaaci Voſſii* Pomponium Melam: *Waſſe* Salluſtium: ſunt plures aliæ, quæ hac dignitate præſtant, ex quibus Angliccæ præſertim criticis utilitatem adferunt; ſed quum illarum ſupra dedimus indicem, non eſt, quod nunc iſtum iterum exhibeamus.

CA-

CAPUT VIII.

De Criticis Latinis.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum ſumma indicatur §.I.

Explicato critici nomine §.II.

Ipſius artis criticæ indoles declaratur §. III.

Ac ſcripta recenſentur §.IV.

Ac monſtratur, quomodo juſtum pretium arti huic ſit ſtatuendum §. V.VI.VII.

Ex quibus libris fata artis kujus ſint cognoſcenda §.VIII.

Ac quid in uſu codicum ſcriptorum ſit obſervandum §.IX.

His præmiſſis, hiſtoria artis criticæ illuſtratur, eo ordine, ut primum occaſio illius atque origo explanetur §.X.

Deinde quæ munera fuerint antiquiorum criticorum, monſtretur §. XI. XII. XIII.

Ac quas notas habuerint critici illi §. XIV.

Tum qui fuerint critici antiquiori ævo §.XV.

Ac recentiori ætate partim generatim §. XVI. XVII.

Partim ſpeciatim, ubi recenſetur Gruteri theſaurus criticus §.XVIII. ... XXV.

Ac memorantur aliæ criticorum recentiorum obſervationes §. XXVI.XXVII. XXVIII.

Quũ de illis diſſerere cœpimus, qui ſcriptores veteres Romanos ornarunt, eoſque non ſolum emendatos, verum etiam commenta-

tariis illuſtratos juris publici fecerunt; reſtat, ut eos quoque breviter recenſeamus, qui obſervationes ſuas in hoſce auctores, ſive integros, ſive loca quædam illorum ſeparatim ediderunt. Multi hujuſmodi libri exſtant, qui & varias diverſaſque præ ſe habent inſcriptiones: eo ſpectant eruditiſſimorum virorum *adverſaria*, *miſcellanea*, *obſervationes*, *variæ lectiones*, *quæſtiones*, ac quæ ſunt alii hujuſmodi tituli, qui ex ipſo indice, quem ſubiiciemus, patebunt.

§. II.

Apellari ſolent hi ſcriptores ſimpliciter *critici*, quod nomen origine ſua eſt græcum, ac ſignificat judices, ſive cenſores. Solemne jam fuit antiquiori ætate atque inprimis tributum grammaticis, quorum quum varia eſſent munera, illorum quoque diverſi fuerunt ordines. Alii enim erant *technici*, qui præcepta artis grammaticæ docebant, quomodo recte ſit loquendum, aut ſcribendum: alii *hiſtorici*, qui verſati ſunt in ſcriptorum, præcipue poëtarum interpretatione, quorum ars etiam dicebatur grammatica ἐξηγητικὴ, ab officio quippe interpretandi: alii denique *critici*, de qua grammaticorum diverſitate, quæ fuerit antiquiori ævo, ſupra capite quarto, quo hiſtoriam grammaticorum latinorum tradidimus, diſputavimus. Ea de cauſſa pro hujus capitis argumento tantum de ultimo illorum genere, quod *criticorum* nomen ac dignitatem habuit, breviter diſpiciamus.

§. II.

§. III.

Antequam ad rem ipſam accedimus, quædam de indole artis criticæ præloqui, non ab re erit, ea de cauſſa, ut quæ de ipſis criticis eorumque ſtudiis ſint dicenda, clariora pateant. In definienda artis hujus indole diſcrepant, quum alii plus, alii minus ad iſtam pertinere arbitrantur. *Jo. Clericus* in elegantiſſimo libro, quem de *arte critica* ſcripſit, dicit, per illam ſignificari *artem intelligendorum veterum ſcriptorum, ſive numeris adſtricta, ſive ſoluta oratione utentium, & dignoſcendi, quænam eorum genuina ſcripta ſint, quæ ſpuria; tum etiam, quæ ſint ad regulas exacta, quæ vero ſecus*. Ejuſmodi igitur limites artis hujus ponit, ut tribus partibus iſtam abſolui putet: *critica*, inquit, *prout hanc vocem definiimus, ambitu ſuo tres partes complectitur; primo, monita ac conſilia adtinentia ad ordinem, quo legendi veteres, ut linguæ potiſſimum latina, græca, & hebraica addiſci commode queant, reſque latinorum, græcorum, & hebræorum cognoſci; ſecundo, canones de interpretatione verborum & loquutionum; tertio, præcepta de judicio, quod de antiquorum ſcriptorum libris & locis tam genuinis, quam ſpuriis, tam ſinceris, quam corruptis ferre nos oportet*, art. crit. part. 1. præfat. ſect. 1. & 2. Ampliores adhuc limites illius conſtituit clariſſimus *Chr. Auguſtus Heumannus*, quando critici eſſe docet I.) *naturam ſive omnium linguarum generatim, ſive certæ cujuſpiam linguæ contemplari*: II.) *originem & natales inveſtigare ſive vocabulorum*, *ſi-*

ſive adagiorum III.) *methodum linguæ addiſcendæ præſcribere aptiſſimam facillimamque:* IV.) *regulas tradere interpretandi verba, phraſeſque obſcuriores* : V.) *interpretari fabulas poëtarum, item ænigmata* : VI.) *judicium ferre de ſtilo, ejuſque virtutibus ac vitiis* : VII.) *diſcrimen ſtili oſtendere rationæ ætatum*: VIII.) *indicare ſtilum certæ ſectæ, deque ejus uſu ferre ſententiam*: IX.) *deſignare caracterem ſtili cujuſque auctoris* : X.) *ex hiſce ſtili caracteribus diſcernere, utrum certi auctoris oratio ſit ſincera, an gloſſemate aliquo interpolata; utrum verba certi auctoris ſana ſint, an corrupta, & quomodo ſint emendanda; utrum liber certus huic, vel illi auctori ex vero tribuatur, an ſit ſuppoſititius; qua ætate liber ſit ſcriptus, qua non ſit; cujus auctoris ſit liber anonymus, vel pſeudonymus*: XI.) *judicium ferre de recta pronuntiatione* : XII.) *orthographiam monſtrare, eamque ſolidis ſuperſtruere fundamentis*; vide ipſius *parerga critica* p. 9. ſeqq. Aliæ adhuc dantur definitiones artis hujus, quarum diverſitas ex eo oritur, quod vocabulum ipſum *critices* ſumitur modo late, modo ſtricte: ubi enim ſignificatione ſtrictiori adhibetur, præcipue tradit rationem, qua auctorum loca corrupta ſint emendanda, ſive hæ emendationes fiant per codices manuſcriptos, ſive per conjecturas criticas ope humani ingenii. Sed ſi vocem hanc late velimus uſurpare, plura omnino munera ad criticos ſpectant, quæ præcipue in linguarum ſtudiis ac auctorum libris æſtimandis, num ſint genuini, an falſi, ſunt conſpicua; quodſi iſta ad certa capita velimus

re-

revocare, ac de illis diſtincte diſſerere, tria poſſunt conſtitui, quorum primum ſit *emendatio*, qua locis corruptis medela ad priſtinam integritatem illis reſtituendam adſertur, ac loca aliena, quæ gloſſemata ſolent adpellari, a veris ſeparantur; ſecundum *interpretatio*, quando critici quæ veterum auctorum, præſertim poëtarum monimenta habent obſcura, illuſtrant, ſuaſque colligunt obſervationes, ſive ad ſermonem, ſive ad ipſas res ſpectent; tertium *dijudicatio*, qua criticus de ſtilo auctoris, ætate ac ſcriptis judicat, ac vera a falſis, certa ab incertis diſcernit.

§. IV.

Variæ extant eruditorum virorum commentationes, quæ ad artem criticam ſpectant: nonnulli præcepta artis tradiderunt, ex quibus laudandi ſunt

Franciſcus Robortellus in *diſſertatione de arte, ſive ratione corrigendi antiquorum libros*, quæ non ſolum extat in *Jani Gruteri theſauro critico* tom. II. p. 42. ſeqq., ſed etiam addita eſt *Caſparis Scioppii arti criticæ* p. 98. edit. Amſtelod. MDCLXII., prodiit quoque ſeparatim Patav. MDLVII. Hæc diſputatio brevis atque elegans eſt, in qua auctor oſtendit, quomodo emendatio inſtituenda ſit partim ex antiquis libris, partim ex conjectura, quam octo modis fieri obſervat, additione, ablatione, tranſpoſitione, extenſione, contractione, diſtinctione, copulatione, mutatione:

Caſpar Scioppius, qui edidit de *arte criti-*

tica & præcipue de altera ejus parte emendatrice, quænam ratio in latinis ſcriptoribus ex ingenio emendandis obſervari debeat, commentariolum, in quo nonnulla nove emendantur, alia prius emendata confirmantur, ad *Chriſtophor. Pflugium, in Euteren, eq. Miſnicum*: prodiit hic commentarius Norimb. MDXCVII., & Amſtelodam. MDCLXII.; acceſſerunt *Scioppii* epiſtola de *compendioſa linguæ latinæ exactius cognoſcendæ ratione*; *Robortelli diſputatio*, quam paullo ante laudavimus; *Friderici Sylburgii de vetere ſcriptura tractatio*, cujus ſupra quoque fecimus mentionem; *carmina encomiaſtica ad Scioppium*; *Scioppii ad Paullum Merulam de obitu Jani Douzæ filii melos*: de ipſo Scioppio, ejuſque ingenio critico animoque poſthæc, quando de criticis exponemus, diſſerere animus eſt:

Jo. Clericus, qui in *arte critica* omnes hujus generis ſcriptores & perſpicuitate, & ordine, & ſelectu ſuperavit: quo circa hoc præſtantiſſimum opus ſingularem exiſtimationem ſi comparavit; prodiit illud ſub finem anni MDCXCVI. duobus voluminibus, quorum prius in gratiam litterarum ſtudioſorum conſcipſerat, poſtquam aliquamdiu opus hoc animo agitaſſet, cujus etiam ſpecimina quædam tomo X. *bibliothecæ univerſalis* p. 309. 378. juris publici fecerat: huic priori parti ad finem perductæ addidit poſteriorem, ut quæ integra ars complectatur, recte traderet; mox anno MDCXCVII. liber hic Londini ad exemplum Amſtelodamenſe fuit excuſus; etiam iterum Amſtelodami emenda-

da-

datior atque auctior MDCC. prodiit, ac tertium volumen acceſſit, in quo *epiſtolæ criticæ* continentur: ſubſequuta eſt MDCCXII. nova eaque nitidiſſima Amſtelodam. editio, itidem prioribus auctior; adjecit enim part. II. ſect. I. caput 14., quo hanc regulam interpretatus eſt: *oportere critico, qui ſcriptorem interpretari adgreditur, notam eſſe rem, de qua ſcriptor agit*; item part. III. ſect. I. cap. II. *de ſignis parentheſeos, interrogationis, admirationis, exclamationis, deſiderii, & ironiæ, obſcuritateque & mendis inde ortis, deque accentibus, ſpiritibuſque, diſtinctionis cauſſa additis*; hæc editio etiam Lipſiæ recuſa fuit. Auctor, qui vitam clariſſimi Clerici Amſtelodami MDCCXI. edidit, de hac arte critica p. 80. ita judicat: *ſcripſerant quidem nonnulli de* arte critica, ut Jo. Woverius *in libro* de polymathia, Franc. Robortellus, & Gaſp. Scioppius *in ſingularibus opuſculis*, Henr. *etiam* Stephanus *diſſertationem de* criticis *dudum emiſerat*; *ſed nemo unus, quum tot fuerint critici, plenam totius rei imaginem exprimere, integramque artem via atque ordine tradere, quod equidem norim, adgreſſus erat, ante noſtrum, cui neque* Woverius, *neque* Stephanus, *quum primum hac de re ſcriberet, ſuppetebant: itaque ſi pauca excipias, ædificium hoc totum ex ipſis fundamentis ei excitandum ac conſtruendum fuit. Itaque animo prius concepta totius rei imagine, quid compleċteretur vidit, ſingulaſque ejus partes ſuo loco, quam commodiſſime potuit, collocavit; tum rem exſequutus eſt, eo modo, qui ex ipſa lectione libri cognoſci poterit ab iis, qui nondum*

legerunt, ſed & paucis verbis, in aliorum gratiam, hic dicam. Poſtquam ergo artem definivit, diviſionemque ejus & uſum oſtendit, adoleſcentes docet, quo ordine videantur inſtituenda linguarum latinæ, græcæ, & hebraicæ ſtudia: inde tradit regulas quaſdam generales, quæ ad interpretationem omnium vocum & loquendi generum pertinent; ubi multa univerſæ antiquitatis ſacræ & profanæ loca, multa memoratarum linguarum idiomata explicantur: poſtea voces & loquutiones particulatim expendit, pro generibus, ad quæ revocari poſſunt, quantaque ſit in illis intelligendis difficultas, & quatenus poſſit ſuperari docet: hiſce conſtat primum volumen. Alterum vero totum in origine mendorum, & ratione eorum tollendorum; tum etiam in arte ſecernendi loca & ſcripta ſpuria a genuinis; ac tandem in modo de ſtilo & caractere ſcriptoris judicii ferendi, quod exemplo Curtii *illuſtrat* Clericus, *verſatur: in hiſce omnibus, non tantum multa ſunt ad humaniores litteras pertinentia, ſed & multa e philoſophiæ, theologiæque interioribus adytis petita; ex quibus liquet, quam late pateat ars critica, nec tantum quantopere iis diſciplinis proſit, ſed quam etiam lucem & fænerari viciſſim queant.* Verum id eruditiſſimi viri jam obſervarunt, quod in hac arte critica occurrant capita quædam ſanctioris diſciplinæ, quæ minime ſint probanda:

Chr. Auguſtus Heumannus, quippe qui edidit *parerga critica*, iiſque præmiſit diſſertationem de *arte critica & ſpeciatim de arte therapeutica* doctiſſimam, Jenæ MDCCXII.

Ho-

Honorius de Sancta Maria, qui lingua gallica edidit: *animadverſiones ſuper regulas & uſum artis criticæ, ſpectantes ad hiſtoriam eccleſiaſticam, opera Patrum, acta antiquorum martyrum, vitas ſanctorum*, &c., *cum notis hiſtoricis, chronologicis, & criticis*, Pariſiis duobus tomis, quorum prior MDCCXIII., poſterior vero MDCCXVII. lucem vidit. Sed opus hoc, ut ex inſcriptione illius patet, præcipue ad ſcriptores eccleſiaſticos ſpectat. Auctor in eo id agit, non aperte quidem, occulte tamen, ut uſum artis criticæ dubium ac ſuſpectum reddat, in iis præcipue, quæ ad hiſtoriam eccleſiaſticam, theologiam doctorum ecceleſiæ, quos vocant Patres, & ad traditionem pertinent; legenda ſunt, quæ adverſus iſtum monet *Jo. Franciſcus Buddeus* in *iſagog. ad theol. univerſ.* lib. II. cap. 3. §. 11. p. 599. De arte critica breviter quidem, ſed perſpicue etiam diſſerit doctiſſimus *Daniel Maichelius* in *introductione ad hiſtoriam litterariam de præcipuis bibliothecis Pariſienſibus* part. II. cap. 3. p. 166. Quod ſpeciatim ad græcos auctores adtinet, *Guilielmus Canterus* edidit *ſyntagma de ratione emendandi græcos auctores*, quod prodiit Baſil. MDLXVI., & Antverpiæ MDLXXI.

§. V.

Cultorem artis criticæ decet, ut veram illius dignitatem atque utilitatem rite expendat, ne ubi in æſtimanda iſta a vero diſcedat, in cultura quoque illius eo præcipue, quod eſt nimium, peccet. Qui ſiniſtre de ea

judicant, iſtamque veluti diſciplinam inutilem ſcholaſticamque nec ſuperiori eruditione dignam negligunt, ſine dubio minus recto ſentiunt ac ſignificant, ſe neſcire, quæ utilitas ex hac arte ſit capienda: equidem negari haud poteſt, quod vitia criticorum, quando in minutiis verſantur ac vanam ſtolidamque jactandi libidinem produnt, ſeque per criticæ artis nomen ac laudem ſcientiarum eſſe reges ac principes credunt, interdum aliis ſiniſtre de ipſa arte ſentiendi occaſionem præbeant; ſed hi debent conſiderare, quod quæ in ſtudiis hominum per illorum culpam ſint vitioſa, ipſi arti haud poſſint adtribui. Verum nec illorum ſtudia plane ſunt probanda, qui arti criticæ nimium tribuunt, atque in iſta omnem fere eruditionis laudem ac ſplendidum politioris decus ponunt: quamvis enim ſuam dignitatem merito tueatur, nec illius ſubſidiis poſſimus carere, ſi veterum monimenta ſint emendanda, ac ſcripturæ veræ a falſis diſcernendæ, ut ſcriptorum ſententias rite intelligamus; in ſe tamen haud efficit ſcientiam, atque eruditionem, ſed inſervit tantum libris, ex quibus rerum cognitio eſt comparanda. Varii extiterunt in cœtu eruditorum, qui de utilitate artis criticæ ac pretio ei rite ſtatuendo expoſuerunt: verſatus eſt in hoc argumento *Jo. Laurentius Moſhemius* in oratione *de eo, quod nimium eſt in ſtudiis linguarum & critices*, quæ in ejus *obſervationum ſacrarum & hiſtorico criticarum libro primo*, Amſtelodam. MDCCXXI. edito legitur p. 397.: addi poteſt præfatio *Jo. Franciſci Buddei* præmiſ-

miſſa *Gothofr. Richteri ſpecimini obſervationum criticarum*, ubi de artis criticæ utilitate diſſerit, quod & breviter fecit *Chr. Math. Pfaffius diſſertatione priori de præjudiciis theologicis* §. XVIII. p.57. Præſtat ars critica utilitatem ſuam in diſciplinis doctrinæ divinioris, ea præcipue, quæ de interpretatione ſacri codicis præcipit, atque ſententias veteris eccleſiæ doctorum, quos adpellant Patres, illuſtrat: ſed quo majori ſtudio in his diſciplinis abuſio artis hujus eſt devitanda, ne per iſtam religionis Chriſtianæ principia capiant detrimenta; eo magis fuit neceſſarium, rectum uſum artis criticæ in ſacris diſciplinis præſcribere ac commendare: quam in rem extant variæ eruditorum virorum commentationes. Edidit *Ignatius De Laubruſſel*, ordini, qui nomen ſocietatis Jeſu habet, adſcriptus *traitè des abus de la critique en matiere de la religion*, Pariſiis MDCCX.; in quo libro laudabili ſane atque egregia opera arti criticæ limites conſtituere voluit, quamvis doctiſſimi viri jam obſervaverint, quod ſuis principiis nimium adtribuerit: adverſus illos, qui artem hanc in theologiæ ſtudiis inutilem eſſe putant, celeberrimus *Ludolphus Kuſterus* in *præfatione novi teſtamenti Joannis Millii* diſputat, quo & eorum commentationes, qui de variantibus lectionibus novi teſtamenti diſſeruerunt, quodammodo ſpectant; prout enim regulas de veris ſcripturis a falſis diſcernendis tradiderunt, ita etiam exempla præbent, ex quibus poſſumus diſcere, quid in hac cauſſa ſit amplectendum, quid fugiendum: heic enim nonnul-

los arte critica abuſos fuiſſe, minime negari poteſt, ac quomodo nimium ſtudium in colligendis variantibus lectionibus novi teſtamenti poſitum occaſionem præbeat, de auctoritate divina horum librorum ſacrorum ſiniſtre ſentiendi, facile intelligitur. Idem dicendum eſt de jurisprudentia, quod auctores illius, quando ad ſolidam cognitionem pervenire volunt, ab arte critica non exiguum uſum poſſint exſpectare. documento ſint præſtantiſſimi juris interpretes, qui ope artis hujus leges Romanas feliciter ita emendarunt, ut priſtinam atque antiquam illarum ſcripturam reſtituerint, ac lucem ad earum intelligentiam adtulerint clariſſimam.

§. VI.

Uti optimarum rerum præſertim in præſtantiſſimis ſcientiis, ita quoque artis criticæ magna eſt abuſio: multi delabuntur ad minutias, immo ſæpe ad ineptias nec inutilia diſcernunt ab utilibus, haud conſiderantes, quam breve vivendi ſpatium nobis a natura tribuatur, ac quam amplus ſit campus rerum utilium ac neceſſariarum, quæ ad eruditionē veram ac ſolidam ſpectant. Duplex eſt medelæ genus, quæ locis corruptis adfertur; altera paratur ex codicibus manu exaratis; altera vero conjecturis ingenii humani abſolvitur: ab utraque parte critici interdum graviſſima vitia prodiderunt. Alii pium fere cultum codicibus manu ſcriptis conſecrant, ad quos ubi quemdam veterum auctorum iterum ad lucem

cem producere volunt, unice confugiunt, nec aliud quid agunt, quam ut variantes lectiones, nullo habito delectu cumulent, ſibi perſuadentes, quod unicum ac ſummum decus editionis ab uſu multorum codicum ſit petendum, licet in illis ſint, quibus nulla eſt auctoritas, aut quos jam alii ſedulo ac feliciter evolverunt. Alii, qui per conjecturas ope ingenii locis auctorum corruptis medelam adhibent, in eo interdum peccant, quod conjecturis ſuis nimium tribuant, ac temerariam emendandi cupiditatem prodant: hiſce conjecturis indulgendo, emendare volunt, quæ in ſe ſunt ſana, aut ejuſmodi parant medicinam, quæ nullam vim ad morbum depellendum habet, id eſt adferunt conjecturas, quæ nullam præ ſe habent probabilitatem; ne dicamus, quod huic ſtudiorum generi mores quandoque adjungant, a quibus viri ſapientes alieni eſſe debent: hinc oriuntur tot bella grammatica ac critica de rebus minutiſſimis, tot contumeliæ, quibus ſe invicem proſcindunt ac ſibi ipſis & litteris, quas profitentur, contemtum conciliant. Recte *Janus Vincentius Gravina orat.* III. p. 137. *itaque ars critica, quæ diſcrimen erat veritatis, & temporum atque falsæ errorum, nunc ſeditionum litterariarum fomes, ac turbo ingeniorum evaſit*. Quod jam antiquiori ætate ejuſmodi homines critici extiterint, qui magno conatu nihil agerent; *Seneca epiſtol.* LXXXVIII. nos docet: *quatuor*, inquit, *millia librorum Didymus grammaticus ſcripſit: miſer, ſi tam multa ſupervacua legiſſet. In*

his

his libris de patria Homeri quæritur, *in his de Æneæ matre vera*: *in his libidinoſior Anacreon*, *an ebrioſior vixerit*: *in his*, *an Sappho publica fuerit*: *& alia*, *quæ erant dediſcenda*, *ſi ſcires*: acerrimam vero certationem Grammaticorum Romæ illuſtrium de caſu vocandi vocabuli *egregius* enarrat *A. Gellius noctib. Attic.* lib. XIII. cap. quinto.

§. VII.

Itaque fuerunt, qui hujuſmodi ineptos criticos perſtrinxerunt: præter *Lucianum*, qui veteri ævo hoc egit, ad hoc ſcriptionis genus acceſſerunt

Juſtus Lipſius, qui ſcripſit *ſatiram Menippeam*, quæ extat in ipſius *operibus* tom. I. p. 979.

Henricus Stephanus in *epiſtola de ſtatu typographiæ ſuæ*:

Petrus Cunæus, cujus extant *ſardi venales*, *ſatira Menippea in ſeculi hujus homines pleroſque inepte eruditos*, quod ſcriptum cum ipſius elegantiſſimis *orationibus* edidit *Chr. Cellarius*:

Jo. Barclajus in *Euphormione* part. I. p. 95.

Andreas Salernitanus, qui librum ſcripſit de *bello grammaticali*, primum MDLXXXI. editum, in quo vanas criticorum diſſertationes ſub imagine prælii exagitavit: ſummam libri hujus exhibet *Georgius Paſchius* de *inventis nov-antiquis* cap. II. §. 21.

Mathanaſius, qui princeps harum ſati-

tirarum eſt ſcriptor; edidit librum lingua gallica inſcriptum: *le chef d'oeuvre d'un inconnu*, in quo criticorum nugas & vitia lepidiſſime omnium riſui expoſuit; prodiit hic liber Hag. Comit. MDCCXIV.: auctor illius dicitur ab aliis *Themiſſeul*, ab aliis vero *de S. Hiacynthe*.

Jo. Burc. Menckenius in *declamationibus de charlataneria eruditorum*, p.103. edit. 3. Noſtra commentatio de *nugis ac bellis grammaticorum* extat in *miſcellaneis Lipſienſibus* tom.1. p.42.: adde quæ habet *Jo. Franciſcus Buddeus* in *iſagoge ad univerſam theologiam* p.151.

§. VIII.

Neque non habemus libros, ex quibus fata artis criticæ cognoſcimus, atque hiſtoriam illius illuſtrare poſſumus, quamvis nemo, quantum ſcio, hiſtoriam artis hujus juſta ac pleniori ratione tradiderit: plerique eorum, quos commemorabimus, de re critica veterum diſſerunt; laudandi ſunt ex illis

Jo. Wowerius in *tractation.* de *polymathia* cap. XVI. XVII. XVIII. qui oſtendit, quid veteres nomine artis criticæ concluſerint, quæ fuerint criticorum munera:

Henricus Stephanus, qui edidit *diſſertationem de criticis veteribus græcis & latinis, eorumque variis apud poëtas potiſſimum reprehenſionibus*, Pariſ. MDLXXXVII.

Daniel Heinſius in *diſſertatione de vera criticæ apud veteres ortu, progreſſu uſuque*

cum

cum in diſciplinis ceteris, *tum in ſacris*, quæ cum ipſius *crepundiis Silianis* prodiit:

Caſpar Scioppius, qui principio *artis criticæ*, quam ſupra laudavimus, differit de criticis & philologis veteribus ac recentioribus:

Philippus Caroli in *diſſertatione de criticis*, quam præmiſit *animadverſionibus in Gellii noctes Atticas*, *& Curtii hiſtoriam*, Norimbergæ MDCLXIII.

Philippus Jacobus Mauſſacus in *diſſertatione critica de Harpocratione eiusque ſcriptis*, quam ſubjecit *lexico Harpocrationis*, atque in iſta multa enarravit, quæ ad fata atque hiſtoriam artis criticæ ſpectant:

Daniel Georgius Morhofius in *polyhiſtore litterario* lib. V. cap. I. qui recenſet criticos recentiores: adde *Samuelem Pitiſcum* in *obſervationibus ad Svetonium de illuſtribus grammaticis* p. 1079., ac quæ habet *Jo. Franciſcus Buddeus* in *iſagoge ad univerſam theologiam* p. 149.

§. IX.

Critici munus præcipue poſtulat, ut codices manu exaratos evolvat, atque illorum beneficio veteres ac genuinas ſcripturas libris reſtituat, ad quas muneris partes implendas neceſſe eſt, ut ſcientia ſit præditus, hos libros legendi, de illorum ætate ac dignitate judicandi: quam in rem præcipue varia ſcripturarum genera pro diverſa ætate noſſe debet. Non defuerunt, qui ad cognitionem hanc adquirendam viam parare voluerunt, ac

de manuſcriptis codicibus cognoſcendis ac dijudicandis egerunt. Quod ad codices græcos adtinet, ad dignoſcendos illos maxime facit opus præſtantiſſimum *Bernhardi De Montfaucon* quod *palæographiam græcam* inſcripſit atque Pariſiis MDCCVIII. edidit. Ad latinos libros quodammodo, præcipue vero ad diplomata intelligenda, ſpectat opus admirandum *Jo. Mabillonii* de *re diplomatica*, quod prodiit primum in forma auguſta MDCLXXXII. magno eruditorum plauſu exceptum, ob quod continet ſingularis argumenti dignitatem, ac quam in perficiendo iſto auctor adhibuerat, incredibilem induſtriam; nec in minore pretio habitum fuit *ſupplementum*, quod Pariſiis MDCCIV. evulgatum: hoc ſubſecuta eſt ipſius inſignis operis editio ſecunda ab auctore recognita, emendata & aucta, Pariſ. MDCCIX. Quæ ipſi de hoc opere cum quibusdam eruditis viris fuerit controverſia, præcipue *Bartholomæo Germonio*, de eo legere poſſumus *Jo. Albertum Fabricium* in *bibliotheca latina* lib. IV. cap. 5. p. 751.; adde *acta eruditorum* ſupplem. tom. IV. ſect. 8. p. 354., *vitam Mabillonii* editam a *Ruinarto* Pariſ. MDCCIX., *Jo. Franciſci Buddei iſagogen ad univerſam theologiam* p. 198.: libro quinto operis hujus ſpecimina veterum ſcripturarum incredibili induſtria ex codicibus manuſcriptis collegit. Nonnulla hujus generis habemus quoque in *Claudii Molineti hiſtoria atque fortuna litterarum romanarum e variis monimentis antiquis deſcripta*, quem librum ſupra, quum de litteris romanis fuit diſputatum, jam lau-

davimus: & in *Georgii Hickeſii theſauro linguarum veterum ſeptentrionalium*, Oxon. MDCCV. Sed quum non omnibus data eſt facultas, hos præſtantiſſimos ac pretioſos libros evolvendi, aut quæ ad intelligendas veteres ſcripturas ac dignoſcendos codices pertinent, colligendi, ſufficiunt in primo horum ſtudiorum curſu quæ *Burc. Gotth. Struvius* in *actis litterariis ex manuſcriptis erutis* faſcicul. I. habet de criteriis manuſcriptorum: adde *Danielem Georg. Morhofium* in *polyhiſtore litterario* lib.1.cap.7.

§. X.

Hiſce præmiſſis, ad hiſtoriam artis criticæ, ea præſertim, quæ de criticis latinis recentioribus ſunt enarranda, accedimus. Primum diſſerendum eſt de occaſione atque origine artis hujus: hanc nonnulli repetunt ab avaritia bibliopolarum, tempore regum Alexandriæ ac Pergami, qui quum magnum librorum, præcipue antiquiſſimorum adparatum conquirendum curarent, extiterunt fraudulenti bibliopolæ, qui librorum inſcriptiones corrumpebant, atque ob ſpem majoris lucri recentes auctores vendere ſuſtinebant pro antiquis: ut igitur hiſce fraudibus obviam irent, ac ſpurios fœtus diſtinguerent a genuinis ac germanis, grammatici artem criticam exercere cœperunt. Rem ita explicat *Philippus Jacobus Mauſſacus*: *antequam enim*, inquit, *corruptæ fuiſſent librorum inſcriptiones, & ſpurii monſtroſique fœtus pro legitimis & germanis ſupponi cœpiſſent, vix*

in

in uſu criticam fuiſſe, ſatis compertum eſt. Atqui certiſſimum puto, ante tempora regum Alexandriæ & Pergami nullum opus falſò inſcriptum fuiſſe; immo ipſorum tempore ejuſmodi viguiſſe corrumpendorum ἐν ἐπιγραφαῖς *librorum libidinem, ob* φιλοτιμίαν, *quæ inter illos erat, coemendorum librorum: qui enim libros, ad inſtruendas regum iſtorum bibliothecas undiquaque ferebant, quum viderent, antiquorum ſcriptorum præcipue volumina majori pretio venire & contra aurum cara eſſe, ſæpiſſime epigraphas voluminum corrumpebant, ita ut ſi novus & recens eſſet ille auctor, quem comparaverant ſibi, mutata epigraphe ſtatim pro vetere & antiquo venderent &c., in diſſertatione critica de Harpocratione ejuſque ſcriptis*, quæ ſubjecta eſt *lexico Harpocrationis* p. 397. Paullo aliter originem artis hujus illuſtrat *Philippus Caroli*, poſtquam enim verba fecerat de maſorethis criticis apud Judaicam gentem, confert ſe ad Græcos, atque dicit: *Græci deinceps, ut Homeri conſervarent poëmata, iiſque ſitim ingenii ſui, tanquam puro & liquido fonte, rigarent*, Ariſtarchum *communi ſuffragio cenſorem crearunt* ὡς ὀβελίζοντα τὰ παρεμβλημένα, *qui genuina a ſuppoſititiis vindicaret; uti nullus impoſterum verſiculus pro Homerico agnoſceretur, niſi quem Ariſtarchus jugulatis adulterinis omnibus probaſſet: ab eo ævo immortalitas data Homero eſt, & conſtabit ei, quamdiu quidem honor erit Ariſtarchis, hoc eſt, criticis, incorruptæ vetuſtatis aſſertoribus. Memorantur autem præter eum, quem laudavi, compluſculi alii*, Crates, Ariſtophanes,

 Ni-

Nicander, Callimachus, Apollonius Rhodius, Chryſippus & *heroës alii, quorũ cura pro communi bono ſtudentium excubuit* : vide ipſius *diſſertationem de criticis*, cujus ſupra fecimus mentionem, p.6. ſeqq. Ex horum virorum ſententiis, quæ facile inter ſe poſſunt conciliari, id patet, quod corruptio librorum frauſque ac negligentia hominum arti criticæ occaſionem dederint, id quod omnino dicendum eſt: corruptio hæc inprimis duplex fuit; altera fiebat in inſcriptionibus, quum in locum recentiorum ſcriptorum vetuſtiores ſubſtituerent, ad majorem libris auctoritatem conciliandam, ſibi autem ampliorem mercedem adquirendam: altera vero in ipſa oratione ac textu librorum, quum peregrina atque aliena, quæ a criticis vocantur *gloſſemata*, interponerent: ad quod aliud corruptionis genus acceſſit, quando ipſa genuina auctorum loca ſunt corrupta, quod per varias cauſſas poterat fieri.

§. XI.

Ex hiſce videmus, quod antiquiorum criticorum munus in eo fuerit poſitum, primum libros falſos a genuinis diſcernebant; deinde gloſſemata removebant, atque in textu integro conſervando elaborabant; tum loca corrupta emendabant: ſingulas haſce veterum criticorum cum Græcorum, tum Latinorum partes ex antiquis monimentis illuſtrare ac comprobare, rei dignitas poſtulat. Primum genus operæ veterum criticorum fuit, quo falſa notabant ac peregrina a genuinis removere

mo-

movebant; namque quod bibliopolæ libros ſuos, qui in ſe haud pretioſi erant, per fraudes clariſſimorum virorum nominibus inſcripſerint, ut iſtos majori pretio venderent, ejus rei teſtem habemus *Galenum* de *libris ſuis*, cujus verba latine tantum tranſcribamus: *in Sandatiario vico, ubi quam plurima Romæ ſunt bibliopolia, vidimus aliquando quoſdam inter ſe diſceptantes, utrum meus ſit ille liber, qui tunc proſtabat, an vero alterius, inſcriptum quippe erat nomen Galeni medici: quum vero aliquis librum tanquam a me ſcriptum emeret, ob falſam inſcriptionem ira commotus aliquis philologus volebat ſcire, quænam in libro ſint contenta; ſed quum tres priores ſectiones perluſtraſſet, ſtatim abjecit librum, hæc ſolum addens, ſtilum non eſſe Galeni & fictitiam eſſe libri inſcriptionem*: adde doctiſſimi *Chr. Schoettgenii* diſſertationem elegantiſſimam de *librariis & bibliopolis veterum*, Lipſiæ MDCCX. §. XI. Ita magnis ſcriptoribus fœtus ſpurios eſſe ſuppoſitos, videmus ex antiquis monimentis: legimus hoc de Hippocrate, Platone, Ariſtotele aliiſque, quam in rem teſtimonia collegit *Jo. Wowverius* de *polymathia* cap. XVI. p. 162., qui rei hujus tres memorat cauſas, plurium quippe auctorum homonymiam, ſimilis argumenti tractationem, ac pretium librorum. Quum igitur grammatici ſpurios fœtus a legitimis vellent diſcernere, atque ex certis ſignis, diverſitate ſtili, docendi modo, diſcrepantia ſententiarum judicarent, quid ſit probum, quidve ſit ſpurium, propter hunc judicii uſum dicti fuerunt *critici*: hoc itidem illu-

ſtrat laudatus *Jo. Wovverius dicto loco*.

§. XII.

Deinde, uti diximus, critici gloſſemata removebant atque orationem auctorum propriam cuſtodire integram ſolebant: per *gloſſemata* intelligunt critici illud corruptionis genus, quando aliena verba auctori ſunt inſerta; de ipſa autem hacce voce ſupra, quum origo lexicorum fuerit expoſita, diſputavimus. Duo ſunt genera gloſſematum: alterum, quod veteri ac genuinæ ſcripturæ additur: alterum, quod remota recta ſcriptura ſubſtituitur. Cauſæ illorum ſunt variæ: in his quoque eiiciendis elaborarunt veteres critici; elegantem locum habet *Svetonius* de *illuſtribus grammaticis* cap. XXIV. de Marco Valerio Probo, qui floruit ſub Nerone: *multa*, inquit, *exemplaria contracta emendare ac diſtinguere & adnotare curavit*; quæ verba ut intelligantur, obſervandum eſt, quod inter *emendationes*, *diſtinctiones*, atque *adnotationes* hocce fuerit diſcrimen: *emendabant* locos corruptos: *diſtinguebant*, quum adpoſuerint diſtinctiones ac ſubdiſtinctiones, non cola, ſemicola aliaque ſigna, quæ hodie ſunt in uſu, ſed puncta pro ſitu aliter atque aliter valentia: *adnotabant* ſpuria atque aliena, quæ ſolebant notare obelo, vide *Samuelem Pitiſcum* ad *Svetonium* dicto loco p. 1090.: quum ſpuria notarent obelo, hinc dicebantur ὀβελίζειν, hinc quoque eſt ὀβελισμὸς, id eſt notatio, quæ fit adpoſito obelo. Clarum hanc in rem di-

dicit teſtimonium *Cicero*, quando dicit: *omnino mihi magis litteræ ſunt exſpectandæ a te, quam a me tibi; nihil enim Romæ geritur, quod te putem ſcire curare, niſi forte ſcire vis, me inter Niciam noſtrum & Vidium judicem eſſe: profert alter (ut opinor) duobus verſiculis expenſum Niciæ, alter Ariſtarchus hos ὀβελίζει; ego tanquam criticus antiquus judicaturus ſum, utrum ſint τοῦ ποιητοῦ an παρεμβεβλημένοι, lib.* IX. *epiſt.* 10. *ad Dol.*: teſtimonium hoc quoque adduxit *Suetonius* de *illuſtribus grammaticis* cap. XIV., exhibet omnino elegans exemplum vetuſtioris operæ criticæ de eiiciendis gloſſematibus; παρεμβεβλημένοι enim ſunt verſus interjecti, inſiticii, non genuini: adde *Giſbert. Cuperum* in *obſervationibus* lib. I. cap. 15. p. 107.

§. XIII.

Denique emendarunt loca corrupta: libri veterum ſæpe vitioſe ſunt ſcripti, modo per negligentiam ipſorum auctorum, modo ſcribarum, modo librariorum, cujuſmodi vitioſis ſcripturis occaſionem quoque præter vetuſtatem aliæ cauſæ præbuerunt: multa extant hujus corruptionis teſtimonia apud veteres auctores. *Cicero* ad *Quintum fratrem* lib. III. epiſt. 5. *de latinis vero* (libris, quos ſibi comparari cupiebat Quintus) *quo me vertam neſcio, ita mendoſe & ſcribuntur & veneunt. Martialis epigrammat.* II., 8.

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in iſtis

Sive obſcura nimis, ſive latina parum:

Non

Non meus eſt error; nocuit librarius illis,
Dum properat verſus annumerare tibi.

A. Gellius noct. Atticar. lib. VII. cap. 20. *qui ebrios autem Catullum dixiſſe putant, aut ebrioſos (nam id quoque temere ſcriptum invenitur) in libros ſcilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt*: idem lib. V. cap. 4. *apud ſigillaria forte in libraria ego & Julius Paullus vir memoria noſtra doctiſſimus conſederamus, atque ibi expoſiti erant Fabii annales, bonæ atque ſinceræ vetuſtatis libri, quos venditor ſine mendis eſſe contendebat, grammaticus autem quiſpiam de nobilioribus ab emtore ad ſpectandos libros adhibitus, reperiſſe unum in libro mendum dicebat*. Singularia erant locus Romæ mercatorum frequentia inſignis, cujus mentio quoque fit apud *Svetonium* in *Nerone* cap. XXVIII., ac *Gellium* lib. II. cap. 3.; addimus de codicibus mendoſe ſcriptis teſtem *Symmachum* lib. I. *epiſt.* 8. ad Auſonium: *ſi te amor habet naturalis hiſtoriæ, quam Plinius laboravit, en tibi libellos, quorum præſentanea copia fuit; in quo, ut opinor, opulentia eruditioni tuæ negligens veritatis librarius diſplicebit: ſed mihi fraudi non erit emendationis incuria, malui enim tibi probari mei muneris celeritate, quam alieni operis examine*. Provincia igitur criticis quoque tradita fuit, hujuſmodi loca corrupta emendandi, ac genuinam ſcripturam reſtituendi.

§. XIV.

Habebant critici ſuas notas, ſive ſigna, quæ

quæ ad marginem codicum ſcriptorum ſcribebant illiſque ſignificabant, quid de hoc, vel illo auctoris loco, verbo, phraſi, ſententia judicarent: pro varietate judiciorum diverſa adhibebant ſigna, ita ut alia locum dubium, alia falſum nec genuinum, alia corruptum declararent; alia laudis, alia culpæ eſſent indices. Dicebantur a græcis σημεῖα & σημειώσεις, quum quisque pro ſuo arbitrio ſigna hæc adhiberet, hoc infinitam fere illorum copiam effecit, ſimulque haud mediocrem in intelligendis illis peperit difficultatem: quo factum eſt, ut jam antiquiori ævo multi commentati ſint de ſignis illis criticorum: memorantur commentationes *Philoxeni* περὶ σημείων τῶν ἐν ἰλιάδι, *Ariſtonici* περὶ σημείων ἐν τῇ Θεογονίᾳ Ησιόδου, *Nicanoris*, περὶ στιγμῶν, ut de multis aliis taceamus. Inter haſce notas præcipue celebre fuit ſignum ab utriſque & ſacris & profanis ſcriptoribus uſurpatum omni fere ætate, quod vocant *obelum*: præter quod aliæ erant notæ, *aſteriſcus*, item litteræ quædam, quas loco horum ſignorum ſolebant adhibere: argumentum hoc late atque erudite perſecutus fuit *Andreas Chriſtianus Eſchenbach* in *diſſertatione*, qua exhibet *veterum criticorum* σημειώσεις, quæ extat in ipſius *diſſertationibus academicis* p. 215.

§. XV.

Quod ad ipſos criticos adtinet, qui ævo antiquiori floruerunt, variorum nomina in veteribus libris recenſentur; copioſum atque accura-

ratum illorum indicem pro ſcriptionis noſtræ ratione non eſt, quod exhibeamus: ſufficit, quosdam utriusque gentis & græcæ ac latinæ commemoraſſe. Apud Græcos criticorum laudem ſibi compararunt *Ariſtoteles*, qui primus critices auctor apud hanc gentem traditur: *Apollodorus*, & *Erathoſtenes*, quos primos criticorum nomen tuliſſe, ſcribit *Clemens Alexandrinus ſtrom.* lib. 1.: præ aliis vero ſingularem artis hujus dignitatem famamque conſecutus eſt *Ariſtarchus*, quem græci, ut Homeri poëmata conſervarent, communi ſuffragio cenſorem crearunt, ut quæ eſſent interjecta ac ſpuria, expungeret atque obelo notaret: memorantur quoque *Crates*, *Ariſtophanes*, *Nicander*, *Callimachus*, *Apollonius Rhodius*, *Cryſippus* atque alii. Neque non Romani plures ordinis hujus viros habuerunt, M. *Terentium Varronem*, *Nigidium Figulum*, *Siſennam*, *Niciam*, *Valerium Probum*, *Aſconium*, *Gellium* atque alios: horum notitia hauritur ex libris de antiquis grammaticis, quorum ſupra injecimus mentionem.

§. XVI.

Illa ætate, qua litterarum ſtudia craſſis tenebris erant immerſa, nulla fuit artis criticæ dignitas, nulla illius cultura: id tamen ævo iſti debemus, quod per induſtriam monachorum, qui codices deſcribebant, plurimi libri, veluti tabulæ e naufragio ſint conſervati. Quum bonis litteris, depulſa barbarie atque abſterſis ſordibus, priſtina dignitas reſtitueretur, ac primum in Italia, deinde in aliis orbis chriſtiani

ni partibus, ad illarum culturam veterum græcorum ac latinorum auctorum monimenta ex tenebris ad lucem vocarentur; quam depravatos ac corruptos eſſe codices, videbant eruditiſſimi, qui tum florebant, viri: hinc de arte critica cogitare cœperunt, ac quo majorem illius eſſe neceſſitatem atque utilitatem viderunt, eo gravius perpoliendæ illi conſecrarunt ſtudium. Vix bonæ litteræ priſtina luce ſplendere cœperant, quum magnus criticorum eſſet proventus, quorum numerus poſthæc maxime auctus fuit: clariſſima ſunt nomina *Angeli Politiani*, *Philippi Beroaldi*, *Eraſmi Roterodami*, *Manutiorum*, *Scaligerorum*, *Beati Rhenani*, *M. Antonii Mureti*, *Adriani Turnebi*, *Petri Victorii*, *Dionyſii Lambini*, *Pithœorum*, *Caſparis Scioppii*, *Juſti Lipſii*, *Caſparis Barthii*, *Henrici Stephani*, *Jani Gruteri*, *Conradi Rittershuſii*, *Claudii Salmaſii*, *Iſaaci Voſſii*, *Andreæ Schotti*, *Jacobi Gronovii*, *Io. Georgii Grævii*, *Gisberti Cuperi*, *Petri Burmanni*, *Io. Clerici*, *Richardi Bentleii* ac multorum aliorum, quorum indicem, quamvis maxime ſit augendus, exhibent *Caſpar Scioppius* in *arte critica* p. 6. ſeqq., & *Andr. Chr. Eſchenbach* in *diſſertationib. acad.* p. 219.

§. XVII.

Longum eſſet, omnes criticos celebritate nominis inſignes recenſere, ac illorum merita laudare; quocirca de illis tantum quædam diſſerere animus eſt, qui ad noſtrum argumentum ſpectant, id eſt qui præcipue operas ſuas ad veteres auctores illuſtrandos atque emendandos

dos contulerunt. Varia enim ſunt opera, quæ critici ſuſceperunt ac præſtiterunt: alii acceſſerunt ad emendationem illorum ſcriptorum, quos vetus Græcia ac Latium tulerunt, quorum maximus eſt numerus: alii critica ſua ingenia præcipue exercuerunt in illis monimentis, quę ad jus Romanum pertinent: nec deſunt, qui ornando atque ad lucem producendo ſcripta doctorum veteris eccleſiæ, documenta critica egregia prodiderunt, quum non ſolum iſta a mendis purgarunt, atque emendatos notisve criticis illuſtratos ediderunt; verum etiam ſuppoſititia a genuinis ſepararunt, ac cuique auctori propria ſua ſcripta vindicarunt. Nec una eademque ratio fuit, quam hi critici in perficiendo labore ſuo ſunt ſecuti: nonnulli tantum textum auctoris cujusdam emendatum ediderunt, ac breviores notas criticas, quæ precipue ad emendationem ſpectant, addiderunt: alii uberiores obſervationes ſubjecerunt, in quibus non ſolum emendationum rationem habuerunt; ſed etiam alia capita ex philologię, hiſtoriarum atque antiquitatum litteris illuſtrarunt: alii denique non ipſum auctoris textum ediderunt, ſed ſeparatim ſuas obſervationes, in quibus varia loca, modo unius, modo plurium auctorum emendarunt atque illuſtrarunt, hacque ratione diverſa capita humaniorum litterarum ſunt interpretati, juris publici fecerunt. Varię quoque ac diverſæ ſunt inſcriptiones, quas hi libri præ ſe habent; etenim adpellantur *miſcellanea, adverſaria, variæ, novæ, ſuſpectæ lectiones*, libri *emendationum, veriſimilium, quæſtiones, obſervationes*, ut de aliis harum inſcriptionum generibus taceamus, quę

ex ſyllabo horum librorum mox ſubiiciendo patebunt.

§. XVIII.

Nunc ad ipſos criticos recenſendos eorumque libros, in quibus variæ emendationes atque obſervationes ex diverſis elegantiæ diſciplinis præcipue in veteres auctores continentur, memorandos accedimus. Ante omnes nominandus eſt *Janus Gruterus*, qui varios criticorum libros collegit, ac conjunctim edidit in opere, quod inſcripſit: *lampas, ſive fax artium liberalium, hoc eſt theſaurus criticus, in quo infinitis locis theologorum, juris conſultorum, medicorum, oratorum, hiſtoricorum, poëtarum grammaticorum, ſcripta ſupplentur, corriguntur, illuſtrantur, notantur*: prodiit hoc opus Francofurti, tomus illius primus MDCII., ſecundus, tertius ac quartus MDCIV., quintus MDCV., ſextus MDCXII., & ſeptimus MDCXXXIV., qui ultimus tomus non ab ipſo *Grutero*, ſed ab ipſius ingrato diſcipulo *Joan. Philippo Pareo* additus fuit, nec aliud quidquam continet præter obſervationes criticas in Plautum, atque in Gruterum invectivas: de hoc *theſauro critico* legendi ſunt *Caſpar Scioppius* in *conſultationibus de ſcholarum ac ſtudiorum ratione*; *Jo. Albertus Fabricius de plagiar.* num. LXXIII., & in *bibliographia antiquaria* cap. III. p. 62.; *Richar. Simonius* in *nouvelle bibliotheque choiſie*, quæ prodiit Pariſiis MDCCXIV. part. I. numer. 44. p. 244.; adde *cohortem muſarum*, quæ ſub *Grævii* nomine, ſed propter maxima vitia, quibus

ſcatet, eo haud digna edita fuit MDCCXV. p. 33.; & *bibliothecam Cyprianicam* p.669.: ſcriptores, qui vitam Gruteri deſcripſerunt, recenſet *Fabricius* in *bibliographia antiquaria* citato loco.

§. XIX.

Libri, quos jam laudavimus, indicem quoque ſcriptorum, quæ in hoc *theſauro critico* continentur, exhibent; ſed quum ſolos librorum titulos indicant, id induſtriæ noſtræ relictum eſſe putamus, ut illorum rationem atque argumenta breviter ſignificemus: *tomo igitur primo* continentur

I. *Angeli Politiani miſcellaneorum centuria prima* p.1., quæ in ipſius operibus editis Baſileæ MDLIII.p.213. extat: heic in Grutero extremo centuriæ p. 120. addita eſt Politiani epiſtola, *quod ira in pueris optimæ ſæpe indolis argumentum*:

II. *M. Antonii Sabellici annotationes* in varios auctores p. 124.; ſunt autem iſti Plinius, Valerius Flaccus, Lucanus, Cicero:

III. *Philippi Beroaldi annotationes in varios auctores* p 188; in his illuſtrat atque emendat Ovidium, Horatium, Martialem, Juvenalem, Lucanum, Plinium juniorem, Livium, Gellium, Ciceronem, Apulejum, Aſconium Pedianum, Quinctilianum, Curtium, Svetonium, Plautum aliosque.

IV. *Domitii Calderini obſervationum* nonnulla, ex libro quippe illarum tertio p. 311.: brevia ſunt, quæ ex his obſervationibus collegit Gruterus, ac præcipue ſpectant ad quas-

dam

dam loquendi formulas Ciceronis aliorumque auctorum, ac nonnulla antiquitatum capita, quæ illuſtrat *Calderinus*:

V. *Baptiſtæ Egnatii racemationes*: præter nonnullas interpretationes poëtarum ac fabularum, emendat auctor loca corrupta ex Floro, juris conſultorum pandectis, Valerio Maximo, Plinio, Ovidio, Virgilio; atque inter alia obſervat capite x. quod *Graccus*, non *Gracchus* ſit ſcribendum:

VI. *Joan. Baptiſtæ Pii Bononienſis annotationes priores* pag. 353., ac *poſteriores* p. 387.: ſcriptæ hæ ſunt in varios auctores tum græcos, tum latinos; ſatis ſunt copioſæ: magis antiquiorum ſcriptorum loca ex philologia, antiquitate, mythologia, hiſtoria naturali atque aliis capitibus illuſtrant, quam emendant:

VII. *Cornelii Vitellii* Corinthii *defenſio Plinii*, *& Domitii Calderini contra Georgium Merulam Alexandrinum* p.583.; præmiſſa eſt epiſtola ad Hermolaum Barbarum:

VIII. *Jacobi a Cruce annotationes* p. 651., in Ovidium quippe, Virgilium, Lucanum, Horatium, Senecam, Martialem, Silium Italicum, Ciceronis epiſtolas ad diverſos ac libros rhetoricos, Salluſtium, Livium, Valerium Maximum, Suetonium, Plinii epiſtolas, Ciceronis quæſtiones Tuſculanas, Donatum:

IX. *Pii Antonii Bartolini auctarium*, *in quo corriguntur* LXX.*loca in jure civili*, *& ſeptem legum novæ & veræ ſententiæ aperiuntur*, pag. 697.

X. *Jani Parrhaſii ſylloge de rebus per epiſtolam quæſitis*, *aliaque ad rem criticam ſpe-*

ſtantia p.721.; ſunt epiſtolæ LXIII., quibus de variis rebus ad interpretationem veterum auctorum ſpectantibus diſputat. Has ſequuntur illius *prolegomena in Plauti amphitryonem*, p. 818.; *oratio ante prælectionem Ciceronis epiſtolarum ad Atticum*, p. 820.; *adnotationes in Ciceronis orationem pro Milone* pag. 826.; *ex commentario in Claudianum excerptæ carminum dicendorum expoſitiones* p. 834.: heic illuſtrantur loca ex Lucretio, Virgilio, Statio, Valerio Flacco, Ovidio, Tibullo, Propertio, Catullo, Horatio, Martiali, Claudiano, Sedulio, Plinio, Cicerone.

XI. *Laurentii Abſtemii* Maceratenſis *annotationes variæ* p.878.: in his annotationibus nonnulla loca Ovidii illuſtrantur: emendatur Valerius Maximus: atque inter alia obſervatur, *cotidie* per *c*, non *quotidie* per *q* eſſe ſcribendum:

XII. *Lucii Joannis Scoppæ* liber I. *collectaneorum* p.893., & liber II. p.948.: continent explicationes obſcurorum locorum diverſorum auctorum, Juvenalis, Quinctiliani, Claudiani, Terentii, Virgilii, Gellii, Perſii, Ovidii, Statii, atque aliorum:

XIII. *Ptolemæi Flavii*, Anconitani *conjectaneorum, ſive obſervationum in varios auctores centuria* p.959.: congeſſit auctor emendationes, atque interpretationes variorum ſcriptorum, præſertim poëtarum; ubique autem ſectatus eſt brevitatem.

XIV. *Franciſci Floridi Sabini lectionum ſubciſivarum* lib.I. p.996., liber II. p.1084., ac liber III. p.1161. Pleraque harum lectionum capita ſpectant ad philologiam latinam, at-

que

que hiſtoriam; inter alia diſputat: an pueri hodie a græcis litteris incipere debeant? de auctorum lectione atque imitatione: rhetoricos ad Herennium libros non eſſe Tullii: de verbis *reperio & invenio*; *deprecor*; *littus & ripa*: de Pythagoræ temporibus, ac Numæ Pompilii doctrina: de variorum poëmatum inventoribus, ac de lyricis græcorum poëtis: de latino ſermone veterum Romanorum tempore omnibus promiſcuo: tres libros de bello civili non videri eſſe Julii Cæſaris: de longiſſimis hominum vitæ ſpatiis: de quibusdam Lactantii erratis: de Beroaldi in Servium adnotationibus: quid Eraſmo in litteris ſit tribuendum: cur Horatius ſuas ſatiras adpellarit *ſermones*: de neceſſaria græcarum litterarum cognitione:

XV. *Petri Nannii* Alcmariani *miſcellaneorum* libri x. p.1225.; cujus *apologia ſuper annotatiunculis in Theophilum adverſus quemdam Jacobum Curtium* p.1378. etiam addita eſt.

XVI. *Franciſci Robortelli miſcellanea* pag. 1386. Extant in illis *diſputatio de hiſtorica facultate* p.1387.: *explicatio Laconici, ſeu ſudationis, quæ adhuc viſitur in ruina balnearum Piſanæ urbis* p.1397.: *quæſtio, an rhetores recte dicant, a nominibus propriis duci argumentationes* p.1043.: *præfatio in libros Ciceronis rethoricos de inventione* p.1412.: *explicationes in Catulli epithalamium* p.1322. *ode Pindarica* βιοχενομωδία, p.1430.: *explanationes in primum Æneidos Virgilii librum collatæ a Joanne Baptiſta Busdrago Lucenſi ex interpretationibus Robortelli* p.1434.

§. XX.

Accedimus ad *tomum ſecundum* hujus *theſauri critici* enarrandum : in hoc continentur

I. *Franciſci Robortelli convenientia ſupputationis Livianæ cum marmoribus Romæ, qui in Capitolio ſunt, & Dionyſii Halicarnaſſei* p.1.

II. *Ejusdem* diſputatio de *arte, ſive ratione corrigendi antiquorum libros* p.14., de qua ſupra diximus, quum ſcriptores artis criticæ a nobis fuerint recenſiti :

III. *Ejuſdem variorum locorum in antiquis ſcriptoribus tum græcis, tum latinis adnotationes* libri II. p.28. : diſputat inprimis contra Sigonium, eumque multorum errorum adcuſat ; quod & adverſus Paullum Manutium fecit : emendat quoque multa loca Aſconii, ac nonnulla ipſius Ciceronis :

IV. *Caroli Sigonii emendationum* libri II. p.121. : heic diſputat contra Robortellum ejusque libros ante a nobis memoratos, ſeque ab illis, quæ objecerat, defendit ; atque ſimul emendationes, quas in nonnullis ſcriptoribus, Aſconio quippe, Cicerone, atque aliis ſuſceperat, examinat :

V. *Antonii Bendinellii* Lucenſis *locorum hiſtoricorum adnotatio* p.347.: ſunt loca XXVI., quæ breviter illuſtrat :

VI. *Bernardini Realini* Carpenſis *in varia ſcriptorum loca annotationes* p.355.: illuſtrantur loca Tibulli, Ovidii, Ciceronis, Martialis, Propertii, Virgilii, Porphyrii ; ac capite ultimo auctor diſſerit de ritibus conſecrationis veterum :

VII.

VII. *Lilii Gyraldi dialogiſmi* xxx. p. 371., in quibus auctor agit de ſtudendi & annotandi ratione, exordii loco: de manus ac digitorum nominibus, deque numerandi per eos antiquorum ratione: de notis ac figuris numerorum, quibus antiqui Latini ac Græci utebantur: de recta nominum impoſitione: de quibusdam ſophiſmatum generibus parum a logicis cognitis: de venatione accipitrum ceterarumque avium rapacium; de faſcino & faſcinatione: de chemia & chemiſtis: de oſculo Florentino, deque verbo *anteſtari*: de nudipedalibus ſacris: de tonſura & ratione capitis, quæ corona vulgo dicitur: de ceſtroſphendonis militaribus nec non de baronibus; de melanzana: de moly herba Homerica: de equis ſub ruinis: de Daphne & lauro parum a ſcriptoribus cognita: de inedia toleranda: de nemeſi & Cyzico: de Atalanta: de propemtico & protreptico poëmatum generibus: de loco quodam Gellii: de tibiarum inventione & abjectione: de ſpectris & præſtigiis: de Labaro imperatorum vexillo & inſigni: an liber de viris illuſtribus Romanis Plinii ſit, an alterius; de udonibus calceamentis, quorum ab Ulpiano fit mentio: de legibus ſcriptis, & non ſcriptis: de arabarchia: de morte & interitu Ariſtotelis:

VIII. *Jo. Brodæi miſcellaneorum* libri VI. p. 452., quæ continent explanationes locorum difficiliorum cum Græcorum, tum Latinorum auctorum; ac multa capita philologiæ, antiquitatis, etiam vetuſtioris philoſophiæ, egregie illuſtrant:

IX. *Chriſtophori Rufi antexegemata, ſeu diverſa*

verſæ explanationes ſcriptorum veterum, potiſſimum *Ariſtotelis* p.570. : præter Ariſtotelem, cujus varii libri lucem heic acceperunt, illuſtravit loca Demoſthenis, Homeri, Luciani, Virgilii, Ovidii, aliorumque :

X. *Joannis Hartungi decuriæ* IV. *locorum memorabilium ex optimis quibusque auctoribus excerptorum*, p.631. In ſingulis hæc capita conſtituit : collegit exempla diverſarum lectionum : depravatorum & reſtitutorum: omiſſorum : attributorum perperam: erratorum in citando: selectorum, ſive locorum obſcurorum: verſorum præcipitantius: rituum: locorum allegatorum non expreſſo auctoris nomine, atque allegatorum nec occurrentium tamen uſquam. Multa heic occurrunt non ubivis obvia, quæ accuratum veteres, præcipue Græcos ac Latinos auctores perſcrutandi ſtudium maximopere poſſunt juvare, ac ſingularem induſtriam ab auctore in hujusmodi exemplis colligendis collocatam commendant :

XI. *Petri Pithœi adverſariorum ſubceſſivorum* libri II. p.737. : quæ heic occurrunt, plerumque ad antiquitates ſpectant :

XII. *Lucæ Fruterii veriſimilium* libr. III. p.808. : habemus heic emendationes atque caſtigationes multorum locorum antiquorum auctorum, Feſti quippe Pompeii, Ovidii, Tibulli, Virgilii, Plauti, Ennii, Ciceronis, Propertii, Apuleii, Gellii, M. Terentii Varronis, Catulli aliorumque :

XIII. *Achillis Statii* Luſitani *obſervationes difficilium aliquot locorum græcorum latinorumque* p.875. : explicat nonnulla veterum loca : diſputat de orthographia vocum quarum-

rumdam græcarum ac latinarum, item de quibusdam litteris græcis ac latinis:

XIV. *M. Antonii Mureti variarum lectionum* libri XIX. pag. 897., qui ſatis ſunt noti, ſeque merito varietate & dignitate juſtaque explanatione argumentorum omnibus harum litterarum amatoribus commendant:

XV. *Ejuſdem obſervationum juris liber ſingularis* p. 1243.: illuſtravit atque emendavit nonnullas leges juris civilis Romani, etiam quædam capita antiquitatis, quæ ad illud pertinent, explanavit:

XVI. *Hieronymi Magii miſcellaneorum, ſeu variarum lectionum* libri IV. p. 1255.: emendat, atque illuſtrat multa veterum ſcriptorum, atque in his quoque jure conſultorum loca: adhæc habet alia argumenta, quæ ex inſtituto pertractat: de tormentis bellicis, quibus bombardis nomen eſt: de apum natura, ac variis columbarum generibus: de gigantum proceritate ac magnitudine: de funebrium tubarum forma: cur librorum inſcriptiones *tituli* appellentur: cur dies ab antiquis in duodecim horas ſit diſtributus, ut de aliis capitibus taceamus.

§. XXI.

Nunc *tomus tertius* a nobis recenſendus eſt: extant in iſto

I. *Paulli Leopardi*, Iſembergenſis *emendationum & miſcellaneorum* libri XX. p. 1.: diverſos auctores græcos ac latinos, veteres & recentiores emendat, caſtigat, illuſtrat: multas dictiones, loquendi formulas, proverbia, ritus explanat:

II.

II. *Bartolomæi Barrienti*, Illiberitani *adnotationum ſilva* p.408. : explicat atque illuſtrat auctor loca quædam veterum jure conſultorum : differit de mari rubro & congelato : de differentia inter vocabula *urbis*, & *civitatis*, quæ non ſemper cuſtodiatur : gynæceo : de lingua cocta apud jure conſultos : de ſeptuaginta interpretibus : de voce *ingratitudo*, quæ non ſit Ciceroniana ; & *incorporeus*, quæ non ſit latina :

III. *Franciſci Luiſini* Vtinenſis *parergon libri tres, in quibus tam in Græcis, quam latinis ſcriptoribus multa obſcura loca declarantur*, p.427. Hæc parerga continent explanationes atque emendationes multorum locorum ex Xenophonte, Horatio, qui præ reliquis diligenter fuit illuſtratus, Ariſtotele, Virgilio, Plinio, Cicerone, Homero, Quinctiliano, Cæſare, Ovidio, Martiale, Tibullo, Theocrito, Livio, Hermogene, Varrone, Lucretio, Herodiano, Luciano, Svetonio, Catullo, & Demoſthene :

IV. *Guilielmi Canteri variarum lectionum* lib.IX. p.515. : præter quorundam veterum & Græcorum & Latinorum ſcriptorum emendationes atque interpretationes, de variis argumentis expoſuit : de ratione originis Trojanæ : de uſu vocabuli *aliter*: de Troili hiſtoria : de Lamberti Canteri vita : de uſu vocabuli *ad*: item vocis *ille*: de trium tragicorum, Æſchylis, Sophoclis, Euripidis fabulis in hiſtoricum ordinem redactis : de Homero ab Ariſtotelis reprehenſione defenſo : de muliebris libidinis ac crudelitatis exem-

exemplis; de origine circa Veſtales obſervati ritus. Id adhuc obſervandum eſt, quod etiam nonnulla loca doctorum veteris Eccleſiæ emendaverit; liber autem nonus continet Athenæi defectum inſignem ſuppletum:

V. *Theodori Canteri variarum lectionum* libri II. p.712., in quibus itidem deprehendimus obſervationes criticas non ſolum in profanos, verum etiam in ſacros vetuſtioris ævi ſcriptores, Arnobium, Tertullianum, Minucium Felicem, Lactantium, Clementem Alexandrinum:

VI. *Ludovici Carrionis antiquarum lectionum commentarii* II. p.1. partis poſterioris tomi hujus tertiis:

VII. *Ejuſdem emendationum & obſervationum* libri II. p.90.: hic auctor multa habet, quæ ad antiquitatis ſtudia pertinent: ſed tamen multa quoque loca auctorum corrupta corrigit atque emendat:

VIII. *Jacobi Durantii Caſelii variarum* libri II. p.184.: quæ heic legimus ſunt, emendationes, interpretationes, ac explicationes variorum rituum, quibus auctor diverſis ſcriptoribus antiquis, poëtis, oratoribus, hiſtoricis, jureconſultis, ac recentioribus lucem adferre voluit:

IX. *Jani Guilielmi veriſimilium* libri III. p.258.: in his veriſimilibus deprehendimus tantum emendationes locorum, quæ auctor corrupta eſſe putavit, ex Plauto, Cicerone, Virgilio, Ovidio, Terentio, Euripide, Varrone, Apulejo, Cenſorino, ex fragmentis comicorum, aliiſque:

X. *Ejuſ-*

X. *Ejuſdem in Plautum quæſtiones* p. 322.

XI. *Marſilii Cagnati* Veronenſis *variarum obſervationum* libri quatuor p. 464.: quæ in hiſce obſervationibus legimus, præcipue ad res medicas ac naturales pertinent. Auctor fuit doctor medicus & philoſophus: emendat atque interpretatur multa ex Hippocrate, Galeno, Ariſtotele, Theophraſto, Gellio, Plutarcho, Platone, ubi agit de origine medicinæ, Plinio, de quo etiam probat eum nihil accepiſſe a Dioſcoride; agitque ſimul de Scribonio medicinæ auctore: de Athenæi, ac Franciſci Patricii, de Strabonis patria, atque ætate, erroribus dignoſcendis: de tabularum geographiæ vetuſtate:

§. XXII.

Sequitur *tomus quartus*, in quo extant

I. *Joannis Brodæi miſcellaneorum pars ſecunda nunquam hactenus excuſa, promta e bibliotheca viri clariſſimi Peulli Petavii Chriſtianiſſimo Gallorum Regi a conſiliis* p. 1. Hæc pars poſterior continet libros VII. VIII. IX. X.; ſex priores autem extant tomo II. Loca, quæ heic illuſtrantur, deſumta ſunt ex Virgilio, Juvenali, præcipue Theocrito, Athenæo, Æſchine, quem copioſe explicat, Luciano, Martiale, in quos commentarii etiam ſunt uberiores; expoſuit quoque de aliis argumentis, e. g. an boni malive quidquam ex nominibus ſuis hominibus contingat? quo ſpatio videre poſſint oculi? num Galliarum Reges ſtrumis poſſint mederi? de uſu pileo-

leorum apud veteres: de engaſtrimythis: de vocibus quibuſdam rei navalis; num odoribus delectentur bruta animalia? an nondum editus partus homo cenſeri debeat? mulierem quatuor liberos ſimul parere poſſe: medicorum nomine qui intelligendi? de quibuſdam digeſtorum vocabulis, quæ explicantur: item de aliis ex Codice Juſtinianoo:

II. *Joachimi Camerarii quæſtiones promiſcuæ*, græcæ & latinæ:

III. *Aldi Manutii de quæſitis per epiſtolam* libri III. p.169.: quæ heic ſunt expoſita, tantum antiquitates præcipue Romanas, earumque ſingularia capita dilucidant, quæ ſi omnia vellemus recenſere, nimis eſſet longum:

IV. *Adriani Junii animadverſorum* libri VI. p.318.: in hiſce emendantur atque illuſtrantur veteres ſcriptores ſacri ac profani, græci ac latini, Statius, Pauſanias, Claudianus, Cyprianus, Cyrillus, Horatius, Euripides, Seneca, Virgilius, Tertullianus, Cicero, Martialis, Theodoretus, Euſebius, Galenus, Vellejus Paterculus, Philoſtratus aliique: ad hæc multa tradidit, quæ veterum gentium ritus inprimis romanos illuſtrant.

V. *Ejuſdem de coma commentarius* p. 482.

VI. *Joſephi Caſtalionis variæ lectiones* p.555.: perſecutus eſt auctor varia antiquitatis capita; illuſtravit veteres auctores, præſertim poëtas, eoſque collatos interdum, ac quid ſit inter utrumque, expreſſit:

VII. *Jani Melleri Palmerii ſpicilegia ; multa deſperata & depoſita , quæ videbantur, Plauti Truculento emendata ; pauca ad hoc Catulli* p.613.

VIII. *Jacobi Schegkii obſervationum & emendationum præmiſſa* p. 888. : ſunt xv. epiſtolæ ad viros eruditiſſimos de rebus criticis , ac præcipue de veris lectionibus variorum veterum ſcriptorum , Ciceronis , Livii , Ennii , Gellii , Apuleii , Plauti , Solini , Lactantii aliorumque.

§. XXIII.

In *tomo quinto* extant

I. *Franciſci Modii nov-antiquæ lectiones* epiſtolis cxxxiii. , quas ſcripſit ad viros doctiſſimos ac criticos : emendat in illlis veteres auctores , præcipue Silium Italicum , Ciceronem , Cenſorinum , Macrobium, Fulgentium Planciadem , Plinium juniorem , Tacitum , Calpurnium Siculum , Propertium , Senecam, Martialem , Lucanum, Hyginum, Statium :

II. *Lucæ Fruteri , conjectaneorum veriſimilium* liber tertius p.339. : heic correcta ſunt loca quædam Catulli , Auſonii , Propertii, Gellii, Varronis: ſequuntur etiam p.384. ejuſdem *Fruterii epiſtolæ aliquot philologicæ ; in queis multa veterum auctorum loca vel corriguntur , vel explicantur* : additum eſt huic tomo quinto ſupplementum , quo continentur *Henrici Stephani ſchediaſmata* libris vi. , *& Jacobi Nicolai Loenſis miſcellaneorum epiphyllides* .

Vo-

§. XXIV.

Volumen *ſextum* complectitur tantum *Valentis Acidalii divinationes in Plautum*, & *Marcelli Donati* notas in Livium, Tacitum, Svetonium, Ammianum, & ſcriptores hiſtoriæ Auguſtæ: *ſeptium* autem volumen additum fuit, ut jam monuimus, a *Jo. Philippo Pareo*, quod haud aliud continet, quam ipſius *analecta Plautina*, quibus quum editiones Pareanas Plauti ab accuſationibus Gruteri defendere vult, eum indigne atque ingrato diſcipuli animo tractat.

§. XXV.

Extant in hoc *theſauro critico*, cujus indicem nunc dedimus, quædam ſcripta, quæ *Gruterus* primus edidit, atque ex tenebris ad lucem vocata ab interitu vindicavit. *Jo. Brodæi miſcellaneorum* libri ſex priores ex ipſius manuſcripto plurimis locis aucti fuerunt; quatuor poſteriores edidit e bibliotheca Paulli Petavii. Nec ante curam *Gruteri* lucem viderant *Achillis Statii obſervationes difficilium aliquot locorum græco-latinorum*; *Lucæ Fruterii collectaneorum veriſimilium* liber tertius; & *Jacobi Nicolai Loenſis miſcellaneorum epiphyllides*: reliqua ſcripta jam antea excuſa fuerunt. Poſſemus de illis diſſerere, editiones earum recenſere, ac quædam de ipſis criticis commemorare; ſed quum hoc nimis longum; illis, qui hæc ſcire volunt, commendamus *Caſparem Scioppium* in *arte critica* p. 6. ſeqq., *Thomam Po-*

Pe blount in *cenſura celebrium auctorum*, qui de pleriſque horum criticorum judicia collegit, & *Danielem Georgium Morhofium* in *polyhiſtore litterario* lib. v. cap. 1.

§. XXVI.

Proinde progredimur ad eos criticorum libros recenſendos, qui in hoc theſauro critico non extant, aut poſt illum in publicam lucem prodierunt, quorum non exiguus eſt numerus, adeo, ut ſi quis exemplum *Gruteri* imitando novum theſaurum criticum conficere vellet, ampliſſimam haberet materiam: ad hanc igitur claſſem pertinent

Adriani Turnebi adverſaria libris XXX., qui prodierunt Pariſiis MDLXXX., ac recuſi ſunt Argentor. MDXCIX.: ſingularem laudem eruditionis auctor ſibi conciliavit, quæ omnino ex hoc præſtantiſſimo opere elucet. Quod ſtudia ipſius critica maxime commendat, in laude modeſtiæ inprimis poſitum eſt, quam ſtudioſe eſt ſectatus; aliiſque criticis, qui virtutis hujus haud memores ſunt, præclarum exemplum ad imitandum reliquit: quod ipſe de ſe teſtatur, quando dicit, *hoc ſemper religioſe cauteque ſervavi, ne mihi per cujuſquam injuriam viderer unquam famam quærere voluiſſe; eam enim verecundiam pudoremque adhibui, ut homines doctos ſæpe numero laudaverim & honorifice appellaverim, nunquam reprehenderim, aut vituperaverim*, id re ipſa præſtitit. *Caſpar Scioppius* de *arte critica* p. 7. dicit Turnebo *doctiorem, ſi Joſepho Scaligero credimus, noſtra non vidit*

dit ætas. A *Juſto Lipſio* lib. II. *elector*. cap. 20. laudatur ut *ſol Galliæ*: a *Caſpare Barthio adverſarior*. lib. XLIII. cap. 23. ut *antiquitatis verus theſaurus*; & *Paullus Manutius* harum litterarum intelligentiſſimus lib. V. epiſt. 17. dicit: *Turnebum jam pridem omnes cantant*; & paullo poſt: *quodſi te, ſtudio cognitionis incenſum, cetera, quæ iſtic habes plurima, liberalium doctrinarum adjumenta deficerent, unus tamen idem ille, quem paullo ante nominavi, qui præter ceteros cum litteris humanitatem, græca cum latinis, antiquæ philoſophiæ ſcientiam, quod e ſcriptis ejus facile cognoverim, cum elegantiore doctrina conjūxit; unus inquam, tibi inſtar eſſe omnium, Turnebus, unus & ſuo te commovere exemplo, & ſuis adjuvare plurimum documentis conſiliiſque poſſet: cujus ut a latere, quoad hominis permittet humanitas, ne unquam diſcedas, & iſtam urgeas occaſionem, divinitus datam, adipiſcendæ virtutis, ſi tu is eſſes, qui naturam humanam ſola perfici virtute neſcires, hortarer etiam atque etiam*: plura honorifica de eo teſtimonia collegerunt *Thomas Pope-Blount* in *cenſura celebriorum auctorum* p. 688., ac *Thomas Crenius* in *animadverſionibus hiſtoricis & philol*. part. VII. p. 58.; adde doctiſſimum ac litterarum laude clariſſimum virum *Jo. Henricum von Seelen* in *ſelectis litterariis* p. 308., ubi differit de religione Turnebi; & *Richardum Simonium* in *bibliothcque choiſie* part. 1. p. 340., qui *adverſaria* enarrat, quamvis plura capita vitæ ejus, quam ipſius libri attingat. Fuerunt tamen, qui in hiſce *adverſariis* non-

nulla deſiderarunt; etenim *Henricus Stephanus* in *pſeudo - Cicerone* p.55. adpellat eum *virum doctiſſimum, ac ſingulari ingenio ac judicio præditum*; p.85. autem dicit: *non ego certe hac de re ſum monendus, qui Adriani Turnebi & admirator ſum ſupra quemvis alium, & laudator, atque utinam non tanta brevitate in ſuis adverſariorum libris eſſet uſus; paullo enim luculentior & plenior quorundam locorum explanatio, & majorem illi operi gratiam laudemque conciliaſſet, & lectori multo magis ſatisfeciſſet Petrus Victorius variar. lectionum* lib. XXXVI. cap. II.: *utinam vir hic ſane doctus ac multæ lectionis non tam cupidus undique fuiſſet omnia emendandi, melius exiſtimationi ſuæ conſuluiſſet*:

Petrus Victorius Florentinus, princeps virorum eruditorum, qui ætate ipſius floruerunt, cui litteræ elegantiores, præſertim Tullianæ multum debent: habet graviſſimum teſtimonium viri harum rerum intelligentiſſimi *Jo. Georgii Grævii*, qui in *præfatione epiſtolarum Ciceronis ad diverſos* dicit: *editionum omnium emendatiſſima eſt Petri Victorii, principis ingeniorum ſui temporis, qui in ea concinnanda & Medicæo codice uſus eſt, uno omnium optimo & vetuſtiſſimo, & judicio, quo valebat inprimis acerrimo, ac eruditione magna, quæ cum pari conjuncta erat modeſtia; nam ingenio parum indulget in immutandis iis, quæ in optimæ notæ membranis repererat, a quarum religione vix latum unguem diſcedit: ſed iis non parcit, quæ contra codicum*

au-

antiquorum fidem in editiones vulgatas ſive deſcriptorum, ſive editorum incuria & inſcitia irrepſerant: illi uni plus Cicero debet, quam reliquis omnibus, qui in eo perpoliendo tempus ſtudiumque poſuerunt, quorum plurimos ſuperius illud ſelix ſeculum tulit, Italia præcipue omnis eruditionis, quæ in illa refloruit, parens; horum enim plerisque cultum quidem refert acceptum, ſed Victorio ſalutem: non inficior, alios etiam ſollertes & doctos viros multos nævos Tullio deterſiſſe; ſed Victorius tot gravia vulnera, tot latentia & ſuppurata, quæ bonam valetudinem mentiebantur, in eo ſanavit ulcera, ut principem inter omnes locum obtineat: ſæpe indignor, magnum hunc Ciceronis ſervatorem immerito & indigne perſtringi a viro doctiſſimo in ſatira quadam; qui ſane id non ferret impune, niſi multis ejus magniſque in rem litterariam meritis hoc perverſum judicium donandum cenſeremus. Artem criticam, quam exercuit, non ſolum eximia eruditione, verum etiam fide ac modeſtia egregie ornavit: poſteritati tradidit *varias lectiones* libris XXV., quæ prodierunt Florentiæ MDLIII. apud Laurentium Torrentinum, & MDLXXXII. apud Juntas: adde *Daniel. Georgium Morhofium* in *polyhiſtore litterario* lib. V. cap. I. §. 5.

Ludovicus Cælius Richerius, patria Rhodiginus libris XXX. *lectionum antiquarum*, quod opus recognitum ac locupletatum Francof. MDCLXVI. prodiit. Equidem auctor hic merito refertur ad ſcriptores antiquitatum,

qua-

quarum multa capita expoſuit feliciter; recte tamen ſimul ſibi locum inter criticos vindicat: etenim multa utriuſque linguæ abſtruſa vocabula eſt interpretatus, atque innumeris ſcriptorum græcorum ac latinorum locis claram lucem adtulit atque ea exhibuit, quæ ad illorum emendationem ſpectant. Laudat opus hocce *Ger. Jo. Voſſius* de *hiſtoricis latinis* lib. III. p. 814.: *quo miſcello opere*, lectionum quippe antiquarum, *abſtruſa utriuſque linguæ vocabula enucleantur, in præſtantiſſimis quibusque ſcriptoribus loca obſcura explicantur, corrupta caſtigantur; adhæc hiſtoriæ reconditæ, & ritus veteres enarrantur; ex intima denique philoſophia, potiſſimum e Platonicorum penu, arcana multa promuntur. Itaque ſæpe numero miror, immo indignor, non magis hodie in manibus eſſe juventutis tanti viri labores, profecto auro contra non caros; quippe & philologiæ ſtudioſus, & amator hiſtoriæ, & philoſophiæ ſectator, hauriet inde, quod juxta proſit, ac delectet*. Ipſum auctorem adpellat *Julius Cæſar Scaliger* de *re poëtica* lib. III. cap. ult. *omnium doctiſſimum præceptorem*: ſolet in illo reprehendi, quod paſſim fontes diſſimulet, unde veteres narrationes repetiit, vel laudet ſcriptorum deperditorum monimenta, auctoribus, qui iſta memorant, haud nominatis: vide celeberrimum *Jo. Albertum Fabricium* in *bibliographia antiquaria* cap. III. §. 8., & quos ibi laudavit, auctores:

Caſpar Barthius, cujus extant *adverſariorum commentariorum libri* LX., *quibus ex*

uni-

univerſa antiquitatis ſerie omnis generis loci tam gentilium, quam chriſtianorum ſcriptorum illuſtrantur & emendantur, cum rituum, morum, legum, formularumque obſervatione & elucidatione, cum undecim indicibus, ſeptem auctorum, quatuor rerum, Francofurt. MDCXXIV. & MDCXLVIII.: hi ſunt tantum libri priores; poſteriores vero, poſtquam ad manus heredum pervenerunt, lucem haud viderunt, de qua jactura *Chr. Daumius* paſſim in ſcriptis atque epiſtolis ſuis conqueritur. Judicia eruditorum virorum de hoc opere ſunt diverſa: alii id maximopere laudant. *Tobias Magirus* in *eponymol. critic.* p. 107. dicit eſſe *volumen, cujus ſimile nunquam ab uno homine in litteras miſſum*: ſed non omnibus eruditis plane ſe commendavit, *quod in judiciis præceps eſt, in emendando temerarius, pluribus etiam frivolis & inanibus indulget*, ut loquitur *Dan. Georg. Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. V. cap. I. §. 10.; ante *Morhofium* jam alii de hoc opere ſiniſtre judicarunt, *Thomas Reineſius*, *Vincentius Fabricius*, & *Paullus Colomeſius*, qui Barthium dicit *virum multæ quidem lectionis, ſed naris haud prorſus emunctæ*: vide *Jo. Mollerum* in *hypomnemat.* ad *Morhofium* dicto loco p. 398. *Thomas Crenius* in *diſſertatione de ſingularibus ſcriptorum* §. XXXII. p. 43. dicit: *enim vero infinitæ virum fuiſſe lectionis Barthium, nemo negare poteſt: ſed quod & idem emendandis in ſcriptoribus audacior paulo fuerit, & in materiis medicis ſæpius erraverit, manifeſtum eſt, oſtenditque Thomas Reineſius in variis lectionibus paſſim, atque in ad Hofmannum & Rupertum epiſtolis*: notatus

tus

tus fuit ab aliis, quos memorat *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part. III. p. 468.: uſus eſt ſtilo non ſatis polito: mores erant aſperi, atque humanitatis elegantiæque expertes: lege diſſertationem *Friderici Erneſti Scholtzii*, qua *eruditos ſine moribus* exhibet, Lipſiæ MDCCV. §. IV.

Caſpar Scioppius, qui multa ſcripta critica edidit, ex quibus nonnulla ſupra memoravimus; primum enim juris publici fecit *artem criticam*, de qua in hoc capite jam diſſeruimus: deinde varios auctores notis illuſtravit atque edidit, Cornelium Nepotem, Vellejum Paterculum, Dictyn Cretenſem, Priapeja, ſive diverſorum poëtarum in Priapum luſus: tum varias obſervationes criticas in lucem publicam protulit, quæ proprie huc ſpectant; edidit enim *veriſimilium libros quatuor, in quibus multa veterum ſcriptorum loca, Symmachi maxime, Cornelii* Nepotis, *Propertii, Petronii, aliorum enodantur, augentur, illuſtrantur*, Norimberg. MDXCVI., & Amſtelod. MDCLXII; & *ſuſpectarum lectionum libros quinque, in centum & quatuordecim epiſtolis ad celeberrimos quosque ævi noſtri viros aliosque amicos factos, in quibus amplius ducentis locis Plautus, plurimis Apulejus, Diomedes grammaticus, alii corriguntur, notantur, ſupplentur, illuſtrantur*, Norimbergæ MDXCVII., & Ameſtelod. MDCLXIV.: denique celeberrimos viros adgreſſus eſt, ac caſtigationes atque obſervationes edidit, quibus illorum latinitatem atque ſtilum acriter voluit perſtringere. *Scioppium* fuiſſe in omni elegantium litterarum, præſertim grammaticæ genere maxime exercitatum, ac ſingulari inge-

nio

nio nituiſſe, teſtantur tot documenta ab eo in omnium conſpectu poſita. *Octavius Ferrarius* tom. 1. *oper.* p. 142. edit. a *Jo. Fabricio* laudes ejus diſerte refert: *vivit adhuc, vivatque diu bono publico, vir in omni litterarum genere eminentiſſimus, ſed in ſacrarum interpretatione ſine æmulo natus*, Caſpar Scioppius, *nec urbem modo Antenoris, ſed ſeculum illuſtrat, cujus incredibile ſtudium atque inauditam animi contentionem vix credunt, qui oculis uſurpant: nam ab ineunte ætate ita totus litteris affixus fuit, ut ſexto decimo anno libros evulgarit, quos ſenes admirarentur, & licet principum amicitia, magniſque legationibus, atque officiis diſtrictus fuerit, totos tamen dies, magnam noctium partem perpetuo litteris impendit, jamque grandis natu nihil de contentione remittit; ſed dies noctibus jungens, per decennium atque eo amplius vix cubiculo, ne dicam domo, pedem extulit, totuſque divinarum litterarum, plurimis editis, innumeris edendis operibus, non indefeſſi modo animi ac corporis, ſed veræ ſapientiæ ac felicitatis unicum exemplar habetur*. Verum quodſi eruditio hæc cum bona mente, humanitate, modeſtia ac moderatione fuiſſet conjuncta, majus omnino neminis decus eſſet: multi critici faſtus atque altercationis ſtudiis famam non leviter contaminarunt; ſed hiſce vitiis *Scioppius* omnes fere noſtra ætate ſuperaſſe videtur: hinc extant tot reprehenſiones, tot quam ipſe ſibi effecit, vituperationis nomina; hinc dicitur modo *monſtrum ex omni ſpurcitiarum & ſcelerum colluvie concretum*: modo *famoſus iſte turbo & publica tempeſtas pacis*: modo iſte, *quem inſignis*

ſignis maledicentia Zoilo quovis nobiliorem reddidit : vide *Thomam Pope-Blount* in *cenſura celebriorum auctorum* p. 987. : modo *canis grammaticus*; hinc *Jo. Burchardus Menckenius* in *declamat. de charlataneria eruditorum* p. 67. ubi diſſeruerat de Jacobo Gronovio, addit: *atque is plane ſimilis videtur Caſpari Scioppio (quamvis latini ſermonis elegantia variaque doctrina longe majori) quem* canem grammaticum *dictum conſtat, quod non præſtantiſſimos modo ſuæ ætatis viros Scaligeros, Lipſium, Thuanum, Poſſevinum, Voſſium, Stradam, Caſaubonum, Mornæum laceſſivit; ſed & Phædrum Thraciſmi & ipſum Romanæ eloquentiæ patrem Ciceronem barbariſmi poſtulavit*.

Juſtus Lipſius, qui præter varias veterum auctorum editiones ac commentarios, quibus iſtas ornavit, alia ſcripta critica confecit atque uſui publico tradidit: illius induſtriæ debemus *variarum lectionum* libros III., *antiquarum lectionum* libros V., *epiſtolicarum quæſtionum* libros V., *electorum* libros II., qui critici libri omnes extant tom. I. *oper. Lipſii* : ad hanc claſſem etiam referri poſſunt quodammodo ipſius *epiſtolæ*, in quarum nonnullis de rebus criticis egit; continet illas tomus II. operum : erat *Lipſius* vir multiplici eruditione præditus, in antiquis monimentis probe verſatus, quæ ſæpe feliciter illuſtravit ac correxit; ſed primum locum in ordine criticorum haud occupare poteſt, nec comparandus eſt cum Scaligero, Caſaubono, aliiſque ſummis litterarum criticarum ſtatoribus : de plagio, quod ei obiiciunt, lege *Theodor. Janſon. ab Almeloveen* in *ſyllabo plagiariorum* p. 23.

An-

Andreas Sekottus, qui edidit *quæſtionum humanarum* libros v., in quibus multa loca in auctoribus græcis ac latinis emendantur, Hanou. MDCXV.: acceſſerunt *nodi Ciceronis, variorumque*; in lucem publicam quoque protulit *quæſtiones Tullianas*: ſed quum hæ tantum de Ciceronis imitatione exponant, de iſtis infra, ubi argumentum de imitatione pertractandum erit, dicemus:

Caſpar Gevartius libris III. *electorum*, *in quibus plurima veterum ſcriptorum loca obſcura & controverſa explicantur, illuſtrantur & emendantur*, Lutet. Pariſ. MDCXIX.: multa erudita atque utilia momenta continent hæc *electa*, quæ ad caſtigatas veterum auctorum ſcripturas eorumque intelligentiam, variaque antiquitatum capita pertinent: vide *Burc. Gotthelf. Struvii bibliothecam antiquam* MDCCVI. pag. 442.

Robertus Titius, qui edidit *locorum controverſorum* libros x., in *quibus plurimi loci conferuntur, explicantur & emendantur multo aliter, quam hactenus a quoquam factum ſit*, Florentiæ MDLXXXIII. Auctor, qui bonas litteras Florentiæ profeſſus eſt, ipſe opus ſuum commendat hiſque ornat laudibus: *quid magis arduum ac laborioſum reperiri poteſt, quam res a ſummis in omni litterarum genere viris olim tractatas iterum attingere, atque ita quidem, ut non tanquam cæcus aliorum veſtigiis perpetuo inſiſtas, ſed diverſis atque interdum contrariis itineribus in ipſam veritatis arcem adſcendere coneris?*: contra hoſce *Titii* libros edidit *Yvo Villiomarus librum animadverſorum* MDXCVII., ſub quo nomine ficto latere

Joſephum Scaligerum conſtat: vide *Vincentium Placcium* de *ſcriptoribus pſeudonymis* p.620. : varia *Titius* contra *Scaligerum* monuerat,præcipue adverſus illius *caſtigationes in Catullum, Tibullum, Propertium*, a quibus objectionibus ſe voluit defendere: de utroque libro lege laudatum *Struvium* in *bibliotheca antiqua* MDCCVI. p.110. & 1:7.

Deſiderius Heraldus, qui edidit *adverſariorum* libros II. Pariſ. MDXCIX., quæ quidem ad juris argumenta ſpectant: item *quæſtiones quotidianas & obſervationes ad jus Atticum & Romanum ad Claudium Salmaſium*, Pariſ. MDCL., ubi etiam multa critica occurrunt, ut taceamus de obſervationibus criticis,quibus quorundam veteris eccleſiæ doctorum libros illuſtravit, Tertulliani, Minucii Felicis,& Arnobii; recte igitur a *Daniele Georg.Morhofio* in *polyhiſtore litterario* lib.v. cap.1. §. 13. inter criticos numeratur : erat tam bonus philologus, quam jureconſultus, ut judicat *Guido Patinus* apud *Tobiam Magirum* in *eponymiolog.* p.429., adde *Jo. Fabricii hiſtoriam bibliothecæ* part.1. p.174.

Janus Rutgerſius,qui *variarum lectionum* opus edidit Lugduni Batavorum MDCXVIII., quod ſane eſt eruditiſſimum.

Claudius Salmaſius, qui licet haud opus quoddam obſervationum lectionumque criticarum ſeparatim juris publici fecerit; nihil tamen ſcripſit, in quo non multa artis criticæ documenta dedit,per quæ tantam nominis famam ac tantam meritorum laudem eſt conſecutus,ut criticorum princeps cenſeatur : teſtis eſt vaſtum illud opus *exercitationum Plinia-*

na-

narum, ut taceamus de aliis auctoribus, quos notis ac caſtigationibus ornavit, item de illius operibus, de *uſuris*, *fœnore trapezitico*, de *annis climactericis* aliisque. Verum quamvis ſummum ſit nominis decus, quod per ſolidam multarum ſcientiarum ac linguarum cognitionem impetravit, de quo tot ac locupletiſſimi teſtes extant; iis tamen vitiis, quæ criticorum interdum ſunt propria, aliquid dedit quod necii, qui in laudibus ejus enarrandis ſunt copioſi ac ſummis meritis, quibus bonas litteras ornavit, juſtum pretium ſtatuunt, negant ac fatentur, quod fuerit ambitioni deditus ac maledicus: quandoque emendationes adhibuit atque inventionis laudem ſibi adtribuit, quas dudum ante illum aut Scaliger, aut alii critici poſuerant: extitit invidioſus atque ægro tulit animo, ſi & aliorum ingenia maturos ac præclaros fœtus excluderent, ac valde timuit de detrimento honoris, ubi videbat, aliorum nomina celebrari: obſervat hocce *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. v. cap. 1. §. 12.; addi poſſunt *Thomas Crenius* in *animadverſionibus hiſtoricis & philolog.* part. VII. p. 11., & de *furibus litterar.* diſſert. 11. p. 61.; & *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part. I. p. 161., qui plures auctores de Salmaſio memorat.

Michaël Piccartus, qui edidit *pericula critica* MDCVIII., quæ recuſa ſunt cura *Jo. Saulerti* Helmſtadii MDCLXIII.: multi auctores emendantur atque explicantur, Plautus, Apulejus, Nepos, Seneca, Feſtus, Symmachus, Petronius, Quinctilianus, Valerius Flaccus, Capitolinus, Lampridius, Servius, Ma-

mertinus, Arnobius, ac Martialis; illuſtrat quoque varios ritus ac dictiones, *bucephali* etymon, *jacturas* pro *impenſis*, *nec* pro *& non*, *copiam* pro *exercitu*, ex quibus patet, auctorem non ſolum philoſophiæ, verum etiam philologiæ fuiſſe peritum: vide quæ de eo habet *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part. v. p. 428.

Janus Gruterus, qui præter notas atque emendationes, quibus varios veteres auctores latinos ornavit, itemque præter *theſaurum criticum*, de quo ſupra copioſe diſſeruimus, edidit *ſuſpicionum* libros IX., in quibus varia ſcriptorum loca emendata & explicata ſunt, Vitemb. MDXCI.; neque non juris publici fecit *confirmationem ſuſpicionum extraordinariarum contra Dionyſium Gothofredum in Senecam philoſophum*, Francof. MDXCI.: mors autem ac perverſa temporum facies impedivit, quo minus ultimam manum potuerit imponere *ſuſpicionum* libris XXX. in claſſicos auctores.

Thomas Reineſius, cui debemus *variarum lectionum libros* III., *in quibus de ſcriptoribus ſacris & profanis claſſicis pleriſque diſſeritur: loca obſcura multa illuſtrantur, difficilia explicantur, corrupta emendantur: recentiorum etiam quorundam circa ea fruſtrationes, interpretumque in quamplurimis græcis allucinationes notantur*, Altenburgi MDCXL.: in iis ſane libris, quos edidit hic celeberrimus philologus, criticus, ac medicus, hicce eſt præſtantiſſimus, in quo quam varia præditus fuerit eruditione, ac quam operam in antiquis ſcriptoribus perſcrutandis atque illuſtrandis collocaverit, haud obſcure ſignificavit: in dedicatione multa quo-

que

que erudite obſervat, atque inter alia de artis criticæ utilitate ac neceſſitate diſſerit: quum opus hoc oppugnatum fuerit, edidit *defenſionem*, quæ prodiit Roſtochii MDCLIII.; ille autem, qui adverſus has *varias lectiones* quædam ſcripſerat, fuit *Andr. Rivinus*, profeſſor poëſeos Lipſienſis: de epiſtolis *Reineſii*, quæ multa critica continent, dicemus, quando uti propoſitum eſt, de epiſtolis criticis eruditorum virorum exponere inſtituemus:

Caſpar Hofmannus, qui etiam ſcripſit *varias lectiones*, editas Lipſiæ MDCXIX.: continent multas emendationes locorum Dioſcoridis, Athenæi, Plinii, Hippocratis; ſed ſunt rariores, uti obſervat *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. v, cap. 1. §. 9.

Janus Gebhardus, qui edidit *crepundiorum*, *ſive iuvenilium curarum libros* III. Hanov. MDCXV.

Zinzerlingus, cujus ſtudio prodiit *criticorum juvenilium promulſis*, Lugd. Batavor. MDCXIV.

Antonius Borremanſius in *variis lectionibus*, Amſtelod. MDCLXXVI.

Samuel Petitus, cujus ſtudio prodierunt *obſervationes*, Pariſ. MDCXIV.; *miſcellaneorum* libri IX. ib. MDCXXX.; ac *variæ lectiones*, MDCXXXIII.

Jo. Fridericus Gronovius, qui edidit *obſervationum libros tres*, quarum editio ſecunda, uti titulus habet, priori emendatior & altero tanto auctior prodiit Lugd. Batavor. MDCLXII., prior autem prodierat MDCXXXIX.: in emendandis atque illuſtrandis auctoribus accuratus fuit ac diligens: egregium ipſius

opus, quod ſcripſit de *ſeſtertiis*, multa quoque critica in ſe continet, ut taceamus de auctoribus, quos correxit atque obſervationibus illuſtravit, quæ in illos merita ſupra laudavimus:

Petrus Petitus, cujus *miſcellanearum obſervationum* libri quatuor lucem viderunt Trajecti ad Rhenum MDCLXXXII., in quibus non ſolum Ariſtotelis, ac græcorum ejus interpretum loca examinantur, verum etiam omne genus auctorum tam græcorum, quam latinorum, poëtarum, hiſtoricorum & oratorum, atque aliorum ſcriptorum veterum & recentiorum illuſtratur atque emendatur:

Philippus Caroli, vir eruditiſſimus ac diligentiſſimus, qui varios libros confecit atque edidit, qui merito ipſi locum inter hoſce criticos adtribuunt: edidit *varias lectiones*, Altorf. MDCXLIII. *novarum lectionum prodromum*; *animadverſiones hiſtoricas, philologicas & criticas in noctes Atticas Gellii, & Curtii hiſtoriam*, quibus præmiſſa eſt ejusdem *diſſertatio de criticis*, Noribergæ MDCLXIII.: in hiſce *animadverſionibus* p. 362. mentionem facit *libelli præteritorum*, & p. 442. promittit librum *ſuſpectæ latinitatis*:

Chr. Adamus Rupertus, profeſſor academiæ Altorfinæ, qui edidit *diſſertationes mixtas ad Valerii Maximi exemplorum memorabilium libros* IX. Noribergæ MDCXIII.: acceſſerunt ejusdem *obſervationes hiſtoricæ, politicæ, philologicæ, criticæ ad Velleii Paterculi hiſtoriæ Romanæ libros* II.: idem in lucem publicam emiſit *obſervationes in Salluſtium civiles, morales & philologicas*, Norimbergæ MDCLXXI.

Giſber-

Giſbertus Cuperus, immortale decus omnis antiquioris & græcæ & latinæ eruditionis, in qua multa capita tam feliciter tamque ſolide interpretatus eſt, ut merito in principibus criticis, quos noſtra ætas vidit, numeretur: non ſolum rei hujus ſplendidiſſima documenta dedit in *Harpocrate*, Trajecti ad Rhenum MDCLXXXVII.; in *conſecratione Homeri*, Amſtel. MDCLXXXIII.; in *notis ad Lactantium de mortibus perſecutorum*, qui libri profundam artis criticæ ſcientiam ſignificant: verum etiam, ut alii critici fecerunt, ſeparatim edidit *obſervationum libros tres, in quibus multi auctorum loci qua explicantur, qua emendantur, varii ritus eruuntur, & nummi elegantiſſimi illuſtrantur*, Ultrajecti MDCLXX.

Jo. Schefferus, cujus prodierunt *miſcellanea, quibus continentur Matthæi Camariotæ rhetorica cum verſione & notis: animadverſiones in Cornelii Nepotis Miltiadem, Plinii epiſtolas, Curtium, Ciceronis libros de legibus, apocolocyntoſin Senecæ & fragmentum Petronii Tragurianum; præmiſſum eſt autoris elogium cum ſuccincta de ſcriptis a Scheffero editis promiſſisque commemoratione*, Amſtelodami, ut titulus habet, MDCXCVIII.: nonnullos quoque auctores græcos ac latinos notis illuſtravit, variaque in libris, qui ad antiquitates pertinent, de *militia navali veterum*, de *antiquorum torquibus*, de *re vehiculari veterum* obſervavit, quæ antiquorum ſcriptorum interpretes multum juvant:

Jo. Clericus in *arte critica*: librum hunc ſupra quidem memoravimus, quum in recenſendis ſcriptoribus de ipſa arte critica eſſemus.

mus occupati : ſed quoniam hicce celeberrimus vir in laudato libro non ſolum indolem artis hujus explicat ac criticis regulas præſcribit, verum etiam multa exempla ex ſacris humaniſque libris, ſpeciatim profanis auctoribus affert ac critici provinciam ipſe adminiſtrat; eo nomine liber ejus merito ad hanc quoque claſſem poteſt referri :

Chriſtophorus Auguſtus Heumannus, cujus eruditiſſimi & ad rem criticam ornandam ejuſque in gente noſtra decus conſervandum nati viri ſtudio prodierunt *parerga critica*, *ſive hebdomadum criticarum hebdomas & gloſſematum decas : accedit emendatio emendationum aliquot falſarum in* V. C. *Jo. Clerici arte critica occurrentium*, *præmiſſa commentatione de arte critica, ſubjunctaque diſſertatione critica ad* I. *Joan.* V. 20. Jenæ MDCCXII. præter hæc artis criticæ ſpecimina dedit multa alia, atque eruditas ſcripſit obſervationes de rebus criticis, quæ præcipue in *actis eruditorum* leguntur :

Gotefridus Richterus in *ſpecimine obſervationum criticarum in varios auctores græcos & latinos*, quod prodiit cum præfatione *Jo. Franciſci Buddei*, Jenæ MDCCXIII. Supra laudavimus *Janum Gebhardum*; nunc autem addimus, quod illius *variarum lectionum & animadverſionum in Livium* ſpecimen ad primum librum ediderit *Henricus Leonardus Schurzfleiſchius* MDCCXIII. : nec ſilentio prætermittere debemus *Franc. Theod. Kohlii commentationes criticas in difficiliora ſcriptorum claſſicorum*, *Terentii*, *Nepotis*, *Virgilii*, *Phædri*, *Ciceronis*, *Heſiodi*, *Jul. Cæſaris*, *& alio-*

rum

rum loca, vel dilucidata, vel explicata, ſibique & vero ſenſui reſtituta, Hamb. MDCCXXVII. Equidem plures ſunt critici, a nobis haud memorati; ſed non omnes obſervationes criticas ſeorſim ediderunt: atqui hoc eſt criticorum genus, de quibus quaedam dicenda ſuſcepimus.

§. XXVII.

Inter hosce criticos fuerunt nonnulli, qui in epiſtolis ſuis, quas ad viros eruditos ſcripſerunt, argumenta critica illuſtrarunt: in *Jan. Gruteri theſauro critico* varii extant libri hac ratione conſcripti, *Jani* quippe *Parrhaſii de rebus per epiſtolam quaeſitis ſylloge*: *Aldi Manutii quaeſita per epiſtolam*: *Lucae Fruterii epiſtolae philologicae*: ſed alii adhuc ſunt hujuſmodi libri, qui in hoc theſauro non reperiuntur, quorum nonnullos itidem recenſere animus eſt. Exſtant igitur, ac rationem epiſtolarum criticarum prae ſe habent

Thomae Reineſii epiſtolae plurimae, quae editae ſunt per partes: prodierunt quippe ipſius epiſtolae ad *Hoffmannum & Rupertum*, Lipſiae MDCLX.; ad *Joannem Vorſtium*, quae ſunt philologicae & theologicae MDCLXVII.; ad *Neſteros*, patrem & filium, archiatros Saxonicos, quae ſunt medicae MDCLXX.; ad *Chriſtianum Daumium*, quas edidit *Jo. Andr. Boſius* MDCLXX., ubi multa occurrunt, quae ad latinitatem mediam pertinent; & ad *Joannem Andream Boſium*, quas publico uſui tradidit *Jo. Andr. Schmidius* Jenae MDCC., in quibus agitur de rebus criticis & philologicis:

Clau-

Claudii Sarravii epiſtolæ, quæ diverſi quidem ſunt argumenti, occurrunt tamen in illis, quæ ad ſtudia critica & philologica pertinent, quoniam interdum de editionibus librorum, de locis auctorum corruptis ſcribitur: additæ ſunt plerumque reſponſiones ſummorum virorum, Salmaſii, Grotii, Heinſiorum, Gronovii aliorumque; primum prodierunt MDCLIV., deinde auctiores editæ fuerunt ex bibliotheca Gudiana cum ipſius epiſtolis *Gudii*, cura *Petri Burmanni*, Vltrai. MDCXCVII.

Rolandi Mareſii epiſtolarum philologicarum libri duo, quarum libri primi editio prior prodiit Pariſiis MDCL., poſterior vero auctior poſt auctoris mortem curantibus *Launoio* ac fratribus *Valeſiis*, qui omnes epiſtolas in ordinem redegerunt atque in duos libros diviſerunt: denique acceſſit *Adamus Rechenbergius*, qui iſtas Lipſiæ MDCLXXXVI. novo habitu ornavit cum aliquot amicorum ad eum, nec non aliorum clarorum virorum ad alios: in his epiſtolis exponit *Mareſius* de variis argumentis philologicis: de ratione litterarum ſtudia tractandi, ſcribendi, ſcripta emendandi, explicandi, judicandi de ſcriptoribus antiquioribus & recentioribus, de ſtili vitiis ac virtutibus, deque libris legendis:

Tanaquilli Fabri epiſtolæ criticæ, quæ duobus voluminibus Salmurii MDCLIX. prodierunt: extant in illis variæ emendationes atque interpretationes veterum auctorum; qualis autem illarum ſit ratio, hiſce verbis ſignificat *Daniel Georgius Morhofius polyhiſtor.*

lit-

litterar. lib. 1. cap. 24. §. 37. *multa ex ingenio ſuo in auctoribus repoſuit, etſi manuſcriptis libris deſtitutus; quæ tamen ipſi temeritas nonnunquam ſe liciter ceſſit ingenii ſolertia ſæpe præcipienti, quod alii magno labore in manuſcriptis requirunt; non ſemel tamen aliis ob audaciam ſuam vapulat ſcriptoribus: nam corrigit ſæpe pro lubitu mendoſa loca, deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis: multa ſuarum conjecturarum complexus eſt his epiſtolis, quarum libri duo ſunt, quibus autorum veterum loca adverſus omnium ſententias explicat, ob feſtivitatem ingenii & acumen magno in pretio habendus:*

---*Marquardi Gudii*, & *aliorum ad illum epiſtolæ*, quæ, ut paullo ante obſervavimus, cura *Petri Burmanni* Vltrajecti MDCXCVIII. prodierunt: multa in illis occurrunt, quæ ſunt erudita atque ad rem criticam pertinent. Sunt alii hujus argumenti epiſtolarum ſcriptores, quos ſingulos ut recenſeamus, inſtituti noſtri ratio haud poſtulat: ſed tamen de illis legendus eſt laudatus *Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. 1. cap. 23. 24., & in *libello de ratione conſcribendarum epiſtolarum* cap. II. cum additamentis *Jo. Burc. Maii*.

§. XXVIII.

Nec defuerunt in cœtu eruditorum, qui in aliis diſciplinis ingenia ſua critica laudabiliter exercuerunt: nemo hiſtoriæ litterariæ tam ignarus eſſe poteſt, ut tot tamque ampliſſima nomina jureconſultorum neſciat, qui inſignem criticorum laudem ſibi compara-

runt:

runt: viget fama meritorum, quibus leges Romanas emendarunt, antiquitates rituſque explicarunt, aliaque adjumenta humanioris diſciplinæ ad illarum intelligentiam adtulerunt. Nonnulli ſeorſim quoque obſervationes criticas ediderunt, quæ præcipue ad jus Romanum civile pertinent; habemus enim *Guidonis Panciroli lectiones varias*, *Ant. Auguſtini emendationes & opiniones*, *Jacobi Ræ-vardi conjecturas*, *Scipionis Gentilis parerga*, *Chr. Coleri parerga*, ut de aliis iiſque, qui noſtra ætate florent, taceamus: hujuſmodi ſcripta celeberrimus juris atque elegantioris doctrinæ auctor *Everhardus Otto* in *theſauro juris civilis*, egregio opere colligere cœpit. Sed nimis eſſet alienum ab inſtituto noſtro, ſi horum ſcriptorum indicem vellemus conficere; quam enim ſuſcepimus, commentatio de criticis latinis præcipue ſpectat ad veteres auctores Romanos: hæc quoque eſt cauſſa, cur de illis criticis minus dicamus, qui operas ſuas ad ſcriptores eccleſiaſticos contulerunt, quamvis uberrima de illis commentandi nobis ſit materia, præcipue quum ætate recentiori magnus illorum extiterit proventus, qui in veteris eccleſiæ doctorum monimentis & illuſtrandis & vindicandis inſigniter elaborarunt.

GA-

CAPUT IX.

De Lectione Antiquorum Solutæ Orationis Scriptorum.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Nexus capitis hujus cum ſuperiori §.I.
Diſſeritur de vita, editionibus, & ſtilo Phædri §.II.
Cornelii Nepotis §.III.
Julii Cæſaris §.IV.
Eutropii §.V.
Ciceronis §.VI...X.
Salluſtii §.XI.
Velleii Paterculi §.XII.
Curtii §.XIII.
Plinii §.XIV.
Livii §.XV.
Taciti §.XVI.
Juſtini §.XVII.
Svetonii §.XVIII.
Flori §.XIX.
Senecæ §.XX.
Vbi ſimul alii auctores privato ſtudio perlegendi commendantur §.XXI.

OStendimus ſupra, qua ratione quove curſu lectio ſcriptorum latinorum ſtili cauſa ſit ſuſcipienda: ſed quum in hac opera maxime juvat noſſe, quis fuerit auctor, qua floruerit ætate, quale ſit ſcribendi genus, quid in eo habeat ſingulare, qui ſint cujuſvis idiotiſmi; conſtituimus hæc quoque capita perſequi, ac de quovis auctorum genere, ſive ſint veteres, ſive recentiores, ſive ſolutam, ſive ligatam habeant orationem, ſive ſint profani, ſive chriſtiani ediſſerere. Pri-

num dicamus de ſcriptoribus ſolutæ orationis antiquioribus, atque ut fiat delectus, illos ſeligamus, qui elegantia, caſtitate, & ſuavitate ſermonis excellunt, & harum litterarum fama nominis ſui terrarum orbem implerunt: namque magnus auctorum horum proventus eſt, quos omnes adire, culturæ ſtili prioris non conſultum eſt; ſed quum alii aliis emendata atque eleganti dictione ſunt ſuperiores, illis optimis ſtudium & operam ſuam conſecrare, & in horum monimenta ſe quaſi abdere, maxime fructuoſum eſt. Attamen conjungi volumus ſtudium publicum, quod inſtitutione magiſtri abſolvitur, & privatum, quando ætas illius capax eſt: publicarum lectionum tres curſus conſtituimus; in primo adeundi ſunt Phædrus, Nepos, Cæſar, Eutropius, Cicero in quibuſdam ſcriptis, qui & in ſecundo, & tertio curſu evolvendus eſt; ſecundo Salluſtius, Vellejus Paterculus, Curtius; tertio Plinius junior, Livius, Tacitus: privato ſtudio legi poſſunt Juſtinus, Svetonius, Florus, Terentius, Seneca: atqui hi ſunt, de quibus nonnulla ediſſerere, nobis eſt conſtitutum, ea quippe, quæ ad eorum vitam, monimentorum optimas editiones, ac ſtilum pertinent.

§. II.

Phædri † fabulæ ætati primæ propo-nan-

† *Gudius* mavult *Phæder*, licet & veteres dixerint *Teucrus*, *Iſtrus*: vide *Dauſquium orth.* tom. 1. p. 72., *Munckerum diſſert. de Hygin.* p. 31., *Fabricium bibl. latin.* p. 316.

nantur, quamvis pertineat ad poëtas, de cujus *vita* hæc obſervanda ſunt: patria Thrax fuit, libr. III. prolog. v. 55. 56., & Auguſti libertus, ſeu libertinus ex P. Pithœi ſententia, quum tempore Cæſarum liberti *libertini* quoque dicti fuerint: ſunt, qui per Auguſtum non *Octavium*, ſed *Tiberium* intelligunt, quod Sejani nomen & artes, quas leviter tangat Phædrus, ſuaderent; vide *Olaum Borrichium* de *lexic. latin. jejunit.*, *Andr. Schottum* lib. II. *obſ. hum.* c. 19.: reliquit libros quinque *fabularum Æſopiarum*, quæ *Æſopiæ* & ab aliis *Æſopeæ* vocantur, quia Æſopus argumentum quarumdam reperit, ut patet ex lib. v. fab. I., adde *Ægid. Menagium* ad *Laertium* p. 98., & quæ *Jo. Schefferus* contra Tanaq. Fabrum diſputat: fabula XVII. lib. tertii extat apud *Nicolaum Perottum* Archiepiſcopum Sipontinum *cornucop.* p. 1042., quam adfirmat, ſe adhuc adoleſcentem ex Avieno transtuliſſe; quo nomine *Petrus Scriverius notis ad Martialem* p. 88. exiſtimat, omnes fabellas Perotto adſcribendas eſſe; ſed cauſſam Phædri egit *Caſpar Barthius adverſarior* XXXVI. 21., ubi & de Camerarii & Faerni fabulis: adde *Ludovic. de la Cerda* ad *Virgil.* eclog. 7., *Marquard. Gudium* p. 270., *David. Hoogstratanum* ad Phædr. p. 120. Quod ad *editiones* Phædri adtinet, laudem ſingularem meretur editio *Petri Burmanni* cum integris commentariis Marq. Gudii, Conr. Ritershuſii, Nic. Rigaltii, Nic. Heinſii, Jo. Schefferi, Jo. Lud. Praſchii & excerptis aliorum, Amſtelod. MDCXCVIII. 8. quæ & auctior prodiit MDCCXVIII.; *Davidis Hoogſtratani* cum indice omnium verborum Petri Da-

neti, & tabulis æneis Amſt. MDCCI. 4., & MDCCXI. 12., quæ cum notis integris Tanaquilli Fabri, Iſaaci Neveleti, Jo. Ludov. Praſchii cum Publii Syri ſententiis prodiit Franequer. MDCC. 12.; *Jo. Frider. Gronovii* cum emendation. Jacobi Gronovii, additis Nicolai Diſpontinii in Phædrum collectaneis, Amſtel. MDCCIII. 8.: cum notis variorum, additis imaginibus Amſtel. MDCLXVII. 8. opera *Jo. Laurentii*; in uſum Delphini ſtudio *Petri Daneti* Pariſ. MDCLXXIV. 4.; cum brevibus notis & Gudianis vindiciis adverſus Jacobum Gronovium *Io. Chriſtophori Wolfii*, Flensburg. MDCCIX. 8., & *Io. David. Leonhardi* Jenæ MDCCXXVII. *Stilus* Phædri humilis eſt & mediocris, non ubique caſtus & purus, metro tamen apertiori, quam poëtarum & comicorum, ita ut omnia ad proſam adplicari poſſint: habet nonnullas voces & compoſitiones, quæ non ſunt imitandæ e.g. *reliquia, orum*, 1. fab. 22.; *veſcor* cum caſu adcuſandi, fab. 31.; *araneum* pro tela aranearum fab. 8. lib. II.; *ſtrigare* III, 3.; *imputare* pro poſtulare, aliquid ſibi adponi gratiæ I, 22.; *vulturius*, id eſt vultur fab. 27.: nec non poëticas figuras, e. g. *fauce improba* pro clamore magno I, 1., *laniger* ibid., *onus naturæ*, id eſt infans ſub matris utero; *aliquem letho dare* III, 16.: de reliquis vide, quæ a *Leonhardo* in præfatione, & a nobis in *diſſertatione de ſtilo Phædri* dicta ſunt †

§. III.

† *Balbinus notis in veriſimil*. p. 14. inter rariora Phædri refert, quod *parvum libellum & parvum tigillum* caſu nominandi extulerit,

& pro-

§. III.

Sequitur *Cornelius Nepos*, qui natus dicitur Hoſtiliæ, quam vicum eſſe ad Padum amnem, Veronenſis ditionis, adfirmant Plinius, & Tacitus, quod obſervat *Chr. Cellarius not. orbis antiqui* tom. I. lib. II. cap. 9. p. 690.: nituit inprimis tempore Ciceronis, cujus amicus familiaris a *Gellio* XV. 28. *noct. Attic.* dicitur: defunctus eſt primis annis principatus Auguſti, V. C. DCCXXIV., ante N. C. XXX. Ex monimentis ejus ſuperſunt: *vitæ Græciæ clariſſimorum ducum* XX; deinde adjecit de *Regibus Perſarum & Græcorum commemorationem*: *vitam Hamilcaris, & Hannibalis*, imperatorum Carthaginenſium; *Catonis, & T. Pomponii Attici*: perierunt varia. Ex *editionibus* Nepotis merentur laudem *Andr. Schotti* Francof. MDCIX. f., cui additur Nannius Alcmarianus de claris Corneliis, & chronologia Imperatorum Græciæ per Schottum; *Io. Henr. Boecleri* Argent. MDCXL. 8. quæ multum dignitatis habet ab indice, qui copioſus eſt; *Io. Andr. Boſii* Lipſ. MDCLVII. & Jen. MDCLXXV. 8., adjectis Gebhardi & Boecleri notis & indice, item Henrici Ernſtii ad Nepotis Atticum, ex qua editione patet, Boſium fuiſſe litteratura antiquiore penitus imbutum: *Georg. Caſparis Kirchmayeri* Witt. MDCLXV. 8., qui diſpoſitiones Imperatorum adjecit, quæ utiles ſunt: *Chriſtophori Cellarii* MDCLXXXIX., MDCXCIV., MDCC., MDCCXI., MDCCXV. 12., qui addidit tabulas chro-

& provocat ad *Rigaltii notas*: ſed utrique & Phædro, & Rigaltio adtribuit falſa.

chronologicas, & geographicas, notas philologicas & hiſtoricas, & indicem latinitatis magno ſtudio compoſitum: cum notis variorum opera *Rober. Keuchenii* Lugduni Batav. MDCLVIII., MDCLXVII., MDCLXXV., MDCLXXXVII. 8.: *Auguſti Buchneri*, Lipſ. MDCLXXXVIII., & MDCXCIII. 8., cui acceſſit triplex clavis in Nepotem chronologica, geographica, & ſtathmica, item duplex index, alter Boecleri latinus, alter locutionum germanicarum: in uſum Delphini cura *Nicol. Courtini* Pariſ. MDCLXXV. 4., Londin. MDCXCI. 8.: editiones *Oxonienſes* e MSS. recenſitæ MDCLXXV., MDCLXXXVII., MDCXCVII., MDCCIX. 8.: cum notis ſelectis *Davidis Hoogſtratani* Amſtelodam. MDCXCI. 12. *Stilus* quod ad periodorum ambitum pertinet, plerumque conciſus eſt, ita tamen, ut interdum magis atticum dicendi genus, quam laconicum æmulari videatur; quo nemine e græcis cum Thucydide, latinis vero Salluſtio comparari poteſt: ipſa ſtili forma eſt humilis, quoniam Nepos utitur verbis planis, uſitatis & perſpicuis: abſtinet ſe ab ornatu rhetorum, figurarum puta & troporum, nec ſuavem & facilem vocum ordinem immutat: oratio pura eſt, ut latine loqui pæne ſolus videatur. Pauca deprehenduntur, quæ a puriore oratione proſa aliena, & minore gratia ſunt: habet quosdam archaiſmos, ac nonnullas voces poëticas; ſic occurrit *alteræ*, caſu dandi XVIII, 1. 6., uti MSS. libri conſtanter, quod & *Boſius* tuetur, quia antiqui ita formabant, *Terentius heaut.* II, 3. 30. *alteræ*, *eunuch.* V, 6. 3. *mihi ſolæ*, & teſte *Priſciano* lib. VI. poſt initium, ipſe Cicero *unæ rei*: porro apud

Nepo-

Nepotem XXIV, 3. 4. extat *capitulatim*, id eſt ſummatim, per capita, quod vocabulum non ſæpe obvium eſt; *Plinius* major II, 12. id poſuit: IV, 2. 4. *face* pro *fac* archaiſmo, comicis maxime uſitato, Plauto, Terentio, immo ipſe elegantiſſimus *Naſo pont.* II. 2. 64. hac forma uſus eſt: XIV. 1.4. *fungi* extat cum caſu accuſandi: V. 2. 4. habet *inſulas bene animatas confirmavit*, id eſt in obſequio manentes, quæ dictio poëtica videtur: II.1.1. *Neocli* pro *Neoclis* caſu gignendi, qui erat Themiſtoclis pater: VI.3.1. græca conſuetudine ponitur infinitus modus pro gerundio, *iniit conſilia reges Lacedæmoniorum tollere*. †

§. IV.

C. Julius Cæſar dictator, natus fuit v. c. DCLII.

† *Cornelius Nepos*, auctore *Jo. Raven* Berolin. acad. Erfurt. primum eloquentiæ & hiſtoriar. profeſſore, deinde bibliothecæ præfecto Elector. Brandenb., *diſſert.* Cornelio Nepoti Hamb. MDCXLVIII. 12. ab ipſo edito præmiſſa p.97., *gravitatem in rebus potius, quam in verbis oſtendit, quæ tamen ipſa ſimplicitate magnifica eſſe perfecit; & quoniam impetu non fertur, ſed lenis eſt, hoc magis adoleſcentiæ conducit, quia ducere eam, trahere non opus eſt: nihil autem in ſcriptore iſto reperitur, quod non plenum humanitatis & bonorum ſtudii, rectos mores & ſimplices, veterumque innocentiam præ ſe ferat; quapropter dictione non eſt alius, & ſi verum dicere velimus, ſolus latinorum expreſſiſſe Lyſiam videtur, quantum hoc ſterile ep. di genus permiſit: tam purus in ſermone caſtusque, ut non æque alius apud Romanos.*

DCIII. filius romani patricii & prætoris cujus mater Aurelia, quæ obiit, quum Gallico bello implicitus Cæſar amiſiſſet legionem ad Gergoviam cæſis legatis, auctore Svetonio, quod accidit v. c. DCC.: præceptore uſus eſt M. Antonio Gniphone; anno ætat. XVIII. flamen dialis deſignatus fuit: dimiſit priorem uxorem & duxit aliam, Corneliam, Cinnæ filiam, qua defuncta iniit fœdus matrimonii cum Pompeja, Q. Pompeii filia, quam metu P. Clodii miſſam fecit. Quod ad dignitates ejus adtinet, fuit tribunus militum, quæſtor, ædilis, prætor, & conſul cum M. Bibulo; quo conſulatu adminiſtrato præfuit Galliarum provinciis, & præclara fortitudinis opera præſtitit; namque univerſam Galliam, partem Germaniæ, & Britanniam ſub Romanam redegit poteſtatem, quo factum eſt, ut incredibilem auctoritatem ſibi conciliaret: quinque triumphos egit, Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, Africanum, & Hiſpanienſem. Sunt, qui tradunt, quod Julius noſter primus *Cæſar* adpellatus ſit, quod cæſo matris mortuæ utero natus eſſet, id quod imperitum eſt & falſum: nam ante ex gente Julia plurimos ſic adpellatos eſſe, patet ex litterarũ monimentis: *Cæſar* cognomen fuit Juliæ gentis, vide *Fulvium Urſinum* de *fam. rom.* p. 1143.: in curia a conjuratis confoſſus periit idibus martii v. c. DCCX., ante N. C. XLIV. ætatis LVI † Ex monimentis ejus ſuperſunt

de

† *Hubertus Goltzius* Cæſaris genealogiam vitamque compoſuit, & illuſtravit e nummis vetuſtis MDLXIII. fol.: prodiit quo-

que

de bello, *quod cum Gallis geſſit*, *commentariorum* libri VII., qui tranſlati ſunt in græcum ſermonem, cujus verſionis auctor traditur Maximus Planudes, quamve ex codice Paulli Petavii edidit MDCVI. *Godofredus Jungermannus*: ac tres libri de *bello civili Pompejano*, quos Floridus Sabinus negat, Cæſaris eſſe, Vincentius Bellovacenſis autem, Rodericus Sanctius, & Ludovicus Carrio commentarios de bello Gallico ad Julium quendam Celſum auctorem retulerunt; confer *Ger. Jo. Voſſium* lib.V. c.3.n.10. *inſt.orat.*, & *Mart. Hanckium* lib.1. de *ſcript.rom.* p.1. c.4. art.2. §.3.p.53.: lib.VIII. de *bello gallico* ad Cornelium Balbum Gaditanum, additus eſt ab *A. Hirtio*, collega in conſulatu Panſæ, quique Julio Cæſari erat familiaris. Jo.*Lud. Vives* de *tradendis diſciplinis* lib.IV.: *commentarii ab Hirtio additi*, *vel Oppio plane ſunt alii*, *quam Cæſaris*; *minus & puritatis habent*, *& majeſtatis*, *ut Cæſareanos a principe ſcriptos adpareat*, *alteros a privato*: hic anno proximo poſt Cæſarem interfectum periit in acie conſul, de quo legendi ſunt *Suetonius* Auguſt.c.XI., *Xiphilinus* p.33. ſeq. Cæſaris ſcriptis, quæ memoravimus, etiam ſubjungitur liber de *bello Cæſaris Alexandrino*, & de *bello Africano*, quod cum Juba Numidarum rege geſſit Cæſar, cujus idem auctor eſt, qui erat libri VIII. de bello

gal-

que *C.Julius Cæſar numiſmaticus*, *ſive diſſertatio hiſtorica Dionis Caſſii ſcriptoris græci ſelectiora commata C. I. Cæſaris ortum*, *dignitates*, *connubia*, *interitum*, *rogum & apotheoſin complexa*, *numiſmatum demonſtratione*

ne

gallico. Librum III. de *bello Hiſpanienſi* refert *Voſſius* ad Cornelium Balbum, vel ad C. Oppium; at *Svetonius*: *Alexandrini, Africique, & Hiſpanienſis incertus auctor eſt; alii enim Oppium putant, alii Hirtium, qui etiam Gallici belli noviſsimum imperfectum librum ſupplevit*. Hæc C. I. Cæſaris opera ſæpe numero prodierunt, ex quibus editionibus laudandæ ſunt *Jungermanniana* Francof. MDCVI. 4., & MDCLXIX., quæ priori longe eſt inferior; adjunctæ ſunt græca verſio libror. VII. de bello gallico, & notæ integræ Rhellicani, Glareani, Glandorpii, Jo. Camerarii, Bruti, Manutii, Sambuci, F. Vrſini, P. Ciacconii, Hottomanni, Jo. Brantii, Godofredi Jungermanni: *Arnoldi Montani* cum notis ſelectis variorum Lugd. Bat. MDCLI., MDCLVIII., MDCLXV. MDCLXX., MDCLXXXVI. 8., quæ ultimæ duæ ſunt præſtantiores prioribus: *Jo. Godvvini* in uſum Delphini, Par. MDCLXXVIII. 4., & Lond. MDCXCIII., MDCXCVII. MDCCVI. 8.: *Jo. Georg. Grævii* cum obſervat. Dionyſii Voſſii, additis Cæſaris Fragmentis, Amſtelod. MDCXCVII. 8.: *Chriſtoph. Cellarii* cum tabulis geographicis Lipſ. MDCCV., & MDCCXIII. 8.: *Jo. Daviſii* cum variorum notis & græca metaph. Cantabr. MDCCVI. 4., quæ editio princeps inter omnes eſt. Quod ad Cæſaris ſtilum adtinet, ſecutus eſt caracterem, qui inter copioſum ac brevem ſervat medium: habet dicendi genus humile, quod naturali ſua pulcritudine multum ſe commendat: voces ſunt propriæ atque uſitatæ; quæ ſimplex oratio, quum de ipſo

ne illuſtrans Jo. Seobaldi Fabricii. Londin. MDCLXXVIII.

ipſo & rebus ſuis ſcriberet, erat neceſſaria; dictio eſt pura, nativa, perſpicua, & elegans. Cæſar excellit caſtitate ſermonis, qua nec Ciceroni, nec Nepoti cedit: quæ in latinitate ejus notanda, nec tuto ad imitationem trahenda ſunt, pauca inveniuntur, qualia ſunt, quando lib. VI. B. G. cap. 14. ponit vocem *ambactus*, quæ Gallis atque Germanis in uſu fuit & notavit ſervum, ut habet *Feſtus*: *ambactus apud Ennium lingua gallica ſervus dicitur*: libr. II. B. C. cap. 9. dicit *ancorarii funes*, quod nomen adjectivum alibi non deprehenditur: c. I, 21. 3., & cap. 51. 14. *antemittere* pro *præmittere*, quod verbum *Solino* cap. 38. de elephantis quoque eſt: lib. VII., 47. 1. *comitatus* paſſive, & Afr. 93. 3. *aſpernari ab omnibus* paſſive; lib. I. B. G. 16. *ſummo magiſtratu præerat*, pro *magiſtratui*, quod ſolemne Cæſari fuiſſe, ex analogicis & aliis ejus monimentis *Gellius* IV., 16. demonſtravit: lib. I. B. C. cap. 64. num. 2. voluit *circulari*, quod ſit cœtus & circulum hominum circumſtantium & colloquentium facere, quo & uſus eſt *Cicero* in Bruto cap. 54. *oſcitans judex, loquens cum altero, nonnunquam etiam circulans*: in excuſis pluribus Cæſaris legitur quidem *conturbari*; ſed hanc ſcripturam optimi interpretes reſpuunt: lib. II. B. C. cap. 6. num. 5. extat *collabefieret*, quod vocabulum alibi non invenitur: cap. 9. n. 1. *contabulatio*; VII. 3. 1. *detrimentoſum*; 73. n. 2. *dolobratis cacuminibus*: B. C. I. 61. 3. *equitatus magnos* plur.: B. C. I. 78. n. 3. *explicitius* pro facilius, *humilitas* pro tenui potentia V. 27. 4. IV. 24. n. 3., *inſuefactos equos*; B. G. VII. 73. n. 1. *materiari*, VI. 25. n. 3. *ſiniſtror-*

ſtrorſus; B.C. III. 53. n.6. *ſpeciarius*, ſi locus recte emendatus eſt: lib. III. cap. 18. n. 3. libri omnes habent *quibus communicare*, quamvis *Gronovius* obſ. II. 6., & *Cellarius* ſcribant, *quibus cum communicare*, quod latinius eſt: in ceteribus operibus, quæ Cæſari adiiciuntur, etiam habemus quædam rarioris latinitatis e. g. *cauſſulam paruulam*, bell. Afric. 54. 1., *condocefacere*, Afr. 27. 1., *confidentia* Alex. 52. 4., *cruciabiliter interfici*, Afr. 46. num. 2., *filiis* pro filiabus Alex. 33. 2., *inſectatus ab hoſte* paſſ. Afr. 71. 4.: orationem ac ſtilum Cæſaris egregie illuſtravit *Jo. Guil. Bergerus* in *libro commentario de naturali pulcritudine orationis*, MDCCXIX †;

§. V.

† *Harduinus* conatur, res a Cæſ. in Gallia geſtas ſuſpectas & ſuppoſitas nobis reddere, quum *chron. vet. teſt.* p. 613. ait: *Cæſaris de Oriente victorias videmus in monumentis ejus conſignari; de Gallis ſimile aliquid non videmus: in colonias Hiſpaniæ ac municipia, miſſos fuiſſe ab Auguſtis duumviros, ſive annuos, ſive quinquennales, nummi docent; in Galliæ oppida, quia libera ac ſui juris, ob αὐτονομίας prærogativam, nullos fuiſſe tales magiſtratus a Romanos miſſos, tum ex nummorum ſilentii liquet, tum ex eo, quod in Gallia comata nulla Romanorum colonia fuit, præter Lugdunum, populi vero liberi plurimi, teſte Plinio in deſcriptione Galliæ, tametſi non omnes immunes a tributo: miſſum pro prætore Cæſarem, ad emungendas auro has regiones, ad tutandos cum legionibus Galliæ Ciſrhenanæ limites, quo & Varus poſtea, & Druſus, & Tiberius miſ-*

ſi

§. V.

Nunc dicendum eſt de *Flavio Eutropio*, qui Italus, ſophiſta, & primum ab epiſtolis Conſtantini M. deinde adfuit expeditioni Juliani apoſtatæ in Parthos, ſive Perſas: ſunt, qui eum Chriſtianum fuiſſe, ex his de Juliano: *Nimius Religionis Chriſtianæ inſectator, perinde tamen*, ut *cruore abſtineret*, coniiciunt; ſed recte alii confirmant, eum addictum fuiſſe paganiſmo; vide *Petr. Lambecium* lib. IV. *bibl. Vindobon* p. 56.: edidit *breviarium romanæ hiſtoriæ* ad Valentem Auguſtum, juſſu ejus, ab urbe condita ad illius uſque, & fratris Valentiniani tempora deductum. Eutropium antiquitas tanti fecit, ut Hieronymus, quum Euſebii annales libros vel verteret latine, vel deduceret longius, ſæpe Eutropii verbis uſus ſit, quod etiam de Paullo Oroſio, Auguſtino æquali, & aliis conſtat. Græci tranſcripſerunt illum verſionibus in linguam ſuam, quarum altera *Capitonis Lycii* interiit; altera ſupereſt *Pæanii*, quamvis extremo libri ultimi mutila, qui cujus ſit ætatis, non conſtat. Paullus Diaconus jubente domina Adelberga, Deſiderii Longobardorum regis filia, hiſtoriam Eutropii hujus pæne invertit, etiam duobus libris ſuis produxit: con-

E e fer

ſi ſunt; *tum ex Plinii libro* XXXVI. *ſect.* IV. *colligi poteſt*; *tum ex eo*, *quod bellum civile Cæſaris*, *Hiſpanienſe*, *ac cetera Plinius commemorat*, *quod tamen*, *ſi commentariis credimus*, *cetera longe vincit*. Sed ad hæc reſpondit *Jo. Sartorius* de *oſtraciſmo litterario* p. 61. & ſeqq.

ſer præfationes Antonii Schonhovii, Eliæ Vineti, Friderici Sylburgii, Paulli Merulæ, Annæ Tanaquilli Fabri filiæ, quas *Chriſtophorus Cellarius* collegit ſuæque editioni præmiſit. Prodiit hoc breviarium ſincerum & ſeparatum a Paulli acceſſionibus opera *Jo. Baptiſtæ Egnatii* Venet. MDXX.; *Antonii Schonhovii* ex MST. Gandavenſi, quod ſubminiſtraverat ei Abbas, & præpoſitus Joannis & Bavonis apud Gandenſes Baſil. MDXLVI., MDLII.; *Eliæ Vineti*, qui ex Burdegalenſi codice priſtino nitori reſtituit Eutropium, cujus prima editio Pictavii in Galliis MDLIII. impreſſa, & altera Lutetiæ Pariſiorum MDLX.: hos ſecuti ſunt *Paullus Merula* Lugd. MDXCIV. 8., & *Fridericus Sylburgius* tom. I. *rom. hiſt. ſcript.* ex MST. Fuldenſi; *Chr. Cellarius*, qui & adjecit græcam metaphraſin Pæanii, Ciz. MDCLXXVIII., & Jen. MDCXCVII. 8.: editio vero in uſum Delphini cura *Annæ* filiæ *Tanaquilli Fabri* Par. MDCLXXXIII. 4., Oxon. MDCXCVI. 8., & *Thomæ Hearne* e theatro Sheldoniano MDCCIII. 8. prodiit. *Stilus* Eutropii habet periodos, quæ neque longæ, neque conciſæ ſunt, ſed medium tenent; ſimplex eſt, purus, perſpicuus, naturalis; hinc *Chr. Cellarius præfatione nova* ad Eutropium: *Eutropium commendo, non antiquiſſimum quidem ſcriptorem; at ea tamen latinitate, quæ augendæ eruditioni ſit, neque aures vel doctiſſimas offendat, quod nihil oſtendi forte poteſt, quod non idem ex Trajani meliori ævo comprobetur: ſi quæ propria ejus ſeculi, quo ſcripſit, inveniri poſſunt, quæ tamen admodum rara puto eſſe; non ſine cenſoria nota, aut excuſatione dimittuntur, ut*

nec

nec inde quidquam ſit, quod ſtilo tuo timeas: de rerum autem ſerie & per ſecula decurſione non piget me repetere, quod adlocutione dixi: qui cum Eutropio conſerri poſſit, ne dicam anteponi, haberi in latinis neminem. Pauca igitur ſunt in latinitate ejus, quæ probatam caſtitatis auctoritatem minus præ ſe habent; ſunt autem vocabula minus latina ac pura: *ægritudines* pro morbis IX. 53., Auguſteo enim ſeculo hoc vocabulo ſolum fere animi mœrorem ſignificarunt: *aliquanta* pro aliquot IV. 11. 6., qua ſignificatione etiam uſi ſunt *Spartianus* in *Adriano* cap. VII., *Oroſius* III, 13., *Vegetius* IV, 40.: *dubietas* pro dubitatione, quod vocabulum eſt ſcriptorum ævi poſterioris, adde *Ammian. Marcellinum* XX, 6.; *genitura* pro themate natalitio VII. 13. 10.: *ignominioſe* IV, 10. 4. & IV, 11. 3., quæ vox eſt auctoribus ſequioris ævi, Oroſii, Arnobii; *medietas* II, 16. 10., quo verbo uſi ſunt Palladius, Apulejus, Ammianus: *nimietas* X, 9. 9., quam vocem etiam habet *Columella* VI, 23.: *præfectura urbi* in dandi caſu VIII, 8. 1.: huc etiam pertinent tituli Principum, quos extulit in abſtracto v. g. *manſuetudo tua* præf. ad Valent. *tranquillitas tua*, ibid. & I, 11. 2. Voſſius & alii reſpuunt vocem *voracitas*, quæ etiam VII, 12. 3. extat: tueri ſe poteſt *Plinio* auctore II, 107.; numero multitudinis *Auguſtinus* dixit libro de *mor. eccleſ. cath.* c. XXXIV. *voracitates ebrietateſque*. *Ger. Jo. Voſſius* de *hiſtoricis latinis* lib. II. cap. 8. dicit: *ſtilum ſi ſpectes, parum eſt concinnus; ſed hoc ætati, qua vixit, tribuamus*. *Olaus Borrichius conſpect. præſtantior. ſcriptorum* num. XLII. p. 97. ſtilum ejus

vocat *parum concinnum*, *nec tamen plane contemnendum*. *Tanaquillus Faber.epiſt.* XLI. tom. I. ad Claud. Sarravium de ſtudiorum ratione,quæ in ſcholas introduci poſſit:*ea autem omnia quinam e veteribus præſtiterunt rectius, quam Phædrus, Apollodorus, Eutropius,Cornelius Nepos, & Pomponius Mela? qui libelli intra unius anni curriculum, ſi qua modo adhibita diligentia fuerit, nullo poterunt negotio perlegi.* Equidem cum Nepote, aut aliis veteribus haud conferri poteſt, ſed tamen haud impurus eſt, nec ſtilo admiſcet labem,nec quidquam habet, quod ex antiquitate, argenteo ſaltem latinitatis ævo, defendi nequeat: quumque hiſtoriam romanam per tempora & annos urbis accurate & diligenter diſtribuit, ſine qua nemo in latinis ſcriptoribus quidquam proficit,nullus mirabitur, nos illum maxime commendare.

§. VI.

M. Tullius Cicero natus eſt teſte *Gellio* XV, 28. Q. Servilio Cæpione & C. Atilio Serrano coss. V. C. DCXLVII., ante natam generis humani ſalutem CIII.,patriam habuit agrum Arpinatem: puer uſus eſt præceptoribus græcis, in quibus Archias poëta fuit: e philoſophis fere primum audivit Philonem,quo tempore etiam Q. Mucium Scævolam juris civilis ſtudio, & tum Sulpicium trib.pl.,& Molonem Rhodium cauſſarum actores & magiſtros ſectatus eſt: bello Marſico ſub Sylla militavit, & in exercitu Cn. Pompei conſulis XVIII. ætatis anno tiro fuit. Rediit brevi ad litterarum ſtudia,& adoleſcens ſcripſit *Marium*,id eſt res geſtas

ſtas C. Marii ; de *inventione rhetorica* libros duos : vertit ex græco *Aratea*, & *æconomicum* Xenophontis: anno XXVI. P. Quinctium defendit, & ſequenti proximo Sex. Roſcium Amerinum ; tum in Græciam & Aſiam profectus eſt. Primus honorum gradus quæſtura urbana fuit, quam geſſit ætatis anno XXI.: fuit ædilis, quod munus adminiſtravit Hortenſio & Metello Cretico *Coſſ.*, id eſt ætatis anno XXXVIII., & ex unius intervallo prætor primus cunctis centuriis renuntiatus : poſt hanc dignitatem ad conſulatum aſcendit, quem Catilinæ diſſipata conjuratione magna gloria geſſit : Piſone & Gabinio Coſſ., P. Clodio tribuno plebis in exſilium ejectus, everſa eſt domus & libertati dicata ; cui fato ceſſit Cicero & Dyrrachii aliquamdiu commoratus, Theſſalonicam ſe contulit : ſequenti anno reſtituitur, fit augur loco Craſſi junioris apud Parthos interfecti, proficiſcitur cum imperio, Ciliciam utramque & tres in Aſia diœceſes cum Cipro inſula adminiſtrat, nomen etiam imperatoris, Amanienſibus devictis, conſequitur : triumviratu inito proſcriptus eſt ſub finem anni, quo Panſa & Hirtius conſules fuerant, VII. idus Decembris ſenilem vitam eripiente Antonio, dimiſit. Plures commentati ſunt de vita Ciceronis : ex vetuſtioribus Tullius Tiro, & Cornelius Nepos, quorum monimenta perierunt, *Plutarchus*, *Aurelius Victor*, *Salluſtius*, *Vellejus Paterculus* & alii, qui multa de Cicerone habent : ex recentioribus vide *Franciſcum Fabricium* Marcoduranum, cujus *vita Ciceronis* ſæpius prodiit cum ſeparatim, tum adjuncta quibuſdam editionibus Cicero-

Eee 3 nis,

nis, veluti Venetæ Manutiorum, Gruteri, Schrevelii, Gronovii; *Wolffgangum Periſteram* Boruſsium, qui Berol. MDLXXXI. 8. edidit *Jacobi Angeli de Scarparia hiſtoriam Ciceronis*, cui addita eſt *tabula Chytræi de vita* ejuſdem: *Chriſtophorum Preyſs*, Pannonium in *vita Ciceronis*, cui acceſsit oratio de *imitatione Ciceroniana* Baſil. MDLV. 8.; *Conſtantium Felic. Durantinum* libris duobus de *exſilio & glorioſo reditu Ciceronis* Lipſ. MDXXXV. 4.; *Petrum Ramum* in *Ciceronian.* Pariſ. MDLVI., *Sim. Vallambertum*, in *vita Ciceronis* Pariſ. MDLXXXVII. 8., *Rudolphum Capellum protheoria Ciceron.* Hamburb. MDLXXXIII., *Gaſpar. Sagittarium* de *vitis Plauti*, *Terentii*, *& Ciceronis* Altenb. MDCLXXI. 8.: adde *hiſtoire des quatre Cicerons* Hag. Com. MDCCXV. 12., diſſert. noſt. de *amænitatibus ex Ciceronis peregrinatione* collectis, quæ extant in *parergis academicis*; *Steph. Baluzii* diſſ. de *die natali Ciceron.*, *Jo. Albert. Fabricium bibl. latin.* p. 89., & volum. II. p. 94., *Thomam Pope-Blount cenſur. celebr. auctor.* p. 57., & plures alios.

§. VII.

Ex monimentis ingenii, quæ *Cicero* reliquit, ſuperſunt ex rhetoricis libris de *inventione* libri duo: de *oratore* dialogi tres: *Brutus*, ſive de *optimo dicendi genere* liber: *topica*, de *partitione oratoria* dialogus; de *optimo genere oratorum* (libri *rhetoricorum ad Herennium* autem ad Ciceronem non pertinent) ex orationibus LVIII. numero; ex epiſto-

ſtolis ad *diverſos* libri XVI., ad *Atticum* libri XVI., ad *Q. Fratrem* libri tres, ad *M. Brutum* liber I.: ex ſcriptis philoſophicis *quæſtionum academicarum* libri duo: de *finibus bonorum & malorum* libri quinque: *quæſtionum Tuſculanarum* libri quinque: de *natura deorum* libri tres: de *divinatione* libri duo: de *fato*: de *legibus* libri tres: de *officiis* libri tres: *Cato major*, ſive de *ſenectute*: *Lælius*, ſive de *amicitia*; *paradoxa ſex*, *ſomnium Scipionis* & alia fragmenta: opera hæc Ciceronis ſæpe cum junctim, tum ſeparatim prodierunt, atque interpretes multiplicem variamque operam in illis collocarunt, quum libros hoſce modo caſtigarunt atque emendarunt, modo ſuis adnotationibus illuſtrarunt. Ex editionibus, quæ ſingulos libros complectuntur, memorandæ ac laudandæ ſunt *Aldina*, MDXIX., MDXXII. 8. vol. IX., cujus editionis paginas ſecutus eſt *Nizolius in theſauro*: *Petri Victorii*, Venet. MDXXXVII. fol. cujus ſunt quatuor volumina: ex officina Juntæ, quæ caſtigata eſt ad fidem librorum ſcriptorum: *Seb.*, & *Ant. Gryphiorum* MDXL., MDXLVIII., MDLIX. MDLXXI. 12., cura Jo. Mich. Bruti: *Joachimi Camerarii* cum P. Victorii caſtigationibus Baſ. MDXL. fol. duobus tomis: *Jo. Sturmii* Arg. MDXL., MDLVII., MDLXIV. 8. vol. IX.: *Roberti Stephani* Paris. MDXLIV. 8. vol. VIII.: *Car. Steph.* Pariſ. MDLV. fol. vol. II.: *Paulli Manutii* Venet. A. MDXL., MDLXIV. 8., cujus volumina ſunt decem: *Dionyſii Lambini* cum obſervationibus ejus Paris. MDLXVI., MDLXXXIV. Lugd. MDLXXVII. fol. II. vol., Par. MDLXXII. 8. vol. IX., Arg. MDLXXXI. VIII. volum.: cum commentariis

Paul-

Paulli & *Aldi Manutiorum*, Venet. MDLXXVIII., MDLXXXIII. fol. IV. volum. : *Dionyſii Gothofredi* Gen. MDXCVI. 4. : *Jani Gruteri* cum notis ejus, Guilielmii & aliorum Hamb. MDCXVIII. fol. vol. II. : *Cornelii Schrevelii* Lugd. Batav. MDCLXI. cum adnotamentis; *Elzeviriana* Lugd. Bat. MDCXLII. 12., cujus ſunt decem volumina : *Jacobi Gronovii* Lugd. Bat. MDCXCII. vol. II. 4., & vol. V. 12. cum Aſconii Pediani commentariis in quasdam Ciceronis orationes. Quum in ſcholis præcipue explicantur primum *epiſtolæ* ſcriptæ *ad diverſos*, harum editionem alumnis commendamus *Chriſtophori Cellarii*; magiſtris *Jo. Georgii Grævii*; ex antiquioribus vero excellit editio *Henrici Stephani*, quam ſupra laudavimus: deinde *orationes ſelectæ*: prodierunt hæ cura *Chriſtophori Cellarii*, *Eduardi a Zurck*, & cum commentariis *Car.* de *Meroville* ex editione in uſum Delphini: item libri de *officiis*: commentarii extant in illos *Samuelis Rachelii*, *Jo. Henric. Boecleri*, *Jo. Georgii Grævii*, *M. Alberti Chriſtiani Rothii*, & *Thomæ Cockmann*.

§. VIII.

Nunc fuſius diſſeramus de *ſtilo* & *latinitate* Ciceronis, cujus merito tantam ſibi laudem comparavit, ut princeps latinæ linguæ auctor omni jure cenſeatur. Jam antiquiori ætate fuerunt, qui quanta ſit Tullianæ eloquentiæ vis, elegantia ac caſtitas, teſtati ſunt ejuſque laudes enarrarunt. *Quinctilianus* X. *inſtit. orat.* I. dicit: *mihi videtur M. Tullius, quum ſe totum ad imitationem Græcorum con-*

tu-

tuliſſet, effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis: nec vero, quod in quoque optimum fuit, conſecutus eſt tantum; ſed plurimas, vel potius omnes ex ſe ipſo virtutes extulit immortalis ingenii beatiſſima ubertas: item: *ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit*: a *Plinio præf. hiſt. nat.* dicitur *vir extra omnem ingenii aleam poſitus*. Viget quoque recentiori ætate latinitas Tulliana ſua laude, nec a peritis atque æquis Romanæ eloquentiæ cenſoribus ei aliud, niſi præclarum atque egregium pretium ſtatuitur: immo extiterunt, qui nimio laudandi atque imitandi Cicer. ſtudio peccaſſe videntur, quum unicum Ciceronem ſcire voluerint, atque omnem latini ſermonis laudem in imitatione ejus poſuerint, id quod conſtat de Petro Bembo, ſimia Ciceronis, Chriſtophoro Longolio, Mario Nizolio, Paullo Manutio, Brunello, Paleario, Antonio Auguſtino, Andrea Dudithio, Lazaro Bonamico, qui dixit: *ſe magis velle loqui ut Cicero, quam eſſe pontificem romanum* & aliis, de quibus capite de *imitatione* diſſeremus. Sed quamvis Ciceroni communi ac vero conſenſu eruditorum facundiæ & puræ linguæ Romanæ principatus datus ſit; fuere tamen, qui orationem ejus minus probarunt: e veteribus Aſinius Pollio, vir clariſſimus Ciceronis, & Auguſti temporibus amore ſui invidus aliis, uti iniquus fuit in Cæſarem, Salluſtium, Livium, ſic etiam ſugillavit Ciceronem; nam, quod *Marcus Seneca ſuaſoria* VI. dicit, *infeſtiſſimus famæ Ciceronis permanſit*, & iniquo tulit animo, ut *ſuaſoria* inſequenti eſt proditum,

Ci-

Ciceronem jam occiſum, laudatum eſſe a Cornelio Severo poëta: ejus filius Aſinius Gallus, cujus idem Seneca meminit, editis libris patrem Ciceroni præferre non dubitavit: neque non Largii Licinii liber ferebatur infando titulo *Ciceromaſtix*, contra quos, prodigioſos & recordes a ſe dictos diſputat *Gellius noct. Attic.* XVII., 1.; confer auctorem de *cauſſis corruptæ eloquentiæ* c. 18. 19. 20., *Quinctilianum* XII., 1., *Adrian. Turnebum adverſ.* XXVIII., 22., *Seldenum* de *libris & vario eorum uſu & abuſu* p. 395.: porro Ciceronem ſolutum & enervem Calvus, elumbem & fractum Brutus, Rufus ille apud Juvenalem Allobroga dixit, quod gallicifmum oratio ejus ſapere videretur; vide *cohortem muſarum*, qui liber maxime corruptus prodiit ſub nomine *Jo. Georg. Grævii* p. 347. E recentioriqus Ramus accuſavit eum Aſiatiaſmi, de quo legas *D. G. Morhofium* de *Patavinit. Livia.* cap. 4. & 10.: alii haud commendarunt Ciceronem imitandi ſtudium, uti Angelus Politianus, cui ſe oppoſuit Paulus Corteſius; Jo. Franciſcus Picus, contra quem Ciceronis cauſſam peroravit Petrus Bembus, qua de re agit *Caſpar Sagittarius* de *imit. Ciceron.* p. 47. Eraſmus Roterodamus adoleſcens haud voluit probare Ciceronis ſtilum atque ſcribendi rationem, quamvis ſententiam ſenex immutaverit, ut ex prooemio, quod *Tuſculanis quæſtionibus* præmiſit, luculenter patet: *mihi puero minus arridebat Cicero, quam Seneca; jamque natus eram annos viginti, prius quam ferrem diutinam ejus lectionem, quum ceteri pæne omnes*

plu-

placerent: an ætatis progreſſu profecerim, neſcio, certe nunquam mihi magis placuit Cicero tum, quum adamarem illa ſtudia, quam nunc placuit ſeni; non tantum ob divinam quamdam orationis felicitatem, verum etiam ob pectoris eruditi ſanctimoniam profecto meum afflavit animum, meque mihi reddidit meliorem. Itaque non dubitem, hortari juventutem, ut in hujus libris evolvendis atque etiam ediſcendis bonas horas collocent potius, quam in rixoſis ac pugnacibus libellis, quibus nunc undique ſcatent omnia: me vero, etiamſi jam vergente ætate, nec pudebit, nec pigebit, cum meo Cicerone redire in gratiam, priſtinamque familiaritatem, nimium multis annis intermiſſam renovare. Olaus Borrichius cogitat. p. 8. obſervat, Ciceroni injuriam fieri a Scioppio, quando in *animadverſionibus in Voſſium* ita ſcribat: *meminiſti haud dubie, quod diſcernere nequiverit Tullius*, rectene, Pompejus tertium conſul, *an* tertio, *diceretur. Claudius Verderius* ſcripſit *cenſionem in auctores pæne omnes, antiquos potiſſimum, qua receptiſſimorum plerorumque grammaticorum, poëtarum, hiſtoricorum, dialecticorum, rhetorum, oratorum, jureconſultorum veterum & recentiorum, mathematicorum, medicorum, & theologorum errata quædam deprehenduntur*: atqui in hoc libro ineptiarum pleno Tullium quoque ſugillavit; vide *D. G. Morhofium polyb. litter.* I. 16. 23. p. 191., *& Jo. Burcard. Menckenii declam. de charlatan. erudit.* p. 69. 217. edit. tertiæ. Verum quidquid alii ſentiunt, id pro certo habemus, quod ſuavitas ac caſtitas latinæ linguæ ſine Cicerone haud accurate cognoſcantur; ac quod neque ante Cice-

ro-

ronem,neque poſt eum aliquem habeamus,qui ei ſermonis puritate, gravitate, atque elegantia par ſit:quumque diffuſiora ſint monimenta, quæ poſteritati reliquit, quam aliorum,majorem quoque eloquentiæ adparatum ex illis colligere, atque ad diverſas res, de quibus diſſerendi occaſio ſe offert,exprimendas adhibere poſſumus. Sed tamen haud accedimus ad illorum ſententiam,qui Ciceronem unice imitandum omnemque lectionis induſtriam in eo collocandam eſſe cenſent; quoniam & alii Romani ſcriptores ſunt, ex quorum libris haurienda,quæ orationem ornant.Ipſe tamen character, quem Cicero habet, a latinitate ejus diſtinguendus,quippe qui pro ingenii atque argumenti ratione retineri atque exprimi poteſt,licet etiam ex aliis auctoribus adhibeantur vocabula & phraſes, quibus eſt ſua auctoritas: prout enim illi graviter errant,qui Ciceronem ex ſolis vocabulis formuliſque dictionis æſtimant, ac monſtrant ſe haud ſcire, quæ ſit vera orationis Tullianæ pulcritudo, quæ naturalis illius gravitas atque elegantia; ita a recta via aberrant,qui imitando Ciceronem,ſolas illius phraſes & voces ſectantur.

§. IX.

Character, quem ſecutus eſt Cicero,varius eſt ac diverſus: quamvis enim pro ingenii indole proclivis fuerit ad Aſiaticum,ſive copioſum dicendi genus; interdum tamen Laconicum quoque, hoc eſt, conciſum ſectatus fuit,id quod ex ipſius epiſtolis ad Atticum ſcriptis patet.Pro argumentorum,de quibus diſſeruit,diver-

verſitate itidem ſtili forma eſt varia, quoniam in quibusdam eſt ſublimis ac magnifica, in aliis mediocris, aut humilis, adeo ut in Cicerone cujusque dicendi generis egregia habeamus exempla: merito laudatur latinæ eloquentiæ caput & princeps, dictione caſtiſſimus, ſummus latinæ elegantiæ & perſpicuitatis artifex, quibus virtutibus omnem orationem, quam expreſſit, mirifice ornavit. Quamvis enim ſtilus ejus in epiſtolis varius, in rhetoricis & philoſophicis præceptionibus temperatus, in orationibus plerumque Aſiaticus, copioſus & ſublimis; ubique tamen purus, caſtus, perſpicuus, atque elegans. Pauca ſunt eaque rariora, quæ caſtitati labem adferre videntur; occurrunt enim apud eum *virgetum* pro loco virgis conſito II. 8. de legibus; *ſilva viridicata* Qu. Frat. III. epiſt. 17.; *multiplicabilis* Tuſc. II. cap. 9. quamvis ex poëta; *ſportellæ & artolagani* IX. 20. ad diverſ. (artolagani genus panis delicati, de quo *Plinius* XVIII. cap. XI) *diecula* ad Attic. V. extr.; *divaricari* in Verrina IV. 40.; & *beatitas* lib. I. de nat. deorum cap. 34.; *mulieroſitas*, quæ eſt φιλογύνεια IV. Tuſc. quæſt. cap. 11.; *ſyllaturire*, & *proſcripturire* lib. IX. ad Attic. epiſt. 10.; *minuritior* lib. I. de orat. extr., quamvis alii aliter ſcribant; *indolentia* II. de finib. cap. 4., & ſi credimus *Sidonio epiſtola carm.* XIV. præmiſſa, etiam dixit *indoloria*, quamvis nonnulli criticorum Sidonium emendare tentarint *indoloriam* in *indolentiam* mutantes; *terebricoſus* in Piſon. cap. 8. in Vatin. c. 5.; *noctuabundus* pro noctu vagans XII. 1. ad Atticū; *opiniosiſſimi homines* IV. acad. 47.; *opinatur* ibid. c. 20.; *opinabile* lib. I. de

 divin.

divin.c.14.; *ædes materiatæ*,paſſivæ notionis; III. 13. de officiis; *munitare* pro Roſc.cap.48. ; *turpificatus* de offic.III.29.; *vulnera conſanuiſſe* IV.6.ad diverſ., ubi nonnulli habent *conſanaviſſe*; *Appietas*, & *Lentulitas* finxit ab Appio & Lentulo,cujus utriuſque gentis nobilitatem,ſue novitati objectam irridet, III.7. ad diverſos; *miniani Jovis*, id eſt minio obliti,quia Jovis ſimulacrum in Capitolio minio illinebatur IX. 16.ad diu.; *miniata cerula tua* XV.14.ad Atticum; *alſius*, comparativum ab *alſus i. e.* frigidus IV.8.ad Attic., III.1. ad Q.fratrem; *inficiatio* pro negatio II.25.de oratore, quam vocem etiam *Quinctilianus* proœmio lib. VIII. uſurpavit; *jejunitas*, cui opponitur ubertas & copia II.1. Tuſc.; *latet mihi*, pro latet me, poſt red.in ſenatu cap.VI., exemplum ex Catil.I.6. valde dubium eſt & ab optimis ſcriptis manu libris exſulat: *miſereatur*, imperſonaliter, ut grammatici loquuntur, de Juvent.1.; *fretu* pro *freto*,a *fretus,us* pro fretum, quo uſum eſſe Ciceronem, volunt nonnulli, vide *Gellium* XIII. 30. ; *fateatur*, paſſive contra Rullum ad pop.c.21.; *manus mulieraria* pro Cælio cap.28. pr.; *eſſentiæ* vocem primum uſurpaſſe Ciceronem, teſtantur *Seneca* epiſt.58., & *Sidonius* epiſtola epithalamio Polemii ſubjuncta: adde *M. Anton. Muretum var. lection.* lib. XV. cap. ultim., *Philipp. Pareum lexic.critic.* p.427., & *Ger. Jo.Voſſium inſtit. orat.* IV. pag.19. Sunt alia, quæ in Cicerone ut rariora notantur: a *Soſipatro Chariſio* libr. II.*inſtitutionum grammatic.*p.175. & 194. memorantur libri *Statilii Maximi de ſingularibus* apud Ciceronem poſitis: ex recentioribus de his quæ in Tullio ut ſingu-

ſingularia notantur, legendi ſunt *Ubertus Folieta* de *uſu & præſtantia latini ſermonis* libr. II., *Andreas Schottus* III. *nodor. Ciceron*. c. 17. p. 363., *Edmundus Campianus* c. V. tract. de *imitatione rhetoric*. p. 447., *Fr. Taubmannus* in diſſertatione de *latina lingua*, *Caſpar Sagittarius* de *imitatione Ciceron*. p. 80., *Andr. Julius Dornmejer* de *vitioſo Ciceronis imitatore*, *Bohuslaus Balbinus veriſimil*. cap. III. Verum enim vero hæc dignitati ſtili ac latinitatis Ciceronis nihil poſſunt detrahere: multa in illis ſunt dubia, num ſint poſita ab ipſo Cicerone, an vitiis librorum manuſcriptorum adtribuenda, in primis quum in quibusdam libri hi aperte diſcrepant: ſi & nonnulla ipſum Ciceronem auctorem habeant, minus quidem ſunt imitanda, excuſanda tamen per ſummam latinæ linguæ laudem, qua merito ille floret; quando enim reputamus, quanta copia, quanta ſit ubertas elegantiſſimæ latinitatis ac caſtiſſimæ dictionis, hæc ſane, quæ vitioſa cenſentur, tam pauca ſunt, ut inter tot lumina orationis, tot elegantias ac ſuavitates vix videantur atque obſerventur.

§. X.

Quum Ciceronis ſcripta diverſa ſunt, nec quodvis ingenium ad legenda iſta aptum eſt, ut in lectione illorum rite ordo obſervetur, neceſſe eſt. In primo curſu explicari poſſunt dialogus de *amicitia*, & *ſenectute*, item *epiſtolæ*, e quibus præſtantiores ſunt eligendę: in his legendis quæ ordinis ratio ſit ſervanda, eleganter tradit *Chr. Cellarius diſſ. academic*. p. 701.

plicandæ ſint, iſtas recenſere non ab re erit: igitur commendamus ex lib. II. epiſt. I. 4. 5. 6. 11. 13. 19.; librum IV. integrum; ex lib. V. epiſt. 7. 8. 11. 12. 16. 18. 19.; ex lib. VI. 1. 2. 3. 6. 9. 13. 15. 19. 20.; lib. VII. epiſt. 1. 3. 5. 7. 8. 12. 17. 19. 23. 28. 30. 33.; lib. IX. epiſt. 1. 3. 5. 6. 8. 11. 12. 14. 18.; libr. X. integrum omiſſis 6. 7. 8. 12.: lib. XI. 4. 9. 12. 13. 16. 19. 20. 21. 22. 25. 27. 29. XII. 1. 2. 4. 8. 9. 10. 11. 16. 21. 22. 25. 27.; lib. XIII. 5. 10. quæ eſt aurea, 11. 12. 17. 18. 27. 33. 34. 43. 47. 50. 55. 58. 59. 62. 67. 75. 79.; lib. XIV. 1. 3. 5. 7. 11. 12. 14. 15. 19. 23. 24.; lib. XV. 1. 2. 4. 6. 7. 8. 11. 13. 15. 20.; lib. XVI. 1. 2. 6. 9. 10. 11. 12. 16. 21.: de ipſis Ciceronis epiſtolis multa lectu digna collegit D. G. *Morhoſius* de *conſcribendis epiſtolis* cap. 1. p. 3. ſeq. Secundo, & tertio curſu locum tenent *orationes*, non promiſcuæ, ſed breviores elegantioreſque, in quibus præcipuæ ſunt pro Archia, pro Marcello, quatuor in Catilinam, pro lege Manilia, ad Quirites poſt reditum, pro Ligario; tum longiores quædam poſſunt addi, pro Roſcio Amerino, Philippica II.: libros autem de *officiis*, qui jus naturæ docent, ſupra captum ſcholaſticorum juvenum eſſe atque tempori litterarum academicarum debere reſervari, cum graviſſimis viris exiſtimamus, quos & ſcripſit pater ad filium, quum Athenis ageret & philoſophos audiret adſidue.

§. XI.

Pergamus ad ſcriptores antiquos ſolutæ ora-

orationis, qui ſecundo latinitatis curſu legendi ſunt, interquos princeps eſt *C. Salluſtius Criſpus*: hic natus eſt Amiterni, oppido Sabinorum & libidinibus animum tradidit, adeo ut ob adulteria ac ſtupra Senatu motus fuerit ab Appio Claudio Pulcro, & L. Calpurnio Piſone Cæſonio *Coſ*. v. c. DCCIII., ſive ut alii habent DCCIV. *Coſſ*. L. Æmilio Paullo, & C. Claudio Marcello: a Cæſare dictatore ſenatoriæ dignitati reſtitutus, & evectus ad præturam, & præfectus Numidiæ obiit v. c. DCCXIX. † Ex monimentis ejus ad poſteritatem tranſmiſſa ſunt *bellum Jugurthinum*, quod geſtum eſt contra Jugurtham, Regem Numidiæ, & de *conjuratione Catilinæ liber*, quæ ſpectat ad annum v. c. DCXCI. quem fœtum prius peperit, quam illum Jugurthinum, quod ex principio libri de Catilinæ conjuratione patet; præmittitur autem Jugurthina hiſtoria illi de Catilinæ facinoribus, quia bellum Jugurthinum prius geſtum eſt: e ſex libris hiſtoriarum populi Romani a morte Syllæ a v. c. DCLXXVI. uſque ad Catilinæ conjurationem frag-

† Confer *Andream Schottum obſerv*. VII. 18., *Scheurlium ſtat. Mercur*. p. 36., *G. I. Voſſium* de *hiſtoric. latin*. libro I. 15., *Mart. Hanckium* de *rom. rerum ſcriptor*. lib. VI. cap. I., *Georg. Whear. rel. hyemal*. p. 78. 79., *Jo. Chr. Neu acceſſion*. p. 119., *Th. Popeblount cenſ. celeb. auct*. p. 69., *Jo. Clerici vit. Sall*. præmiſſ. edit. Cantabr. *Jo. Waſſe*, *D. G. Morhofium polyhiſt. litterar*. IV. 11. 8., *Jo. A. Fabricium bibl. latin*. p. 149. & alios.

fragmenta ſuperſunt:extant quoque duæ orationes de *republica ordinanda* ad Cæſarem, quas eſſe Salluſtii plurimorum conſenſiono adfirmatur; ſed de *declamatione in Catilinam*, & alia in *Ciceronem* non immerito dubitatur. Ex editionibus Salluſtii antiquis magno pretio ſtant *Aldinæ* MDIX. MDLI.8., *Rob. Stephani* cum variis lection. Par. MDXLIV. 8., *Aldi Manutii* Paulli f. ſcholiis Rom. MDLXIII. 8., *Petri Victorii* Florent.MDLXXVI. 8.apud Juntas;& *Ludovici Carrionis*,qui fragmenta e libris ſex hiſtoriarum collegit,& emendavit illuſtravitque commentariis ſcripta Salluſtii Antv. MDLXXIII.MDLXXIX.8.Ex recētioribus laudandæ ſunt editiones *Jani Gruteri* cum notis variorum Franc. MDCVII. 8., *Jo. Philippi Parei* Francoſ. MDCXXII. 8., *Jo. Frid. Gronovii* cum ejuſd. & aliorum obſerv.Lugd.Batav.MDCLXV. MDCLXXVII. 8. & Amſtelodami MDCLXXXVI. MDCXC. 8., *Rutgeri Hermannidæ* Amſt. MDCLXI.MDCLXVI.12., *Jo.Minelli* Rot.MDCLIII. 8. Hag. Com. MDCLXXXV.Rot. MDCXCIX. 12., *Jo. Vorſtii* Lipſ.MDCLXXVII.12.,Pariſienſis in uſum Delphini opera *Dan. Criſpini* MDCLXXIV. 4.& Lond. MDCXCVII. 8., *Joſephi Waſſe* cum variorum adnotamentis Cantabr. MDCCX. 4., & quam egregie ornavit *Gottlieb Cortte*. Nunc de *ſtilo* & *latinitate* Salluſtii diſſeramus: aurea licet ætate Salluſtius illuxerit, illius tamen ſcribendi modum perſtrinxerunt quidam eūque a ſcholarum uſu removendum eſſe, opinati ſunt: nullam mentionem illorum faciamus, qui patrum, vel noſtra memoria in Salluſtio varia notarunt, quæ a puriore Romani

ni ſermonis caſtitate atque elegantia abhorreant: e veteribus *A. Gellius* l. 15. *novatorem verborum* illum adpellat; & lib. IV. cap. 15. *elegantia*, inquit, *orationis Salluſtii verborum facundia & novandi ſtudium cum multa prorſus invidia fuit, multique non mediocri ingenio viri conati ſunt, reprehendere pleraque & obtrectare: in quibus plura inſcite, aut maligne vellicant; nonnulla tamen videri poſſunt non indigna reprehenſione*. *Seneca* epiſtol. CXIV. rara hujus generis vocabula in Salluſtio examinat; licet etiam in illis ſint, quæ fruſtra reprehendat & auctoritate dignitateve ſua valeant. *Svetonius* de *illuſt. grammatic.* cap. X. Atteii philolog. vit. *de eodem*: *Aſinius Pollio in libro, quo Salluſtii ſcripta reprehendit, ut nimia priſcorum verborum adfectatione oblita, ita tradit*. Elegans eſt compoſitio & periodus verborum, quum Atticum dicendi genus, idque ſingulari ſuavitate, quæ lectoris animum maxime capit, expreſſiſſe videatur: namque quum a Græcis originem habeat, quidquid bene cultæ eruditionis per orbem diffuſum eſt; græcos illos fontes Romani primum adierunt, inter quos Salluſtius noſter æmulus fuit Thucididis, ut habet *Velleius Paterculus* II., 36. 2.: χάριτες; ſive ornamenta, quæ ſermonem cultum, ſuavem atque elegantem reddunt, non parce occurrunt, ut adeo hac ſermonis virtute aliis ſeculi ſui nihil fere cedat. Verum, quod ad caſtitatem ſtili ejus adtinet, extant omnino in Salluſtio, quæ ad imitationem haud trahenda & ab illis, qui caſtiſſimam & vere romanam dictionem ſectantur, evitari debent: nihil de forma dicen-

cendi Græcorum differere adtinet, quam Salluſtius æmulatus eſt, quum iſta vel aliis, qui auctores probatioris notæ ſunt, ſit familiariſſima; ſic B. I. cap.1. ait: *natura ævi brevis*: *amare* pro *ſolere* quoque cap. XXXIV. B.j. utitur, quod poëtæ latini frequentius ſunt imitati, prout ex *Horatii*,*Catulli* & aliorum exemplis notum eſt. *Quinctilianus* IX. 3. hanc loquendi rationem in inſolentibus & novis Salluſtii notavit: *ex græco*, inquit, *tranſlata* Salluſtii *plurima*, *quale eſt*: *vulgus amat fieri*; adde *Daniel. Vechneri hellenol.* II.2. p. 225., & *Chr. Cellarii antibarbar*.p. 257.& *curas poſt*.p. 332.: item *frugum & pabuli lætus ager*; *modicus animi* & reliqua; græciſmi enim per optimorum ſcriptorum monumenta fuſi ſunt, nec illi, quos Salluſtius poſuit, adeo duri videntur, nec a conſuetudine aureæ ætatis plane abhorrent. Quod ad inſolentia iſta & archaiſmos adtinet, quos in Salluſtii libris reprehenderunt, de voce *loquentiæ* B.C. cap.v. diſputatum fuit pluribus. *Gellius noct.Attic.*1. 15.:*Valerium Probum grammaticum illuſtrem, ex familiari ejus docto viro comperi Salluſtianum illud*: ſatis eloquentiæ, ſapientiæ parum, *brevi antequam vita decederet*, *ſic legere cœpiſſe*, *& ſic a Salluſtio relictum adfirmaſſe*: ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum, *quod* loquentiæ *novatori verborum Salluſtio maxime congrueret*, eloquentia *cum inſipientia minime conveniret*.: caret omnino auctoritate, & licet lib.v. epiſt.20. n.5. *Plinii* extet: *itaque Julius Candidus non invenuſte ſolet dicere*, *aliud eſſe Eloquentiam*, *aliud Loquentiam*; Plinio tamen haud adſcribendum eſſe, adparet:

ejuſ-

ejuſdem pretii & dignitatis verbum *inſoleſcere* B. C. cap.VI. eſt, quod alii ad uſum ſuum haud tranſtulerunt: *ſenati* pro *ſenatus* B.C. XXXI. *Priſcianus* legit; ſunt autem codices, quorum auctoritas non contemnenda, qui *ſenatus* flexione recepta ſcribunt: in majus reprehenſionis crimen vocare eum poſſumus, quod cap.LIII.B.C. dixerit: *ille cohortes veteranas, quas tumulti cauſſa conſcripſerat*, quæ lectio ſuffragiis codicum confirmatur; in quo numero dictio quoque iſta habenda eſt cap.LV. B.C. *eſt in carcere locus, quod Tullianum adpellatur*: falſum autem eſt, quod lexica quædam Salluſtio vocem *obviare* B.I. cap.V. adſcripſerint, quum probatiſſimi libri habent, *obviam itum eſt*, quam loquendi figuram paſſim Salluſtius uſurpavit, B.I.cap. XXXI. *tamen* inquit, *obviam ire factionis potentiæ, animus ſubigit*: porro occurrunt B.C.cap.XLVIII. *machinatum*; & B.I. cap.XVII. *interpretatum*; item B.I. cap. LXII. *ad imperandum* paſſive, quum ait *ubi armis viriſque ſpoliatus eſt, quum ad imperandum Tiſidium vocaretur, cœpit flectere animum ſuum*; hinc Cicero lib. XI. *epiſt.* 25.n.3. ad diverſ. *nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius, ſic enim antiqui loquebantur*: addatur G.Jo.*Voſſius* lib. III.cap.9 de *analogia*. Reſtant alia, quæ inprimis in fragmentis ſunt, & a *Caſpare Scioppio* de *ſtilo hiſtor* p. 197. collecta reperimus, quum ait: *merito igitur ætatis ſuæ homines Salluſtiũ irriſerunt, quod ſæpius, quomodo locuti fuerant Romæ, quam quomodo tum loquebantur, ſcribere & ſi forte, loqui mallet*: ſoluit *nempe elegantius ei viſum eſt, quam ſolitus eſt; quod, aut*

aut fallor, aut Cicero, Cæſar, Brutus, Meſſala, Sulpitius, Cæcina, Mutius, neque muliones, cocos, aut medicoſtinos ſuos impune dicere ſiviſſet; *quod etiam de multis aliis judico, ut* famæ, famarum, famas, *pro* fama, famæ, famam: magnas vis, *pro* magnas vires; armis decoribus *pro* decoris; ſenati *pro* ſenatus; plebes *pro* plebs; ſatias *pro* ſatietas: ſallere, *pro* ſalire; ſecus virile *pro* ſexus virilis; paritas opes, *pro* partas opes; calui *pro* decipi; claudere *pro* claudicare; egere aliquam rem; ſupplicium, *pro* ſupplicatione. Sunt queque, quæ alii in infimum cenſum retulerunt, licet uſu veterum, quos aurea ætas tulit, maxime ſint celebrata: ſic formulam illam de *aris & focis* Aſinius Pollio apud *Suetonium* de *illuſtr. grammatic.* in Attei. Philolog. audacius, quam verius improbavit; vide c. s. *Schurzfleiſchium diſſertat. de formula* aris & focis *C. Criſpo Salluſtio vindicata* num. 2. *Seneca epiſt.* cxiv. omnino *bellum facere* fruſtra reprendit, cujus nec Ciceronem, nec Nepotem pœnituit; quamvis forſan Senecæ ætate id formulæ in deſuetudinem veniſſet. Nulla igitur eſt cauſſa, cur multi Salluſtium novitate ſuſpectum ſcholis exturbare, eique alios latinitate multo inferiores præferre velint: pauca ſunt, quæ a vera romani ſermonis indole aliena, & dubia adhuc, num per Salluſtium, an ſcribarum operas corrupte poſita fuerint, quod poſterius de illis ſaltem adfirmare haud recuſamus, quæ in fragmentis ejus occurrunt: ſi exceperis iſta, quod prænonente magiſtro facili negotio fieri poteſt, habes ſcriptorem ſeculo ſuo digniſſimum & reliquis nitore nihil cedentem: adhæc quisque

que fatebitur, qui in reliquorum ſcriptorum aureæ ætatis monimentis non hoſpes eſt, quod in illis hujuſmodi formulæ & rariora ſæpe reperiantur. *Olaus Borrichius conſpect. auct. lat. ling.* num. 10. p. 23. dicit: *Salluſtius uſus eſt conciſo dicendi genere, paucis multa complexus: eoque non raro amputatæ ejus ſententiæ, & verba ante exſpectationem cadentia, quæ & ipſa nonnunquam deſita, & ex originibus Catonis mutuata, nonnunquam poëticæ formæ propiora. Culpantur in eo varia, digreſſiones minus opportunæ, orationes rectæ, eæque rudibus Afris attributæ, plenæ ſententiis & coloribus, plura ad hiſtoriam neceſſaria intacta, odium partium, & hinc neglecta ſubinde cura veritatis, politicæ ſapientiæ nimia adſectatio: ſed hæc non efficiunt, quo minus dictio ejus in plerisque laudetur, ut perſpicua, ordinata & cum cura elaborata, eoque candidatis eloquentiæ romanæ profutura.*

§. XII.

Sequitur *C. Vellejus Paterculus*, natus videtur v. c. DCCXXXV.; pater fuit præfectus equitum, cui noſter ſucceſſit, II. 104.; ſub Vinicio aſcendit ad ſecundum equeſtris militiæ gradum, tribunatum militum, II. 101.: cum Cajo Cæſare in Orientem profectus eſt, & Tiberium in Germaniam ſequutus per novë annos, primum præfectus alæ, ſive equitum, deinde legatus: quum deficerent Pannonii & Dalmatæ ſub præfecto Illyrici Valerio Meſſalino, Vellejus partem exercitus ab urbe ad Tiberium duxit, jam quæſtor deſignatus II. 111.: anno v. c.

DCCLXVI.

DCCLXVI. tribunatum plebis, cui antea deſignatus fuerat, II. III. geſſit; a. DCCLXVIII. cum fratre fuit prætor; DCCLXXXIII. ſcripſit hiſtoriam ad M. Vinicium Conſulem; & DCCLXXXIV. videtur cæſus inter eos, quibus Sejani amicitia nocuit.† Extat Velleii hiſtoria dicata M. Vinicio cos. libris II. ſed ita, ut perierit plurima pars libri prioris: principium autem libri, quod temporis injuria perdidit, videtur tractaſſe de Trojæ excidio; liber II. perſequitur res romanas uſque ad exceſſum Liviæ Auguſti conjugis matriſque Tiberii. Ex editionibus Velleii, quem primus in lucem protulit Beatus Rhenanus, commendari debent editio *Aldi Manutii* Paulli F. cum ſcholiis, Venet. MDLXXI. 8.; cum notis *Manutii*, *Lipſii*, *Schegkii*, & *Acidalii* Lugd. MDXCIX. 8.; *Gerhardi Voſsii* Lugd. Bat. MDCXXXIX. 12., Amſt. MDCLXIV. 12., Francof. MDCLXXXVII. 12.; *Jo. Heinrici-Boecleri* cum notis, caracteribus politicis & indice copioſo Arg. MDCXLII. MDLCXIII. 8.; *Roberti Riguez* in uſum Delphini Pariſ. MDCLXXV. 4.; *Jo. Hudſoni* cum annalibus Dodwelli, variis lectionibus & indice Oxon. MDCXCIII. 8., quæ editio repetita fuit MDCCXI. 8., quamquam caret annalibus; *Chriſtophori Cellarii* cum brevibus notis & indicibus

† *Pluribus de Vellejo vide Henrici Dodwelli* annales Vellejan., *qui cum* annalib. Statianis *prodierunt* Oxon. MDCXCVIII. 8., *ac præmiſſi ſunt editioni Joan. Hudſoni Oxon.* MDCXCIII. 8., & *noſtræ* Lipſ. MDCCXII.: *tabella vero horum annalium extat in edit. Cellarii*, Lipſ. MDCCVII. 12.

Lipſ. MDCCVII. 12.: quoad textus integritatem commendatiſſima editio *Nic. Heinſii* Amſt. MDCLXXVIII. 12. cum libello caſtigationum. Stilus Velleii Paterculi, quod ad periodorum magnitudinem adtinet, medius eſt inter circumductum & conciſum: ſed in forma iſta, qua ſtilus eſt vel ſublimis, vel mediocris, vel humilis, ſectatur quidem caracterem humilem; ſed ſæpius ad ſublimem aſcendit, ita ut Velleii ſcribendi genus ſapere videatur oratoris ingenium. *Chr. Cellarius epiſtol. ſelect.* p.165.: *Stilus Velleii, quamvis non ubique eſt hiſtoricus, ſed oratoris ſapit ingenium, tamen nec ideo poſthabendus, ſed commendandus magis eſt; quia plus ad orationes, aut ſimiles ſermones, quam ad integras hiſtorias ſcribendas adoleſcentes adducuntur: dictio autem, etiam magno Voſsio judice* hiſt. lat. lib. 1. c. 24. *eſt plane romana atque elegans, & in rerum copia multa habet, quæ in aliis deſiderantur. Jo. Henr. Boeclerus hiſtor. univerſ.* ſecul. 1. ſect. V. §. 10.: *Vellejus ſcriptor eſt elegans terſique oris, qui non tam quidem ad leges artis hiſtoricæ reſpexit, ſed ab eloquentia aliquid mutuatus eſt;* & *Olaus Borrichius conſpect. lat. ling.* p. 42.: *dictio ejus arguta, profluens, ſuavis, plane romana; ſubinde etiam ab inſtituto digreditur, ſed nec longe, nec inconvenienter, ut adeoque inter hiſtoricum & panegyricum medius eſſe videatur*: exempla proferre poſſemus, ex quibus oratorius Velleii ſermo clare pateret; ſed in legentium oculos facile illa incurrunt: lege modo libr. II. cap. 66. 3., & de arguta ejus dictione conſule *Jacob. Maſenium* in *palæſtra ſtili* p. 250., & *Jani Vincen-*

centii Gravinæ orationes, quæ opera *Ancionii* prodierunt, p. 12. Ceterum ſtilus perſpicuus eſt, etiam ſuavis, licet interdum quædam poſuerit, quæ auribus haud ſuaviorem ſonum efficiunt e. g. I. 3. 2. *ſed omnia ſub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt*; II. 1. 1. *potentiæ Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ poſterior aperuit*: dictio eſt pura, & quæ habet aureo ſeculo haud digna nec caſta, pauca omnino ſunt e. g. *converſatio hominum* II. 102. 3. II. 53. 4.; *digeſtio annorum fruſtratum eſſe viſum ſuum intellexit*, paſſive II. 43, 2.; *pro captu mediocritatis meæ*, abſtracta forma tituli II. 104. 3.; *ad hunc cenſum* referunt nonnulli *hodieque* I. 4. 2. & paſſim, item *deprecari* II. 86.; ſed voces has ivimus vindicatum in obſervationibus noſtris: inprimis Vellejus Græcorum more utitur, & effert pro caſu auferendi caſum gignendi e. g. *acer belli* I. 3. 1., *immodicus gloriæ* II. 11. 1. &c.

§. XIII.

Poſt Vellejum legendus eſt *Q. Curtius Rufus*: quis hic Curtius fuerit, & qua ætate nituerit, aperte non conſtat. Quidam credunt, eſſe auctorem recentioris ætatis, ut *Bodinus meth. hiſt.* c. x., *Guid. Patinus epiſt.* XXVII.: ſed ſententiam hanc deſtruxit l. c. *Wagenſeilius per. libr. juvenil.* tom. IV. p. 178. & conf. *judicia de Q. Curtio* editioni Cellarii præmiſſa. Qui eum genuinum & antiquum ſcriptorem agnoſcunt, ſententiis quoque diſſident, quum alii ſeculo Theodoſiano; alii Veſpaſiani, aut Trajani; alii Auguſti, Tiberii, vel Claudii

temporibus illum eunt vindicatum: de ætate ſua loquitur *Curtius* X.9. 3. *proinde jure meritoque populus Romanus ſalutem ſe principi ſuo debere profitetur, cui noctis, quam pæne ſupremam habuimus, novum ſidus illuxit*. Per *novum ſidus* intelligunt P.Pithœns,& Jac.Bongarſius Auguſtum; quam conjecturam confutat *Juſtus Lipſius* in *Tacit*. XI. cap.21.: Popma, Briſſonius, & Perizonius Tiberium: Juſt. Lipſius, Val.Acidalius, & Michaël le Tellier Claudium, qui totam cauſſam ex *Joſephi* XIX. *antiquit. jud.* cap.2. & 3. deduci poſſe perſuaſus, vide *præf. ejus in Curtium*: Jan.Rutgerſius, Ger. Jo.Voſſius, I.H.Bœclerus, Jo. Loccenius,Philipp. Caroli, Freinshemius, Jo.Clericus Veſpaſianum: Jo,Iſaacus Pontanus dual us ad Voſſium epiſtolis Trajanū:Caſpar Barthius *ad Claudian*. lib.1.in Rufin.v.275.Theodoſium. † Scripſit Curtius libros decem de *rebus Alexandri* regis Macedonum; ex quibus quum duo priores perierunt, ſupplementa eorum elaborarunt Chriſtophorus Bruno, Franciſcus Petrarcha, Quintianus Stoa, Jo. Freinshemius, Chriſtophorus Cellarius, Chriſtianus Jun-

† Confer *Molleri diſſ. de* Curtio Alt. MDCLXXXIII., *Magnum Daniel. Omeiſium* diſſ. de Curtii ætate *ibid.* MDCLXXXIII., *Michaël. Le Tellier* præf. in Curt., *Jo. Freinſhemium* cap. IV. prolegomen., judicia de Curtii ætate *Cellarii editioni præmiſſa*, D.G. *Morhofium* polyhiſtor. litt.IV. cap.12. num. 14., *Jo. Albert. Fabricium* biblioth. latin. p. 440. *qui & controverſiam Clerici & Perizonii de Curtio ejusdemque erroribus attingit.*

Junckerus. Brunonis ſupplementum Cellarius exiſtimat, ſæpe ſterile eſſe; Freinshemii vero tanta ubertate, ut neceſſe ſit, multum temporis in legendo illo conſumere. Quintianum Stoam ſuppleviſſe, quæ initio Q. Curtii deſint, Antonius Poſſevinus & Jacobus Gortonius tradiderunt; ſed negat ea *Mottanus Vayerus* in *judicio de hiſtoricis* tom. I. p. 376., neque ea viſa ſunt diligentiſſimo editori Michaeli Telliero. In ſcriptore hoc illuſtrando multi ſtudium ſuum poſuerunt, ex quibus præcipue laudandi ſunt *Franciſcus Modius*, qui Curtium ex MSC. codd. caſtigatum cum notis edidit Colon. MDLXXIX. 8. MDXCI. 8.; *Matthæus Raderus* Col. MDCXXVIII. f.; *Nic. Blancardus* Lugd. Bat. MDCXLIX. 8.; Amſtel. MDCLXXIII. 8.; *Andreas Reyherus* Goth. MDCLVIII.; *Jo. Freinſhemius*, qui cum variis lection. commentariis copioſis, novis ſupplementis & locupletiſſimo indice Curtium edidit Argent. MDCXL. 8. 2. volum., MDCLXX. 4.; *Cornel. Schrevelius*, qui collegit notas variorum Amſtel. MDCLXIV. & MDCLXXII. 8.; *Michaël Tellierus* in uſum Delphini Pariſ. MDCLXXVIII. 4., & Lond. MDCCV. 8.; *Samuel Pitiſcus*, qui copioſis & eruditiſſimis commentariis & variis imaginibus ornavit Curtium, cujus editio, quę prodiit Ultr. MDCLXXXV., & auctior MDCXCIII., MDCCVIII., multis aliis præferenda eſt; *Chriſtophorus Cellarius* MDCLXXXVIII., MDCXCI., MDCXCVI., MDCC., MDCCXI. 12., qui præmiſit diſſertationes de ætate Q. Curtii, & de virtutibus ac vitiis Alexandri M., item novis ſupplementa lib. I. & II. illuſtrata obſervationibus tabulaſque geographicas adjecit; *Andreas Stubelius*, qui

 ſcri-

ſcripſit notas ad modum Minellii, Lipſ. MDCC., & MDCCVII. 12.: præter editiones has etiam magno pretio haberda eſt *Aldina* MDXX. 8., *Florentina* apud Phil. Juntam a. MDXVII., *Lugdunenſis* MDXLV. 8. MDLV. 12. MDLXXXIV. 12. apud Ant. Gryphium, *Elzeviriana* Lugd. Bat. MDCXXXIII. 12., *Amſtelod.* MDCXCVI. 8. apud Petrum van der Aa cum iconibus & variorum notis. De ſtilo Curtii legere poſſumus diſſertationem *Mottani Vayeri*, quam ab Henninio in latinam linguam translatam præmiſit *Pitiſcus*, & *Freinshemium proleg.* cap. 4. ſ. 1. *Voſſius* vero de *hiſtoricis latin.* I. 23. dicit: *rhetore ſane illuſtri, vel rhetoris filio digniſſima hæc hiſtoria eſt, uſque adeo verborum auctor is eſt eligens, nec perſpicue minus, quam terſe ſcribit: acutus etiam eſt in ſententiis, inque orationibus mire diſertus; immo vel Auguſtæo ævo digna eſt dictio, vel proxime abit, ut hinc quoque argumentum capere poſſimus, non vixiſſe Trajani tempore, quod pluſcula adfectatione acuminis & anxiæ brevitatis cura ab nativa illa acerbi ævi ſimplicitate magis receſſit, ut ex Plinio juniore, Floro & aliis non obſcure videmus.* *Ol. Borrichius conſp. auct. lat. lingu.* p. 55. *dictio ejus terſa, nativa, inadfectata, verbo, emendatiſſima; lactea illi eloquentiæ ubertas, ſententiæ opportunæ, nec nimiæ, nec diffluentes, nec tenebroſæ; digreſſiones raræ, orationes facundæ, judicium ſagax*: conf. eundem in *cogitat.* p. 205., *Caſpar. Scioppium de ſtilo* p. 268., *Aug. Buchnerum* par. II. *epiſt.* 32. p. 116. ſeq., *Phil. Caroli obſ. in Gell. & Curt.* p. 547., *Nic. Cauſſinum* III. de *eloquentia* c. 14. p. 172., *Th. Crenium* diſſ. de *ſingul.*

ſcri-

ſcriptor. num. LXXI. p. 104. , & *Jo. Andr. Boſium diſſ. iſagog. de comparanda eloquentia civili* p. 81. Stilus Curtii elegans quidem eſt nec obſcurus ; ſed ſapit interdum poëtarum ingenium , id eſt uſurpat voces metaphoricas more poëtarum,& habet nonnulla,quæ puræ romani ſermonis indoli repugnant:e.g. occurrit VIII.9.33.*admovere diī lethi* pro manus ſibi inferre,VI.5.15.;*adoleſcere* de arboribus V.5.8.; *Juppiter tandem ultor aperuit oculos*,pro ultioni ſe parat IX.7.22.;*arietavit* pro proſtravit,humi adflixit , metaphora translata ab ariete vel animali, vel machina poliorcetica ; VIII.8. 9. *auro menſas onerant*,pro poculis aureis;VI.2.5. *captivæ feminarum*,more græcorum;V.3.2.*clementior alveus* pro lenior , ut dicit *Silius Italicus* 27.4. *clementer creſcente jugo* , id eſt ſenſim ac leniter adſurgente ; ponitur autem *clementer* translate ita,ut aliquid poëticū ſapiat, *Naſo met.* IX. 116. *qua clementiſſimus amnis* : VIII. 6.18. in libris quibusdam vox eccleſiaſtica extat *concupiſcentia*;ſed Modius, & Raderus verba vulgaria *quam ingentes concupiſcentiæ* habent pro gloſſemate : ibid. in quibusdam libris eſt *ſpem devorare*,quamquam alii ſcribunt *ſpem fovere*, quod mollior ſit dictio, & Curtiano ingenio dignior ; VII.7. 36. *corpus ex equo defluxit in terram*, pro cecidit in terram, metaphora magis poëtica videtur,quam oratoria; cum qua formula congruit hæc VIII.14.36. *effluxit telum* pro languente manu excidit ; it. VI.1.6. *effuſe fluere in quem* i.e. catervatim irruere;IX.4.18. *emoriens natura*,& IV.7.10.*emoriens terra*, VI.6.31. *ignis intermoritur* ; IV.10. 17.*imbuere aures promiſſis*;V.5. 11.*lacrimæ ina-*

reſcent; VIII.14.4. *inequitabilis*, rara vox; V.6.8. *jubeo* cum dandi caſu; V.1.extr. *menſum eſt ſtipendium* paſſive; VI.1.18. *miteſcit aqua*; VII.4.30. *mitior terra* i.e. fertilis: ſapiunt quoque aliquid poëtici ingenii, VIII.4.24. *obſequia fortunæ* pro felicitate; VII.3.13. *perniciabilis*, qua voce etiam utitur Tacitus; V.1. 38. *profanare pudorem*; V.13.14. *ſpargere veſtigia fugæ*, ut de aliis taceamus, quæ partim ſunt poëtica, partim haud ſæpe alibi occurrunt: præter hæc Curtius multa Perſarum vocabula ad uſum ſuum tranſtulit, exempli gratia *gazam*, *acinacem*, *ſatrapam*, ac alia, quæ collegit atque explicavit *Boxhornius epiſt*. p. 220. ſeq.

§. XIV.

Quod ad ſcriptores antiquos proſæ orationis adtinet, qui tertio curſu perlegendi ſunt, primus ex illis ſit C. *Plinius Cæcilius Secundus*, qui municipio Como ortus fuit anno circiter ſexto Neronis: pater C. Cæcilius Comenſis erat, mater Plinia C. Plinii Veronenſis, qui naturalem hiſtoriam ſcripſit, ſoror; patrem mature amiſit, educatus cura matris & avunculi, nec non tutoris Verginii Rufi: in eloquentiæ ſtudio præceptore Quinctiliano uſus eſt & Nicete ſacerdote, ac in philoſophia præter alios Euphrate Stoico: undeviceſimo anno dicere in foro cœpit, & per omnem ætatem cauſſas egit tam apud centumuiros, quam in ſenatu nobiliores. Fuit quæſtor Cæſaris, tribunus militum, tribunus plebis, prætor, præfectus ærarii Saturni, præfectus ærarii militaris,

con-

conſul, augur, proprætor provinciæ Ponticæ conſulari poteſtate, curator alvei Tiberis: matrimonium bis contraxit, alterum cum Calpurnia, Calpurnii Fabati ex filio nepte, quæ docta & ſtudiis exculta erat: apud Trajanum gratia valuit; corpore fuit imbecilli & minus robuſto: de morte nihil certo conſtat, confer elegantiſſimam *ejus vitam* auctore *Chr. Cellarie*, epiſtolis præmiſſam. † Extant Plinii *epiſtolarum* libri decem,& ex orationibus ſolus *panegyricus* imp. Trajano dictus a v. c. DCCCXV. quum ab eo conſul deſignatus eſſet: ex editionibus Plinii iisque obſervationibus ornatis, ha-

† *Quod non fuerit Chriſtianæ profeſſionis, oſtendit Marc. Zuer. Boxhornius* hiſtor. univerſ. p.158.; *addantur Thom. Ittigius* de patrib. apoſtolic. p.429., & *Petrus Halloix ad vitam Ignatii* tom.I. illuſtrium eccleſiæ orientalis ſcriptorum p.423. : *in ſubſidium vocant epiſtolam notiſſimam* 97. lib.x., *in quam variorum extant commentarii*; *vide Jo. Albert. Fabricium* bibl. latin.p.478., & *Burc. Gotth. Struvvii* bibl. hiſtoric. p. 70., *inprimis Juſti Hennig. Boehmeri* diſſert. juris eccleſiaſt. antiqui *Lipſ.*MDCCXI.8. *Vitam Plinii compoſuerunt præter Conradum Lycoſthenem, Jo. Mariam Catanæum, Conradum Rittershuſium, Jacob. Thomaſium, etiam dictum Cellarium, Gothofredus Ludovici,qui* MDCC.*edidit ſermonem panegyricum Plinii*, & *Joannes Maſſon, diligentiſſime* MDCCIII.*ad editionem Oxonienſem epiſtolarum & panegyrici*, & *auctius ſeparatimque* Amſt.MDCCIX.,*nec non Jacob.de la Baune ad panegyricum Plin. illuſtratum in uſum Delphini.*

habeas tibi commendatam *Jo. Mariæ Catanæi* Mediol. MDVI. fol., & Par. MDCI., Gen. MDCXXV. MDCXLIII. 4.; *Auguſti Buchneri* Francoſ. ad Viadr. MDCXLIV. 12. *Marci-Zuerii Boxhornii* Lugd. Bat. MDCLIII. MDCLIX. 12.; *Alb. Chriſt. Rothii* Lipſ MDCXCIV. 8.; *Jo. Veenbuſii*, Lugd. MDCLXIX.; *Jacobi Thomaſii* Lipſ. MDCLXXV.; Hal. S. X. MDCLXXXVI.; Lipſ. MDCXCV. 8., quæ editio elegans eſt atque præſtans; *Chriſtophorus Cellarii* Lipſ. MDCXCIII., MDCC. & MDCCXI.; *Thomæ Hearne* Oxon. MDCCIII. 8. Pauca addamus de ſtilo Plinii: clariſſima ingenia epiſtolas has magno pretio, nec ſine merito, æſtimarunt. *Jo. Henr. Bœclerus diſſ. de comparanda lat. linguæ facultat.* p. 14. *Plinii epiſtolæ multum conferunt in ſtilo proficientibus, ſi tamen vitetur adſectatio Atticiſmi. Olaus Borrichius conſp. auct. lat. ling.* p. 51.: *epiſtolarum libr. X. exaravit, in quibus dictio ſine pompa elegans, ſine digreſsionibus maſcula & cordata: ſcriptor candidus, vir bonus, & boni principis politici imaginem animo repræſentans, Chriſtianorum etiam in acerrima perſecutione fautor. Caſpar Barthius adverſ.* XIX. 25.: *Plinii epiſtolas, quo magis legas, eo plus diligas. Chr. Cellarius epiſtol. ſelect.* p. 110.: *indicem*, inquit, *epiſtolæ adhuc nullum, præter rerum, nec eum diligentiſsimum habuerunt; quem non ſolum paſsim reformavi, ſed novum etiam latinitatis ſubjeci, ut noſtri Atticus ſtilus, & aucta non minus, quam pura dictio magis ac magis innoteſcat*; adde *D. G. Morhofium* de *conſcribendis epiſt.* cap. I. lib. I. p. 7.: exiſtimat quidem *Cellarius*, epiſtolas Plinii ſtilo Attico eſſe conſcriptas; ſed hoc de omnibus dici non poteſt, quam-

quamvis interdum magis genus Atticum, quam Laconicum ſectari videatur. Pura eſt dictio per integrum opus paucis exceptis, quæ rariora facile prætermitti poſſunt, e.g. panegyr. v. 1. plurimi libri habent vocem *adoptationis*, de cujus latinitate dubitavit Voſſius; alii habent *adoptio*, confer. *Chr. Cellarii curas poſterior.* p. 174.; libro VI. epiſt. 16. num. 15. utitur, *an, an*, quod veteribus non adeo pervulgatum fuit, qui venuſtius prius per *num, utrum* expreſſerunt, adde lib. VIII. epiſt. 14. n. 24.; VIII. 4. 4. extat vox *audentia*, qua etiam *Tacitus* XV. 53., & Germ. c. 34. uſus eſt; VIII, epiſt. 5. num. 3. *avocamenta* (a dolore) *admittere*, pan. c. 28. n. 8. *avocamentum* i.e. remiſſio; VII. 9. 7. *bellatorium ſtilum*; VII. 24. 2. *ex beſſe* pro ex *duabus tertiis*; VI. 31. 17. *canum mare* pro ſpumoſum, poëtice; I. 5. 4. *capitaliter*, quæ vox eſt poſterioris ævi; VIII. 25. 4. *columbuli*; V. 6. 19. *comæ* arborum, pro frondibus, foliis poëtice; IX. 26. 12. *cuſtoditius*, adde V. 16. IV. 30. 3. *dimenſus* paſſive; VI. 20. 8. *egredi* cum caſu quarto: adde *Tacitum hiſtor.* III. 30. *Curtium* IX. 6. 20. II. 17.; II. V. 6. 26. *frigidaria*; VIII. 21. 4. *imputare*, ut beneficium, confer *Cellarii curas poſter.* pag. 64. 164., & *Guntheri latin. reſt.* part. I. pag. 298.; III. 16. 3. *mortifere*; X. 101. I. *ſervatio* pro obſervantia, *ſiniſteritas* pro malevolentia, aut moroſa placendi imperitia, VI. 17. 3. IX. 5. 2. *ſtudere* ſimpliciter pro bonis artibus & litteris deditum eſſe epiſt. IV. 13. & alibi: præter hæc deprehendimus multa vocabula græca, quæ partim uſurpat integra, partim latina flexione donat eaque velut in Latio nata ponit, e.g. *apophragiſma* X. 16. extr., quo verbo intelligit ima-

imaginem & characterem ſigilli ; II.17.8. *apſis* pro curvatura fornicis ; V.10.1. *archetypo* i.e. primitivo exemplari, ad quod res conformatur, adde I. epiſt. 20.n.9.; *bule*, ſenatus X. 85. & 111., *buleutæ* ſenatores X.113.& 115.; *heliocaminus* i.e. ſolare vaporarium in aprico loco ſitum ad calorem ſolis excipiendum II. 17.20. *hyperbaton facere* pro tranſgreſſionem ordinis ac conſtructionis VIII.7.2. ; *moriones* IX. 17. ; *pſephiſma*, pro decreto ſuffragiis populi acto X.52.2.

§. XV.

Porro commendandus eſt *Titus Livius Patavinus*, quem haud confundas cum Livio Andronico, antiquiſſimo ſcriptorum comœdiarū, tragœdiarū, hymnorum. Patria Livii noſtri eſt Padua, ſive Patavium, urbs Italiæ, eadem patria Valerii Flacci, quamve condidit Antenor Trojanus: auctore *Euſebio* in *chronico* natus eſt V.C. DCXCV. Romæ Claudii imperatoris ſtudiorum formator & magiſter fuit, uti habet *Svetonius Claud.* C.XLI., & obiit V.C. DCCLXX. poſt Chriſtum natum XVII. : quod Patavini de ſepulcro ejus tradunt ac celebrant, res fabuloſa eſt, nec monimentum hujus T. Livii, qua de re legendi *Jo. Mabillonius muſei Italici* tom. I. p.30. , & *J.A. Fabricius bibliothec. latin.* p.170. : magnæ erat exiſtimationis, *cujus viſendi cauſſa Gaditanum quemdam ab ultimo terrarum orbe veniſſe ſtatimque, ut viderat, abiiſſe Plinius* lib. II. *epiſt.* III., *Hieronymus epiſt.* CIII. tradunt. *Seneca* vocat eum *candidiſſimum omnium magnorum inge-*

ingeniorum æſtimatorem: *Tacitus* IV. 34.4. *annal. eloquentiæ ac fidei præclarum inprimis*; confer *Th. Pope-Blount cenſ. celebr. auctor.* p. 91., *Tob. Magiri eponymol.* p. 520., *Cyr. Guntheri appendic. latinit. reſtitut.* p. I. p. 64.: ſcripſit hiſtoriam romanam ab v.c. ad bellum Germanicum & mortem Druſi, hoc eſt ad ann. DCCXLIV. libris CXLII.: quando cœperit ſcribere, non certo conſtat. *Henr. Dodwellus annalibus Vellejanis* p. 65. exiſtimat, cœpiſſe Livium hiſtoriam ſuam condere v.c. DCCXXV., eique ultimam impoſuiſſe manum a. DCCXLV.; aliter ſentit *Maſſonus* de *Jani templo Chriſto naſcente reſerato* p. 51. 165. Superſunt libri XXXV. & quidem primi decem, deinde viceſimus primus uſque ad quadrageſimum quintum: obſervandum eſt, in antiquiſſimis editionibus occurrere tantum libros XXIX., quos reliqui ſenſim ſubſecuti ſunt, producti ex tenebris in publicam lucem: epitomas habemus librorum CXL. ſed libri CXXXVI. & CXXXVII. epitome deſideratur. † Quod ad T. Livii editiones adtinet, ex illis commendamus editionem *Aldi* MDXVIII., MDXIX. MDXX.

Hhh vo-

† *Plura de Livio vide apud Jacobum Philippum Thomaſinum in* T. Livii vita Pat. MDCXXX. Amſt. MDCLXX.; *in* faſtis Romanorum Livianis *Eliæ Conſtantini Von Treuven Schroeder Illi Gedanenſis* Gedan. MDCLXXV.; *Dheg. Whearum* prælect. hyem. p. 71. G. J. *Voſſium de* hiſtoric. latin. p. 93.; *Mart. Hanckium de* ſcriptoribus rer. rom. lib. I. cap. IX.; *Schellium* ſtat. Mercur. p. 11. lect. 2. c. 9; *D. G. Morhofium* polyhiſtore litt. *lib.* IV. *cap.* 11. *n.* 11. *p.* 148.

volum. III.; *Phil. Juntæ* hered. Flor. MDXXII. 8.; *Gryphii* Lugduni MDXLII. 8. MDXLVIII. MDLIV, 12; *Paulli Manutii* Venet. MDLV. MDLXVI. MDLXXII.; *Pariſienſem* MDCXXV. fol. cum Franciſci Modii, Fulvii Urſini, Marcelli Donati obſervationibus, & Sigonii contra Glareanum & Robertellum defenſionibus; *Danielis Heinſii* Lugd. Bat. MDCXXIV. 12. MDCXXXIV.; *Jo. Gerardi Arnoldi* cum capitibus diſtinctis, & diſſertatione de T. Livii vita ac ſcriptis Francof. MDCXCVI. 8. *Jo. Friderici Gronovii* Lugd. Batav. MDCXLV. 12. MDCLIV.; cum *Caroli Sigonii*, & *Jo. Frid. Gronovii* notis Amſtelod. MDCLXV. 8. MDCLXXIX. 8., cui poſteriori acceſſerunt Jac. Gronovii, & Henr. Valeſii, & aliorum obſervationes, quæ editio præ aliis laudanda eſt; namque addiderunt Sigonii chronologiam ad Livium cum ſcholiis, & adverſus Glareanum & Robortellum defenſionibus: epiſtolas Jac. Gronovii de locis quibuſdam geographicis Livii: Iſmaelis Bullialdi epiſtolam de anachroniſmo ſolis defectus, cujus mẽtionem facit Livius XXXVII. 4.; *Jo. Doviatii* cum notis in uſum Delphini & ſupplementis Jo. Freinshemii Pariſ. MDCLXXIX. MDCLXXX. MDCLXXXI. MDCLXXXII. vol. VI. 4., Patavii MDCXCIV. 12. vol. V.; quæ editio ad fidem optimorum librorum caſtigata eſt opera *Jacobi Giacometti* Londini MDCCIII. 8. vol. II. ad editionem Grono-

no-

p. 148.; *Jo. Gerard. Arnoldum* in diſſ. de Livii vita ac ſcriptis *præmiſſ. Livio ab eo edito*; *B. G. Struvium* bibliothec. antiqua MDCCV. p. 162.; *J. A. Fabricium* biblioth. latin. p. 178.

novii cum tabulis geographicis; *Jo. Hudſonii & Thom. Hearne*, Oxon. MDCCCVIII. 8. vol. VI., quæ editio emendata eſt; adjecerunt ſuprema paginæ parte annos v.c. & ante Chriſtum; Anſtelodamenſem MDCCX. cura *Jo. Clerici*, adjectis quibuſdam notulis & tabulis geographicis, cum ſupplementis Freinshemii. In ſtilo T. Livii deprehendimus majeſtatem caracteris, elegantiam juncturæ vocum, & puras locutiones. *Quinctilianus* X. 1. tribuit illi *lacteam ubertatem*, eumque Herodoro comparatum dicit, *cum in narrando miræ jucunditatis clariſſimique candoris, tum in concionibus, ſupra quam enarrari poteſt eloquentem: dicere omnia cum rebus, tum perſonis adcommodata; ſed adfectus, præcipueque eos, qui ſunt dulciores, neminem hiſtoricorum commendare magis*. *Jo. Henr. Boeclerus diſſ. de comp. lat. lingua* p. 15.: *quid Livio copioſius? lætius? validius? ſplendidius? quid fortius ad ſenſum, adcommodatius ad vitam dici poteſt? legant, qui diſcere cupiunt, quid ſit majeſtas ſtili ad imperii & reipublicæ majeſtatem quodammodo exacta*. *C. S. Schurzfleiſchius* dixit Livii orationem *gravem, copioſam, terſam & coloribus etiam ac figuris temperatam ſæpe ac diſtinctam*; & tom. I. *epiſt. arcan.* p. 613.: *hiſtoricos tamen cave oderis, Nepotem, Cæſarem, Livium; ille nativus & purus, iſte ſcitus & perelegans, hic copioſus & gravis eſt, & ubertate ſe commendat præter ceteros, ac hiſtoriam ſcripturo dictionis copiam largitur*. Verum *Aſinius Pollio* notavit in T. Livii hiſtoricis libris *Patavinitatem*. *Quinctilianus* VIII. 1.: *in T.*

Livio, miræ facundiæ viro, putat ineſſe Pollio Aſinius quandam Patavinitatem, id eſt dictionem, quæ ſapiat magis Patavium, quam Romam. Aſinius hic ſumma quidem dignitate fuit, & clarus rebus præclare bello ac pace geſtis; ſed ſui amore, invidus aliis: hinc infeſtiſſimus famæ Ciceronis fuit, & tulit iniquo animo, Ciceronem jam occiſum laudatum eſſe a Cornelio Severo poëta: ſugillavit Julii Cæſaris de bello gallico & civili commentarios, ut ſupra adnotavimus. Si ergo iniquus fuit in Ciceronem, ac Cæſarem, non mirum, ſi non æquior etiam in T. Livium his maxime æqualem fuerit: ſed vindicavit eum *Daniel Georgius Morhofius* de *Patavinitate Liviana* qui politiſſimus liber prodiit Kilon. MDCLXXX., & inter alias ejuſdem *diſſertationes* MDCXCIX.: hic Livii ſcribendi indolem adeo docte & copioſe illuſtravit, ut minus neceſſe ſit, in explicanda illa conſumere tempus; adde *Cl. Samaſium* in *funere linguæ Helleniſticæ* p.239., *C.S. Schurzfleiſchium epiſt. ſelect.* p.689., *epiſtol. arcan.* tom. II. p. 141., & *diſſert. academic.* proœm.

§. XVI.

Agmen horum ſcriptorum claudat *C. Cornelius Tacitus*, qui æqualis fuit Plinii junioris. Honores multos, & amplos geſſit: ſunt, qui eum Galliæ Belgicæ procuratorem fuiſſe adfirmant: ſub Domitiano geſſit præturam: denique ad conſulatus dignitatem per gradus aſcendit, & ſuffectus eſt in locum Verginii Rufi. Monimenta Taciti genuina ſunt; *hiſto-*

ria-

riarum libri v., quorum primus incipit a ſecundo Servii Galbæ, & Titi Vinii conſulatu; ultimus autem determinatur in pace, quæ anno v.c.822. inter Cerealem Romanum, & Civilem Batavum inita fuit: ex *annalibus* libris ſex priores conſervati ſunt, quamvis ex illis quintus ſit dilaceratus: porro deſunt libri quatuor, lib. quippe VII. VIII. IX. X., undecimum vero uſque ad XVI. fortuna nobis haud negavit; decimum vero ſextum haud integrum habemus: ſcripſit quoque Tacitus *vitam* ſoceri ſui *Cn. Julii Agricolæ*, & libellum *de ſitu, moribus populiſque Germaniæ*: partus ſuppoſititii ſunt *dialogus de cauſſis corruptæ eloquentiæ*, & *liber facetiarum*. *Ovvenus epigr.* III. 59. de eo ſic canit.

> *Veracem fecit probitas, natura ſagacem,*
> *Obſcurum brevitas, te gravitaſque brevem.*

Tacitus Imperator hunc noſtrum Tacitum dixit parentem ſuum, & juſſit eum in omnibus bibliothecis collocari, auctore *Vopiſco* cap. x., adde *G. I. Voſſium* de *hiſt. lat.* I. 30. p. 160. Juſtus Lipſius gloriatus eſt, ſe volumen Taciti adeo tenaciter memoria tenere, ut integrum Tacitum, ne verbo quidem amiſſo poſſit recitare, qua de re legendus eſt *Erythræus pinachot.* 1. p. 544. Petrus Cornelius Hoofdius, qui Tacitum in Belgicam linguam tranſtulit, traditur, bis & quinquagies eum perlegiſſe: vide *Petr. Francium orat.* XXIII. p. 305., *acta eruditor.* MDCCV. p. 387., *Fabricium bibl. latin.* pag. 476. Ex editionibus Corn. Taciti commendanda eſt editio *Juſti Lipſii*, cujus Tacitus illuſtratus, cum Vellejo

prodiit Antv. MDCVII., commentarii ejus alibi quoque ſæpius impreſſi ſunt: *Jani Gruteri* cum notis variorum B. Rhenani, Andreæ Alciati, Aemilii Ferretti, Marci Vetranii, Fulvii Urſini, Marcelli Donati, Franciſci Modii, Joſue Merceri, Curtii Pichenæ, & Chriſtophori Coleri Franc. MDCVII. 8. : Pariſienſis MDCVIII. f. cum ſedecim virorum commentariis ac obſervationibus: *Matthiæ Berneggeri*, & *Jo. Freinſhemii* ob indicem: *Jo. Frid. Gronovii* cum notis Rhenani, Urſini, Mureti, Acidalii, Freinshemii, Hug. Grotii & aliorum Amſtel. MDCLXXIII. MDCLXXXV. 8. vol. II.: *Theodori Ryckii*, qui caſtigavit & illuſtravit Tacitum, Lugd. Bat. MDCLXXXVII. 12. vol. II.: *Juliani Pichonis* in uſum Delphini Pariſ. MDCLXXXII. MDCLXXXVII. vol. IV. 4. & Venet. MDCCVIII. 4.: uſui ſcholarum inſervire poteſt editio dicta Ryckii & Hauſſii, qui ſcripſit notas ad modum Minellii Lipſiæ MDCCXIV. 8. De ſtilo Taciti multi ſiniſtre judicarunt, uti *Scioppius* de *ſtilo hiſtorico*, Alciatus, Æmilius Ferretus, quorum meminit *Voſſius* dicto loco: ſi reſpicis periodorum magnitudinem, ſtilus Taciti conciſus eſt; ipſe vero caracter eſt mediocris, qui medium ſervat inter genus magnificum, & tenue: dictio non ſemper caſta eſt & romana, quamvis elegans & ſuavis, quod ad vocum juncturam adtinet: formulas rariores atque haud puras non eſt, quod colligamus, quoniam in *diatriba de Tacito ejusdemque ſtilo*, illius ſcribendi indolem pluribus perſecuti ſumus, cui autem *Balbinum annotat. ad veriſimil.* p. 15. adjungi velimus, qui voces exhibet, a nobis prætermiſſas. *Ol. Borrichius conſpect.* p. 64.

p.64.: *dictio ejus* (Taciti) *aucta, efficax, conciſa, & fere nimium meditata: floridior in hiſtoriarum libris, preſſior aridiorque in annalibus; gravis tamen ubique, & ſenſum longius, quam verba proiiciens: nonnunquam & obſcurior, niſi admodum ingenioſis lectoribus, & qui aularum mores norunt. J. A. Boſius diſſertat. iſagogic. de comparand. eloqu. civil.* p.82.: *C. Cornelius Tacitus, etſi nec plane ad genium aureæ ætatis ſcripſit, & multa præter neceſſitatem innovavit, adeo tamen deprimendus non eſt, ut, quod nonnulli faciunt, corrumpendo ſermoni potius, quam ornando expoliendoque aptus exiſtimetur; ſed in eo maxime rotunditas, ſubtilitas, gravitas, & ingens ille ſententiarum politicarum adparatus æſtimari debet*: hunc merito ultimum facimus eorum, quo legendos putamus, antequam ex ſcholis ſtudia in academiam proferantur.

§. XVII.

Pauca addamus de ſcriptoribus, qui privato ſtudio legi & cum ſuperioribus conjungi debent, ſive id fiat in ſcholarum, ſive academiarum ſtadio. Horum primus ſit *M. Junianus Juſtinus*: de nomine, & ætate auctoris hujus diſcrepant ſcriptores ſententiis ſuis: teſte *Jac. Longarſio*, & *Ger. Jo. Voſsio* in antiquiſſimo codice bibl. Mediceæ dicitur M. Junianus Juſtinus; in codice vero apud Ant. Arnoldum Juſtinus Frontinus. Referunt ætatem ejus ad Antonini Pii tempus, quam ipſe in præfatione his verbis indicet: *quod ad te, Imperator Antonine, non tam cognoſcendi*

quam

quam emendandi cauſſa tranſmiſi; ſcripturam horum verborum defendit *G. J. Voſſius* de *hiſt. latin.* p.169., alii tamen muniti fide librorum ſcriptorum omittunt : *Antonine Imperator*. Id dubio caret, quod hic Juſtinus ante Chriſtianorum Imperatorum tempora ſcripſerit. Extant hiſtoriarum Philippicarum, & totius mundi originum,& terrę ſitus ex Trogo Pompejo excerptarum libri XLIV.a Nino uſque ad Cæſarem Auguſtum : hic autem *Trogus Pompejus* patria non Hiſpanus,ſed Gallus,clarus fuit ætate Auguſti ; minus autem præceptor Juſtini, qua ſententia ſunt *Gualterus Burlæus* de *vitis philoſophorum*, & *Philippus Bergomas ſupplem. chronic.* Hiſtoriarum libros adpellavit *Philippicarum*, quia a libro ſeptimo uſque ad XLI. proſequutus eſt res regni Macedonici, quod maxima debet Philippo magno, patri Alexandri. *Voſſius* c.l. p.99. addidit: *ſeptem vero libros primos Bongarſius cenſebat eſſe* mundi origines, *quas veterum librorum inſcriptio pollicetur*; *at* terræ ſitus, *quos iidem promittunt*, *jure arbitratur eſſe deſcriptiones regionum*, *quæ a Juſtino quidem omiſſæ*, *a Trogo vero non item*. Sunt, qui præter Florum,Xiphilinum,Juſtinum reprehendunt, quaſi illorum opera, intempeſtiva quippe factum ſit, ut Trogi Pompeii, Titi Livii, Dionis Caſſii uberrimas hiſtorias,ingenti rei litterariæ damno vel omnes perdiderimus, vel decurtatas & mutilatas habeamus. Auctores *act. erud.* MDCLXXXIII. p.179. de Juſtino noſtro ita judicant : *nullum ex vetuſtis ſcriptoribus*, *qui ex fœda barbariei tempeſtate*, *triſtique rei litterariæ naufragio quaſi eluctati ad nos pervenerunt*,

pro-

tyrociniis ſtudii hiſtoriarum eo (Juſtino) *accommodatiorem eſſe, viri doctiſſimi cenſent: tam terſe ſane, tam emendate ſcripſit, ut ſeculi ſui captum ſuperare, nec ſolarum rerum, ſed & verborum floſculos ex Trogo, optimi ævi ſcriptore delibaſſe videatur : nec præter eum quiſquam amplius extat eorum, qui ſecundum ſeriem temporum res plerarumque gentium digeſſerunt, in iisque ordine pertexendis elaborarunt ; omnibus ſive totis, ſive maximam partem abſorptis, & longa ſuperioris memoriæ nocte, optimarumque artium fatali ſilentio deletis* : adde *Th. Pope-Blount cenſ. celebr. auctor.* p. 161. ſeqq., *D. G. Molleri diſſ. de Juſtino* Altd. MDCLXXXIV., *Ol. Borrichium* in *cogitat.* p. 4. *conſpectu ſcript.* p. 83., *D. G. Morhofium polyhiſt. litterar.* IV. 14. 1. Ex editionibus Juſtini debent commendari *Aldina* MDXXII. 8.; *Florentina* apud Juntas MDXXV.; *Jacobi Bongarſii* Pariſ. MDLXXXI. 8., qui Juſtinum emendavit ex Cujacii, Puteani aliisque ſex MSS., & notis tabulisque chronologicis illuſtravit: *Franciſci Modii* MDLXXXVII. MDXCI. 8.; *Jani Gruteri* Marp. MDCXII. 8.; *Daniel. Parei* Franc. MDCXXX. 8.; *Matthiæ Berneggeri* cum indice Freinshemii Argent. MDCXXXI. MDCLIII. MDCLXII. MDCLXVI. 8.; *Boxhornii* Amſtelod. MDCXXXVIII. 12.; *Iſaaci Voſſii* Lugd. Bat. MDCL. 12.; *cum notis variorum* Lugd. MDCL. 8. MDCLXIX. 8., Amſt. MDCLIX., Uratiſl. MDCLX. 8., *J. G. Grævii* Ult. MDCLXIX., Amſt. MDCXCIV. 12., Traj. ad Rh. MDCCVIII. 8.; & cum integris notis cl. virorum, & indice Freinshemii cura Scheferi & Vorſtii aucto Lugd. Bat. MDCLXXXIII. MDCCII. 8.; *Tanaquilli Fabri*

Sal-

Salmur. MDCLXXI.; *Jo. Vorſtii* Berol. MDLXXIII. 8.; *Jo. Scheferi* MDCLXXVIII. 8.; *Petri Joſephi Cantelii* in uſum Delphini MDCLXXVII. 4., Lond. MDCCV. 8.; *Thomæ Hearne* e theatro Sheldoniano MDCCV. 8. Quod ad ſtilum *Juſtini* adtinet, de eo critici & philologiæ doctores non uno modo judicant, aliis eum laudantibus, aliis reprehendentibus, juſto vehementius: ipſum illius ſcribendi genus medium eſt, nec habet tam longiores periodos, nec breviores: eſt perſpicuum, minus vero ita purum, ut omnia ſint probatiſſimæ latinitatis; namque voces habet, quæ a romana caſtitate ſunt alienæ e.g. *adunare*, pro colligere, conjungere XV.14., XVI.2., V.9., XII.2., XXIIII. 1. 6., vide *Ol. Borrichium cogitat.* p.40. 41.; *artare* ſeu *arctare*, pro circumſcribere, XXXIX. 5., quam vocem *Plautus* habet: *attaminare* XXI. 3.; *ceſſum ire* pro cedere II. 12.; *comitari* paſſive XXX. 2.; *conſolatus* paſſive XXXII. 6., quam formam *Gellius* quoque uſurpavit, *deprecatum bellum* paſſive VIII. 5. 5.; *diem fungi* XIX. 1. 1.; *dubius conſilii* II. 13. 1. more græcorum; *enixus* paſſive XLIII. 2. cujuſmodi participia plura habet; *eventilatur* terreſtris ſpiritus LXIV. 1., *Sidonio* eſt *eventilare* pro diſsipare; *orientalis* XXXIX. 5., quæ vox latinitatis inclinantis ſeculi aurei eſt, extat apud *Plinium* XVIII. 34.; *impoſſibile*, vox poſterioris ævi II. 4.; *inaudita* pro audita XXII. 3. 8., quæ ſignificatio alibi non occurrit, quamvis locus Juſtini poſſit emendari: *intrinſecus* IV.1.; *oblitus* active cum caſu adcuſandi XXX. 1.; *purificare* X.3.4., quam vocem habent *Plinius* & *Svetonius*; *reatus* IV. 4., quod vocabu-

lum

lum invectum eſt ętate Auguſti: *reſtaurare* pro inſtaurare II.10., III.5.XX.5., XXXI.3., ut de aliis formulis hujus modi taceamus. Interdum ad poëtarum ſtilum inclinat, quum modo võces illorum proprias, modo translatas locutiones, ſive metaphoricas more illorum uſurpat, quæ facile cognoſci & judicari poſſunt, num ad uſum ſint transferendæ, an minus: id quoque Juſtinus ſibi fecit frequens, quod verba compoſita loco ſimplicium poſuerit, quæ nec majorem vim, nec ſuaviorem elegantiam adferant orationi.

§. XVIII.

C. *Svetonius Tranquillus* grammaticus & rhetor Romanus, natus eſt initio imperii Veſpaſiani; namque capite ultimo *vit. Neronis* ait, ſe annis XX. ab exceſſu Neronis fuiſſe adoleſcentem: pater ejus erat Svetonius Lenis, de quo in *Othone* cap. X., quum deſcripſiſſet prælium inter Othonem & Vitelli legatos ad Bebriacum, hæc refert: *interfuit huic bello pater meus Svetonius Lenis, tertiæ decimæ legionis tribunus anguſti clavius*; avi ſui mentionem facit in *Caligula* cap. XIX.: patris exemplo, tribunus militum aliquando fuit, ut habet lib. III. *epiſt.* 8. *Plinius* ad Svetonium. Plinio juniori erat amicus, a quo adſcitus in contubernium, quumque eſſet ſine liberis, conſecutus eſt a Trajano jus trium liberorum, *Plin.* X. 95. *epiſt.* ad Trajanum. Imperatoris Adriani magiſter epiſtolarum fuit, ſed remotus eſt ab hoc munere, quod familiarius egiſſet apud Sabinam, uxorem Imperatoris, ut refert

Ælius

Ælius Spartianus in *Adr.* cap. XI. Ex monimentis ejus ſuperſunt : *vitæ* XII. *imperatorum*, C. Iulii Cæſaris, Octavii Cæſaris Auguſti, Tiberii Neronis, C. Caligulæ, Tib. Claudii Druſi, Neronis Claudii, Sergii Sulpicii Galbæ, M. Salvii Othonis, A. Vitellii, utriuſque Veſpaſiani, & T. Flavii Domitiani : liber de *illuſtribus grammaticis & claris rhetoribus*, ſed non integer: ex libro de *poëtis* vita Terentii a Donato excerpta, vita Horatii, Perſii, Lucani, Juvenalis. *Harduinus* refert Svetonium ad claſſem ſuppoſitorum ſcriptorum, & de *nummis Herod.* p. 329. 330. ait: *Caper ille in piſcem deſinens, abundantiam annonæ terra marique indicat*; & mox: *neque aliud in nummis pariter Auguſti accipiunt, de quo diſceptant inter ſe fruſtra, a Svetonio decepti, ut alias dicemus*. Ex editionibus Svetonii laudem conſecutæ ſunt *Aldina* MDXVI. MDXXI., *Roberti Stephani* Pariſienſis MDXLIII. 8.; *Pariſienſis* cum notis Iſaac. Caſauboni, & aliorum ap. Sebaſt. Cramoiſium; *Schildiana* cum notis variorum, & nonnullis Lipſii ac Salmaſii obſervationibus & caſtigat. Lugdun. Batav. MDCXLVII. MDCLII. MDCLXII. MDCLXVII. 8.; *Jo. H. Baecleri* Argentor. MDCXLVII. MDCLXXXVIII. 8.; *Jo. Georgii Grævii* cum integris commentariis Lævini Torrentii, & Iſaaci Caſauboni, ac Theodori Marcilii, Franciſci Gujeti, Jo. Frid. Gronovii, & Grævii notis, item Achillis Statii & Eliæ Vineti ad libros de grammaticis & rhetoribus, locupletiſsimoque Matthiæ Berneggeri indice Trai. MDLXXII., Hag. comit. MDCLCI. 4., Trai. MDCCIII. 4.; *Caroli Patini* Baſ. MDCLXXV. MDCCVII. 4.; *Oxonienſis* MDCXC.

in

in uſum Delphini cura *Auguſtini Babellonii* MDCLXXXIV.4.; *Samuelis Pitiſci* Trai.ad Rhen. MDCXC.8.2.vol.MDCCXIV.4. auctior; *Amſtelodamenſis* Wetſteniana MDCXCVII.12. ex recenſione Grævii cum notis ejus; *Leidenſis* MDCXCVIII. additis emendationibus Jacobi Gronovii.Quod ad ſtilum Svetonii pertinet, ille brevis eſt & oratione Nepotis,Ceſaris multum inferior,quorum elegantia & ſuavitate caret: inſunt tamen in illo multa ornamenta, quæ colligere & uſus ſui facere, latini ſermonis cultores decet. *Ol. Borrichius conſpect. ſcript.* p. 74. ſtilum ejus dicit *amabilem*, & addit: *auctor diligens, candidus,nervoſus,& vel hoc nomine neceſſarius, quod claram reddat vetuſtatis Romanæ imaginem,quod multas leges,ritus publicos,privatos, fori & curiæ voces,edicta,ſenatus conſulta,alibi in caſſum quæſita ingenue recenſeat*: confer *G.J. Voſsium* de *hiſtoricis latin.* I. 31. p.165., *Martin. Hanckium* de *ſcriptor. rerum romanarum* part. I. cap.17. p.109., *Mollerum diſſert. de Svetonio* Altd. MDCLXXXV., *Jo. A. Boſium diſſert. iſagog. de prud.civil.* p.11. 28. 83., *Th. Pope-Blount cenſ.auct.*p.148., *D.G.Morhofium polyhiſtor. litterar.* IV. cap.13. num.13., *Cyr. Guntherum latin. reſtit.* p.1. append. p.140., *Jo. A. Fabricium biblioth. latin.* lib. II. cap.24. pag. 494.

§. XIX.

L. Annæus Florus ſcripſit ſub Adriano; & principio librorum indicavit,qua ætate floruerit, quamvis ratio chronologiæ non expedita ſit: patria quibusdam videtur Hiſpa-

nus, forte ex Senecarum gente; valebat gratia imperatoris Adriani: quod ſub eo, non ſub Trajano extiterit clarior, *Thomas Reineſius* ex eo judicat, quod ejus plurima ſub Adriano mentio, ſub Trajano nulla ſit. Scripſit *epitomen de geſtis Romanorum*, ſive *rerum romanarum* libros IV. ab V. C. ad Jani Templum primum clauſum ſub Auguſto Imperatore: exiſtimant nonnulli, Livium compendio dediſſe Florum; ſed ſæpe diſſentit a Livio. Ex editionibus commendamus uſui ſcholarum & criticorum editionem *Aldinam* MDXXI.; *Jo. Camertis* Baſil. MDXXIX. 8. MDXXXII. f., & Pariſ. MDXXXIX. 4.; *Juſti Lipſii* & *Gruteri* Heidelb. MDXCVII. 8.; *Elzevirianam* MDCLXIV. 12. MDCLXII. 8. cum notis variorum; *Joan. Georgii Grævii* cum variis nummorum veterumque monimentorum iconibus & obſervationibus; Pariſienſem in uſum Delphini opera *Annæ*, *Tanaquilli Fabri* filiæ MDCLXXIV. Lond. MDCXCII. 8.; *Wetſtenianam* cum notis Salmaſii, Grævii & multorum aliorum Amſtelodam. MDCXCII. MDCCII.: *Laur. Begeri* Florus non integer prodiit, cujus duo libri priores editi ſunt Berol. MDCCIV. fol. Stilus Flori accedit ad poëticam dicendi rationem, quare *Olaus Borrichius* l. cit. p. 73.: *compendium ſcripſit hiſtoriæ romanæ libris quatuor, diſerta quidem & arguta dictione, ſed quæ ſæpe poëtæ, ſæpe declamatori convenientior eſt, quam hiſtorico: ita ſolemne ei, ſententias acumine claudere, & ſplendoris magis, quam veritatis temporum rationem habere.* Multa omnino in Floro occurrunt, quę minime ferent aures teretes & religioſæ, & tam in ſententiis, quam in verbis eſ-

ſe

ſe multa inſana, nemo diffiteri poteſt qui quidem in idoneorum latinæ linguæ auctorum lectione verſatus: plura differere de ſtilo Flori non neceſſe eſt, quoniam *Jo. Georg. Grævius præfatione ad Florum* hoc argumentum pluribus perſecutus eſt, cui cenſuræ apologiam Flori oppoſuit *Laur. Begerus*, quod utrumque monimentum & *Grævii* & *Begeri* extat in *epiſtolis Grævii* collectis a *Jo. Fabricio* p.72. & p.87. *Begerus*, qui contra Grævium diſputaverat, acerbius perſtringitur a *Petro Burmanno notis ad Petronium* p.119. 451.

§. XX.

Dicendum quoque eſt de utroque Seneca: alter eſt *M. Annæus Seneca* rhetor, qui floruit imperantibus Auguſto, & Tiberio, ac varia ſcripſit, ex quibus ſuperſunt *ſuaſoriarum* liber unus, *controverſiarum* autem libri v. cum variis controverſiarum excerptis. Alter eſt *L. Annæus Seneca* Neronis olim præceptor, profeſſione Stoicus, cujus ſcripta ſupra commemoravimus. Ex editionibus magna dignitate excellunt editiones *Juſti Lipſii* MDCV. MDCXXIV. MDCXXXII. MDCXXXVII. MDCLII. fol.; *Pariſinæ* cum notis Eraſmi, M. Antonini Mureti, Ferd. Pintiani, Opſopæi & aliorum, & anno MDCVII. f. cum Mureti, Lipſii, Jureti, Gruteri aliorumque notis & obſervationibus; *Commeliniana* MDCIV. f.; *Pariſienſis* MDCXIX. f. cum variorum animadverſionibus; *Elzeviriana* cum integris Juſti Lipſii, Jo. Frid. Gronovii, & ſelectis variorum commentariis Amſt. MDCLXXII. 8. vol. III.: uſui autem ſcho-

larum & adoleſcentum facere poteſt ſatis editio Lipſienſis MDCCII. Stilus utriuſque non ubique caſtus, purus, ſuavis, elegans eſt; continet tamen, quæ ornant & perpolire poſſunt ſermonem; ſcripta L. Annæi Senecæ Caligulæ non placuerunt, cui *harena* erant *ſine calce*. *Quinctilianus* X. 1.: *in philoſophia parum diligens; egregius tamen vitiorum inſectator fuit: multæ in eo claræque ſententiæ, multa etiam morum gratia legenda; ſed in eloquendo corrupta pleraque atque eo pernitioſiſſima, quod abundant dulcibus vitiis*: legendus eſt ab illis, quibus firmius eſt judicium. Quæ a puro ſermone diſcedunt, varia ſunt e. g. *Jovem obnoxiantem* de vita beata cap. 26.; *advocatio*, quod vocabulum pro mora & ſpatio ſæpius poſuit, ut *dare*, *petere*, *poſtulare advocationem*; *apologare* pro reiicere, repudiare, ex greco ἀπολέγειν epiſt. 47.; *aquatius medicamentum*, qu. nat. I. 3.; *columbari* pro columbarum more oſcula pangere, quo verbo uſus eſt Mæcenas apud Senecam ep. 114.; *collatrare* philoſophiam, pro obtrectare de vit. beat. c. 17.; *corrotundare* qu. nat. IV. 3.; *crepax mola* epiſt. 114.; *clamoribus exſurdatus* epiſt. 94.; *gauſapatus* pro gauſapina indutus ep. 53.; *arbores grandiſcapiæ*, quæ grandem ſcapum habent, epiſt. 86. quamvis addat, *ut ita dicam*: *indifferentia*, ſubſt. quæ græci dicunt ἀδιάφορα epiſt. 82.; *indolentia* epiſt. 66.; *inenarrabilis* III. 22. quæſt. nat.; *infrunitus* id eſt imprudens, inſipiens, fatuus de benefic. III. 16., de vita beata cap. 23.; *fundamenta lapſabunda* epiſt. 52., quamvis alii ex ſcripto libro legant: *fundamenta laſſarunt*; *lyctnobius*, qui ad lucernam vitam degit, præpoſtere ſic vivens epiſt.

122. extr.; *malaciſſandos artiulos* epiſt. 66. à μαλακίζειν mollem reddere, emollire; Pintinianus quidem legit: *malaxando*, quod idem eſt, quo uſus Laberius apud *Gellium*; *manufacere* pro ſibi ſponte arceſſere; ſæpe *nepotari* pro prodige & luxurioſe vivere lib. 1. c. vlt. de beneficiis; *maternum nutricium* pro nutricatu, de conſol. ad Helviam cap. 17.; *obiraſcens fortunæ animus* de tranquill. an. cap. 2.; *fauces occallatæ cibis ardentibus* qu. nat. lib. 4. extr.; *obſtrigillare*, obſtare, ſe opponere epiſt. 115.; *dominicæ libidini papparium facere* 1. contr. 1., *papparium* eſt, quod edendum præbetur; *rigidari* epiſt. 71., alii legunt *rigida eſt*; *ſegregem vitam* pro ſolitaria de benef. IV. 18.; *valetudinarius* ibid. I. c. 11. extr., ut de multis aliis taceamus, quæ hic colligere non neceſſe eſt. De M. Annæo Seneca ejusdemque ſtilo *G. J. Voſſius* de *nat. & conſtit. rhetor.* ita ait: *M. Annæus Seneca nobis ex ſui ævi declamatoribus excerpta dedit, idque ſtilo puro & eleganti, nec minore acumine judicii, quo egregie uſus eſt in ingeniis dictiſque eorum cenſendis, ex quibus laudabilia iſta, ſedulæ inſtar apis, delibavit*; & *Olaus Borrichius conſpect. aucl. lat. lingu.* p. 51.: *dictio ſatis nitida: ſed concisa & ſubinde velut ex inopinato arguta, gravis, plena judicii*.

§. XXI.

Privato ſtudio addi poſſunt Terentius, ac Quinctilianus, quos cum Juſtino, Svetonio, Floro, Senecis eo nomine privatæ lectioni relinquimus, quod publicis horis ejusmodi debeant explicari auctores, quorum latinitas pu-

rior eſt ac ſuavior : bene cupimus Terentio, quamvis ad extremum locum relegatus ſit; namque qui in fabellis ejus feliciter verſari cogitat, ille ejuſmodi ingenio valere debet, quod litteris latinis linguæ cum purioris, tum inclinantis rariorisque bene imbutum eſt. Hæc dicta ſint de ſcriptoribus, qui culturam purioris ſtili juvant, confirmant & ad id, quod ſummum & elegans eſt, perducere poſſunt: qui ſuperſunt, illos magiſtris atque alumnis philologiæ romanę commendamus, ut in illis verſentur & fata linguæ latinæ, quæ ſunt modo felicia, modo triſtiora, cognoſcant; munus enim philologiæ hujus tam amplum eſt, ut non modo amœnitatibus purioris romanæ facundiæ fruatur, ſed in barbarorum quoque inſulas ſe conferat, & indolem inculti ſermonis conſideret. Sed tamen & philologus, & cultor ſtili purioris cetera veterum monimenta iis de cauſſis perlegunt, ut fructum capiant ex cognitione argumentorum, quæ explicantur, & voces formulasque præcipue obſervent, quæ artis cujusdam interdum propriæ ſunt: ſic medicus legit *Celſum*, *Marcellum Empiricum*, *Scribonium Largum*; philoſophus *Catonem*, *Columellam*, *Palladium*; hiſtoricus *Ammianum Marcellinum*, *Ampelium*, *Capitolinum*, *Dictyn Cretenſem*, *Lampridium*, *Spartianum*, *Trebellium Pollionem*, *Valerium Maximum*, *Aurelium Victorem*, *Vopiſcum*, *Vulcatium Gallicanum*; geographus *Pomponium Melam*; rhetor *Drepranium Pacatum*, *Eumenium*, *Mamertinum*, *Nazarium*, reliquos panegyricos, & antiquos rhetores; grammaticus *Aſconium*, *Chariſium*, *Donatum*, *Fulgentium*, *Priſcianum*, *Ser-*

Servium & alios grammaticos ; philologus *Apulejum*, *Boëthium* , *Capellam* , *Caſſiodorum* , *Cenſorinum*, *Macrobium*.

CAPUT X.

De Lectione Poëtarum Latinorum.

SYNOPSIS.

Lectio poëtarum latinorum commendatur §.I.II. *Ac differitur de vita, editionibus, ac ſtilo Ovidii* §.III. *Virgilii* §.IV. *Horatii* §.V. *Silii Italici* §. VI. *Commendantur poëtæ Chriſtiani* §.VII.

Poëtas non ſolum legendos eſſe, ut modum cognoſcamus verſus componendi, & alias mythologiæ hiſtoriarumque utilitates ex illis hauriamus; ſed latinitatis quoque cauſſa, ad cujus culturam multum conferant, ſupra demonſtravimus: ſane egregia ſunt commoda, quæ linguæ Romanæ poëſis latina adſert; quam in rem *Ol. Borrichius* præfatione, quam *parnaſſo* ſuo *in nuce* Hafniæ edito, præfixit, ita dicit: lingua latina *neque recte tradi poteſt, neque percipi ſine cognitione poëſeos; ſine illa enim nulla pars grammaticæ certa eſt, non orthographia ſana, non ratio pronuntiandi ſecura, non inflexio verborum ſatis tuta: ab illa petitur ſpiritus in verbis, decor in perſonis, in tota actione*

nia

majeſtas, ut taceam, cum delectatione quadam atque dulcedine docere pöeticem, ceteras diſciplinas docere tantum, non incendere, non delectare. Sed tamen ante oratores, & ſoluta orationis ſcriptores pöetas haud legendos eſſe putamus, quoniam illi ſunt faciliores, poetæ vero obſcuri; hinc *Tan. Faber* de *futilitate poëtices* cap. IV. p. 9. rectiſſime ait: *hæc ipſa ſcribendi difficultas cauſſa eſt, cur naturalem verborum ordinem non raro turbent, & figurate, vel improprie plerumque loquantur; unde fit, ut eorum ſtilus ſit alieniſſimus a quotidiana dicendi conſuetudine, involutus & obſcurus, quod illi omnes experiuntur, qui verſant eorum opera. Jo. Sambucus* initio orationis: *utrum oratores ante poëtas a pueris cognoſcendi eſſent*, quæve ſubjecta eſt concionibus ex Xenophontis libris Baſil. MDXXII. editis, ait: *audietis juvenem, non quidem varia eum temperatum eruditione, quod in ſubſellis philoſophorum eſt quærendum; verum tamen ſtudioſum optimarum artium, de eorum opinione, qui poëtas proponendos ante oratores pueris arbitrantur: quorum ego quum penitus reiicere non poſſim ſententiam, reprehendere tamen poſſum; idque, niſi omnino fallor, de multorum ſententia*. Variæ cauſſæ ſunt hujus obſcuritatis, quæ oritur modo ex fabulis, quas recenſent, aut ad quas reſpiciunt; modo ex metro, quod ſervare debent; modo ex metaphoris, atque allegoriis, aliisque loquendi formulis, quæ poëtarum ſunt propriæ.

§. II.

Ne quidam conquerantur, poëtarum lectionem cumulari, nec tantum temporis eſſe ad omnes, quos laudabimus, vel interpretandos, vel legendos; obſervandum eſt, quod ſtudium publicum cum privato ſit conjungendum, quodque temporis ſucceſſu nunc in hoc, nunc in alio auctore progreſſus fiat. Antiqua ætas tulit multa poëtarum ingenia, de quorum monimentis nec pauca poſteritati conſervata ſũt, nec pauca tempeſtatis injuria perierunt; namque celebres ſunt Accius, Afranius, Alcimus, Avitus, Avienus, Auſonius, Cæſar Germanicus, Cæcilius, Calpurnius, Catullus, Claudianus, Corneli us Severus, Ennius, Gratius, Horatius, Juvenalis, Livius Andronicus, Lucanus, Lucilius, Lucretius, Manilius, Martialis, Nævius, Nemeſianus, Numatianus, Ovidius, Pacuvius, Perſius, Phædrus, Plautus, Propertius, Samonicus, Seneca Tragicus, Silius Italicus, Terentius, Tibullus, Valerius Flaccus, Virgilius: horum delectum inſtitui neceſſe eſt, ut uſui & publico & privato conſulatur, & aliis ſcientiarum generibus temporis aliquid poſſit relinqui. Inprimis autem commendamus alumnis bonarum litterarum *Phædrum, Ovidium, Virgiliũ, Horatium Flaccum, & Silium Italicum*, qui præ reliquis ſuaves ſunt atque elegantes: alii elocutione modo ſunt obſcuriores, longe petitis metaphoris; modo ſalubrioribus vitæ moribus nocent; modo loquuntur, quaſi inter barbaros non ſolum nati, ſed etiam educati. Phædrum & Terentium ſuperiori capite inter ſcriptores orationis ſolutæ retulimus, nec ſine

cauſſa,

cauſſa,quoniam a Phædro initia latinitatis capi volumus;adhæc metrum illius,ut & Terentii nullis certis legibus eſt circumſcriptum: latinitatis poëticæ diverſa quoque genera ſunt, ut aliorum poëtarum latinitas ſit ſuavior, aliorum vero durior; quo circa laudamus Ovidii latinitatem ut puram,ſuavem,perſpicuam, atque elegantem, ubi iſta comparatur cum latinitate Martialis,Claudiani, Statii,& aliorum, quos tulit ævum inclinans ad barbariem: quodſi autem Ovidium, Virgilium, Horatium contendimus cum Cicerone, Cæſare, Nepote, Salluſtio, Livio, latinitas illorum multum eſt inferior, & plura ibi deprehendimus haud pura nec caſta, quam in horum monimentis.

§. III.

De *Phædro* diximus capite, quod huic præmiſſum eſt: quare prodeat *P. Ovidius Naſo*, qui natus eſt Sulmone in Pelignis v. c. DCCXI., nactus naturæ beneficio ſingulare & divinum ingenium:adplicavit illud ad verſus ſcribendos, in quibus mire excelluit. Quum in invidiam Imperatoris Auguſti incurreret, incertum qua cauſſa, Tomos in exſilium miſſus eſt, ubi e vita exceſſit, Tiberio imperium tenente, anno ſexageſimo ætatis. Extant ejus *heroides*, ſive epiſtolæ XXI. elegis verſibus; *amorum* libri III.; *artis amatoriæ* libri totidem:*remedia amoris* lib. I.:*metamorph*.lib.XV., *faſtorum* libri ſex priores,qui ſoli ex duodecim ætatem tulerunt, inſcripti Germanico Cæſari verſibus elegis: *triſtia*, ſive *triſtium elegiarum* libri

libri v. : *epiſtolarum Ponticarum*, ſive e Ponto libri IV. verſibus elegis : *Ibis* , ſive Diræ in Ibin carmine elegiaco verſuum amplius ſexcentorum : *halieuticon* , ſive de piſcibus liber acephalos , carmine epico : de *medicamine faciei* fragmentum elegiaco carminis genere: *nux* elegia . Vitam Naſonis deſcripſit *Jo. Maſſonus* atque illam edidit Amſtelodami MDCCVIII.;ad-de *Crinitum* de *poëtis latinis* III. 46. , *Gyraldum* de *poëtis* dial. IV. p.224. , *G.J. Voſſium* de *poëtis* p.29. , *Ol. Borrichium* de *poët*.p.51. , *Car. Stephani lexic. poëtic.* ſub *Ovidius* , *D.G. Morhof. polyh. litter*. IV. II. 16. , *J.A. Fabricium bibl. latin.* p. 260. Ex editionibus Ovidii magnum ſibi fecerunt locum *Aldinæ prima* MDIII. 8. tribus volum. , *ſecunda* MDXIII. , *tertia* MDXXXIII 8. vol. tribus ; *Lugdunenſis* apud Gryph. MDXLVI. 12. trib. vol. ; *Plantiniana* MDLXVI. , & MDLXXVIII. 12. vol. I. II. III. ; cum notis *Herculis Cioſani* Venet. MDLXXVIII. 8. ; MDLXXXII. 8. ; cum notis variorum Francof. MDCI. fol. apud *Wech.* tribus partibus uno volumine *Danielis Heinſii* Lugd. Bat. MDCXXIX. & MDCXXX., it. MDCXLIX. trib. vol., & MDCLIII. ; *Nicol. Heinſii* Amſt. MDCLXI. 12. vol. III. , quæ editio emendata eſt ex ſcriptis libris : *Burchardi Cnippingii* cum integris Heinſii & ſelectis aliorum notis Lugd. Bat. MDCLXX. 8. & Amſtel. MDCLXXXIII. vol. III. ; *Danielis Criſpini* in uſum Delphini Lugd. MDCLXXXIX. 4., ac *Petri Burmanni* . Stilus Naſonis perſpicuus eſt , & ſuavis . Olaus *Borrichius conſpect. auct. lat. lingu.* p.38. : *extant metamorph. ejus libri* XV. *non illo quidem ſtilo ſublimi epico ; ſed tamen decoro, arguto, numeroſo exarati, & vel hoc uno*

in-

ingenioſiſſimi, quod miro artificio omnes propemodum veterum fabulas ab initio orbis ad ſua uſque tempora, perpetua ſerie & quaſi catena quadam amabili connectant: heroides, & amorum libri puriſſimæ dictionis ſunt, impuri plerumque ſenſus: triſtium libri, & Pontica creduntur humiliora eſſe ceteris ejus operibus, ut inter barbaros in exilio nata; ſed ſane quantum iis periit ſplendoris, tantum ex ingenio additum varietatis & pulcritudinis. Ex operibus Naſonis ad uſum ſcholaſticum commendamus precipue libros *triſtium*, ſeu *de triſtibus*, † *epiſtolas ex Ponto*, libros *faſtorum*, quod opus ultimo loco referendum eſt: libri *metamorphoſeon* ſunt ob longiores fabulas non adeo commendandi, relinqui tamē poſſunt privato ſtudio; ſed opus *amorum*, *artis amandi* nocet vitæ innocentiæ, a cujus lectione juventutem inprimis, cujus pectora mollia & ceræ ſimilia ſunt, omnino removendam eſſe, arbitramur. Quam graviſſimi ſunt ſcholarum morbi! in quas magiſtri Terentium, Catullum, Tibullum, Propertium, Naſonis libros amoris ita receperunt quaſi ex nullis aliis latinitas addiſci queat:

† *Hi libri inſcribuntur modo de* triſtibus, *modo* triſtium; *quidam poſteriorem titulum preferunt, cujus Naſonem ipſum auctorem eſſe colligunt ex his lib.* III. e Ponto eleg. 9. *v.* 35.

Leta fere letus cecini, cano triſtia triſtis,
Conveniens operi tempus utrumque ſuo eſt:

Sed ex his verbis nihil demonſtrari poteſt. Ovidius poſuit triſtia *metri cauſſa, cui de* triſtibus *non conveniebat: nec ipſe Naſo titulum, ſed grammaticus quidam adpoſuit.*

queat: præterquam quod multa obſoleta, multa antiquata habent illi comici, genus ſcripturæ modo eſt triviale, præſertim quando ſervi & ancillæ ſermonem conſerunt, interdum minus apte cohærens, uti fit in abruptis ſermonibus; neque parvi æſtimandum eſt damnum, quod honeſtatis officio ex illorum uſu impendet.

§. IV.

Ovidium ſequitur *P. Virgilius Maro*, qui natus eſt in vico olim dicto *Andes*, non procul a Mantua: vitæ Virgilianæ vetus auctor, qui vulgo Donatus creditur, *natus eſt*, inquit, *Cn. Pompejo Magno & M. Licinio Craſſo* coss. *iduum octobrium die, in pago, qui Andes dicitur, qui eſt a Mantua non procul*; hinc *cantus Andinus* apud *Silium Italicum* lib. VIII. v. 594. eſt Virgilianus, quia ipſe Maro Andinus proprie fuit, & propter vicinitatem Mantuanus: adoleſcens litteras Mantuæ, Cremonæ, Neapoli didicit, & occaſione agrorum bello civili amiſſorum Romam venit, Mæcenati & Pollioni cariſſimus: mortuus eſt Brunduſii x. calend. ſeptembr. morbo ex ſolis æſtu contracto, in reditu ex Græcia cum Auguſto, anno ætatis LII. ſcripſit *bucolica*, ſive *eclogas* x.; libros quatuor *georgicorum*; & *Æneida* libris XII., quos inemendatos reliquerat: in poëtis latinis, qui Virgilio præferatur, nullus eſt. *Vellejus* II. 36. eum dixit *principem carminum*; *optimum olim Virgilium Horatius* 1. *ſat*. 6. v. 54. Principes viri in ſermonibus eo uſi ſunt, ut eſt illud Tetrici, qui purpuram ſumſerat, ad Aurelianum

Imperatorem, apud *Eutropium* lib. IX. cap. 9. ex Æn. VI. v. 365.

Eripe me his, invicte, malis.

In ſcholas etiam latinas receptus fuit, teſte *Auguſtino* lib. 1. de *civitate Dei* cap. 3.: plura de eo habent ſcriptores vitæ ejus, *Donatus*, ut creditur, *Ruæus* ac quos paullo ante laudavimus, *Crinitus*, *Voſſius*, *Gyraldus*, *Borrichius*, *Morhoſius*, *Fabricius*: adde *Ch. Cellarium diſſert. acad.* p. 658., & *melanges d'hiſtoire & de litterature par M. de Vigneul-Maruille* tom. I. p. 41. 42. Quamvis Virgilius ſit princeps poëtarum, non defuerunt tamen, qui eum perſtrinxerunt: de Joanne Ciampolo vide *Erythræum pinacoth.* II. n. 19. p. 362.; *Aſconius Pedianus* autem traditur, ſcripſiſſe librum adverſus Virgilii obtrectatores. Ex editionibus Virgilii commendamus editionem cum *Mauri Servii Honorati* commentariis quorum variæ dantur editiones, ex quibus *Roberti Stephani*, & *Petri Danielis* ceteris præſtant: *Aldinas* MDI. MDV. MDXIV. MDXXVII. 8. *Roberti Stephani* MDXL. MDXLIX. 8.; *Paulli Manutii* MDLVIII. 8.; cum ſcholiis *H. Stephani* MDLXXXIII. MDXCIX.; *Jo. Ludovici de la Cerda* fol. Lugd. MDCVIII. MDCXIX. Col. MDCXXVIII. MDCXLVII.; cum ſcholiis *Nic. Erytræi* & indice omnium verborum rerumque Francof. MDLXXXIII. MDCXIII. Hanov. MDCVIII.; *Frid. Taubmanni* Francof. MDCXVIII. 4., qui adidit culicem, & Cirin cum obſervationibus: *Danielis Heinſii* Lugd. Bat. MDCXXXVI. Amſtelod. MDCLII.; *Nicol. Heinſii* MDCLXIV. MDCLXXI. 12. Amſtel. MDCLXXVI. MDCLXVIII. 12.; cum notis *Tanaq. Fabri* Salm. MDCLXXV. 12.; cum notis integris

tegris Servii, Philargyrii, Pierii & ſelectis variorum opera *Jacobi Emmeneſii* Lugd. & Amſtel. MDCLXXX. 8. vol.tribus; in uſum Delphini ſtudio *Caroli Ruævii* Pariſ. MDLXXV. MDCXCII. 4. Londin. MDCLXXXVI. MDCXCV. MDCCVII.8. Amſtel.DCXC. 4.; Cantabrigienſem MDCCI.opera *Henrici Laugtoni*:precipue *Pancr. Maſſèvicii*, cujus editio omnium eſt ſplendidiſſima ac præſtantiſſima. Dictio Virgiiii in bucolicis humilior;in georgicis floridior;in Æneide magnifica : omnes expreſſit virtutes,quæ carmen ornare poſſunt.In legendo Virgilio diſtinguenda eſt lectio publica a privata : in illa propter multitudinem diſcendorum uti fieri debet compendium in diſciplinis;ſic etiam in Virgilio,& aliis poëtis.Eclogæ per brevitatem facile pertractari poſſunt,& ſeligi caſtiores.Georgica ad privatam induſtriam reſerventur,aut majus otium,qui ex his excerpit præſtantiora, non male ſibi conſulit.Æneidos libri plures ſunt, quam ut ſpatium capiat ſcholaſticum : ex his explicentur primus, ſecundus, tertius, quibus Trojanum bellum, & Romanorum origo deſcribitur : quartus & quintus transmitti poſſunt, aut excerpi: ſextus, ſeptimus,octavus,qui Æneæ adpulſum ad Italiam, ſtatum inferorum & initia belli cum Latinis habent,ſunt utiles:reliqui vel præteriri ſecure, vel ad tempus, quod commodius eſt, poſſunt reſervari.

§. V.

Q. Horatius Flaccus natus eſt VI. idus decemb.L. Cotta & L. Torquato coss. Venuſii

Apuliæ : deductus Romam, liberaliter educatus eſt. Athenas miſſus philoſophiæ operam dedit *epiſt.* 2. lib. II. 45., nulli ſectæ addictus fuit *epiſt.* I. lib. I. 13. 19.: ſunt qui Academicum, ſunt qui Epicureum fuiſſe adfirmant; ſequitur interdum Epicureos, nonnunquam Stoicos: erat Mæcenati & Auguſto valde carus; obiit eodem, quo Mæcenas v. c. 746. C. Marcio Cenſorino & C. Aſinio Gallo coſs. anno ætatis LVI. ante Chriſtum VIII. *Quinctilianus* X. I. *Lucilio multo eſt terſior ac purus magis Horatius, lyricorum fere ſolus dignus legi; nam inſurgit aliquando, & plenus eſt jucunditatis, & variis figuris & verbis feliciſſime audax*: adde antiquum auctorem *vitæ Horatii*, quæ ad Svetonium refertur; *Jo. Maſſon*, qui ſcripſit *vitam Horatii* Amſtelod. MDCCVIII., aliosque poëtarum ſcriptores : de philoſophia Horatii conſule *Heinſium* de *ſatir. Horatian.* p. 125., *Jo. Guil. Bergeri* diſp. de *philoſoph. Horat.* MDCCIV. Vitemb., *Rappoltum comment. ad Horatium* p. 27. 36. Ex carminibus ejus ſuperſunt libri V. *carminum*, ſive *odarum*; lib. I. *epod.*; libri V. *ſermonum*, ſeu libri II. *epiſtolarum*, & libri II. *ſatirarum*; item lib. I. de *arte poëtica*. Ex Horatii editionibus uſum præſtant *Aldina* MDI. MDIX. MDXIX. MDXXVII. MDLIX. 8., *Roberti Stephani* Pariſ. MDXLIV. 8., *H. Stephani* 8. MDLXXXVIII. 8. Genev. MDC. 8., *Gryphii* Lugdun. MDXXXV. MDXLII. MDLIX. MDLXVII. 8.; cum commentariis *M. Antonii Mureti*, Venet. apud Aldum jun. MDLVII. 8.; cum commentariis *Dionyſii Lambini* Lugdun. MDLXI. 4. Venet. MDLXVI. 4. apud Paulum Manutium; it. locupletatus Pariſ. MDLXVIII. MDLXXIX fol.,

Fran-

Francof. MDLXXVII. apud Wechel. MDXCVI. 4., Genev. MDCV. 4., Francofurt. MDCXII. 4., Pariſ. MDCV. fol.; cum commentario *Levini Torrentii* ex offic. Plantin. MDCVIII. 4.; cum notis *Danielis Heinſii* ap. Rapheleng. MDCX. 8. MDCXII. 8., addito libro *Heinſii* de *ſatira Horatiana*; it. Lugd. Batav. MDCXXIX. 12. & ſine notis Amſtelod. MDCLXXVI; cum notis *Jani Rutgerſii* Pariſ. MDCXIII. 12.; cum notis variorum ſelectis & integris *Jo. Bondi* cura *Schrevelii* Lugdun. Batav. MDCLIII. MDCLVIII. MDCLXVIII. MDCLXX. 8.; *Tanaquilli Fabri* Salm. MDCLXXI. 12.; *Frid. Rappolti* Lipſ. MDCLXXV. 8. vol. I. II.; in uſum Delphini privato conſilio *Petri Rondelli* Toloſ. MDCLXXXIII. 8., Pariſ. MDCLXXXVI., Lond. MDCXC.; iterum in uſum Delphini auſpiciis regiis cura *Ludovici Deſprezii* Pariſ. MDCXCI. 4., Lond. MDCXCIV.; cum ſcholiis *Eduardi a Zurck* Harlem. MDCXCVII. 8., Lond. MDCCII. 8.; cum lectionibus Venuſinis Jani Rutgerſii opera *Petri Burmanni* Trai. MDCXCIX. 12.; *Cantabrigienſis* MDCXCIX. 4. & MDCCI. 12.; cum ſcholiis veteribus perpetuis ſelectis & *Wilhelmi Baxteri* Lond. MDCCI. 8.; *Richardi Bentleii* MDCCXIII. 4., & Amſtelod. MDCCXIV. 4., & minore forma 8. cura *Thomæ Bentleii*. Dicendi genus Horatii non ſemper æquale eſt; plerumque ſequitur genus mediocre, cujus latinitas licet poëtica ſit, laudem tamen præ ceteris meretur ſtuduit caſtitati, & ſuavitati ſermonis, uti poëſeos ratio permittit. *D. G. Morhofius polyh.* tom. I. lib. III. c. 6. §. 30. dicit: *Horatio nihil hoc in genere præſtantius eſt, qui, ut omnes vitæ rationes in ſatiris ſuis complexus eſt*, *ita floſculos ſuppeditat*,

 qui-

quibus mirum in modum ornare ſermonem noſtrum poſſumus. Ego certe ſatiras ejus omnes memoria mandare velim, tum in vita ipſa, tum in ſermone uſui futuras : elegantiſſima omnia ſunt, dictio nitida, &, ſi numeros tollas, ſermoni ſoluto apta: urbanitas in eo mira, ſales candidi, ex abdito erutæ ſententiæ, argutiæ non coactæ, meræ charites, omni occaſioni aptæ: ſummum in illo viro ingenium fuit, nec immerito Auguſto & Mæcenati in deliciis, cujus genium ſatiricum nemo ex antiquis, nemo e recentioribus ulla imitatione adſecutus eſt; & *Olaus Borrichius conſpect. auct.* p. 29.: *dictio ejus genuina facilitate ſe commendat, & tamen coloribus rhetorum pulcherrime diſtincta cernitur. In lyricis a nemine latinorum vincitur : ſermones ejus, & epiſtolæ ut ſapientiæ monitis & phraſi electa abundant; ita numeris & amabili rotunditate carent: quæ de arte poetica præcipit judicii & prudentiæ pleniſſima ſunt, licet non ubique numeroſa : in Horatio pleraque ſi metro ſolvantur, oratori etiam uſui eſſe poſſunt, reliqui poetæ non æque ſequaces*. Ex illius monimentis præcipue uſui ſcholarum inſerviunt lyrica: reliqua vero, præſertim ſi bonis moribus noxia ſunt, prætermitti conſultum eſt ; hinc *Chr. Cellarius diſſert. academ.* p. 690.: *quasdam tamen odas ejus, quod laſciviores ſunt, conſultum eſt tranſiri; epici autem ejusdem libri, quamquam præſtent argumento, nec careant acumine, tamen quia non ita ſuaves metro ſunt ut lyrici, pro temporis ratione prætermitti poſſunt*.

Ovi-

§. VI.

Ovidio, Virgilio, Horatio addimus *Cajum Silium* Italicum, poëtam conſularem: cur dicatur *Italicus*, de ea re eruditi viri opinionibus ſuis diſcrepant; videatur *Chr. Cellarius diſſertatione* peculiari de *Silio Italico*: optimos quosque imitatus eſt, Ciceronem proſa, Virgilium carmine, nec aliorum etiam præſtantium auctorum lectionem poſthabuit. Anno, quo Nero imperator periit, Conſul factus eſt; Aſiam pro conſule rexit: ſunt, qui ter Conſulem fuiſſe credunt; ſed errorem hunc ex *Martialis* carmine libr. VIII. hauſerunt: annum quintum & ſeptuageſimum exceſſit, nec tum fataliter, ſed inedia vitam finiens. Exſtat poëma ejus heroicum de *Punico bello*, quod ætate provectus ſub Domitiano uſque ad Scipionis Africani triumphum deſcripſit libris XVII. Ex editionibus memorandæ ſunt ſine commentariis † Florent. apud *Philippum Juntā* MDXV. 8., & ex *Aldi* officina MDXXIII. 8. ; cum con-

† *Qui caſtigando Silio, aut notis illuſtrando operam dederunt, primus Domitius Calderinus erat; ſed copioſior Petrus Marſus, quamvis non multa præclara præſtiterit. Franciſcus Aſulanus, qui præfuit Aldinæ editioni, ex veteri codice octoginta verſus libro* VIII. *poſt verſ.* 143. *inſeruit, qui prius vulgatis libris defuerant: ſed quid de iis judicent eruditi, vide apud Nicol. Heinſium ad* VIII. 145. *Hermannus Buſchius, & Ambroſius Nicander argumenta librorum compoſuerunt: omnium meritiſſimus de Silio fuit Franciſcus Modius, quem ſequuti ſunt*

commentariis *Claudii Dausquii* Pariſ. MDCXV. 4., licet ſæpius iniquus in Modium, Heinſiumque; *Danielis Heinſii* Lugd. Bat. MDC. 12., Amſtel. MDCXXVIII. 12.; *Chriſtophori Cellarii* Lipſ. MDCXCV.; ac quæ omnium princeps eſt, *Arnoldi Drakenborch* Traj. ad Rhen. MDCCXVII. *Jul. Cæſar Scaliger hypercrit.* p. 841. de Silio noſtro male judicat: *Silium equidem*, inquit, *poſtremum bonorum poëtarum exiſtimo, quin nec poëtam quidem, non nervos, non numeros, non ſpiritum habet; adeo vero ab omni venere alienus eſt, ut nullus invenuſtior ſit: totus hæret, vacillat, trepidat, ubi audet, cadit*; ſed vere *Chr. Cellarius epiſt. ſelect.* p. 51. ait: *de ipſo auctore non ignoramus, qui durius cenſeant, neque ſpiritu, neque ingenio poëtam referre, frigide ſæpe & cum languore narrare, & quæ alia in ipſo a cenſoribus reprehenduntur. Malumus vero judicium antiquorum, Martialis, & Plinii, & Sidonii ſequi, quam recentium Ariſtarchorum: eſto minorem primis fuiſſe, nec parem ingenioſiſſimis; at laude non minus dignum eſt, quæ ingenio defuere, induſtria penſaſſe, & undique nitorem collegiſſe: preſſe duces ſuos ſequutus eſt, & in his maxime Maronem; unde credo factum eſſe, quod ſæpe imitantibus ſolet, ut dum varios flores collegit, quos operi ſuo inſereret, aliquando illud inæquabile fieret: pluribus tamen locis formoſum ſatis eſt, & ſuis numeris abſolutiſſimum: parcius fingit, propior veritati, qua T. Livium cum primis hiſtoricorum principem, expreſſit; non autem negligens colorum*

ſunt Daniel Heinſius, & Franciſcus Raphelengius.

rum eſt, & digreſſionum, ac ſimilitudinum, & quas alias figuras in deliciis poëtæ habent. Sed hæc de forma, & habitu poëtico: ſtilum qui carpat, non credo facile quemquã fore, quod meliori ille ætate vixit, induſtria clarus & imitatione optimorum, in quo & Plinii & Martialis teſtimonia conſpirant.

§. VII.

Hi carminum auctores ex vetuſtate publico ſcholarum uſui ſufficiant: multi adhuc ſuperſunt, qui & ingenio & carminũ ſuavitate atque elegantia præſtant, quorum lectio privato ſtudio relinquenda eſt, veluti Lucretii, Manilii, Senecæ, Claudiani, Lucani, Auſonii. Nec indignum eſt, in chriſtianis ſcholis non ignorari chriſtianas antiquitates, quo nomine penſa & tempora ita diſtribui poſſunt, ne *Aurelius Prudentius* ab illis excludatur, & libri inprimis καθημερινῶν & περὶ ςεφάνων, qui eccleſiæ veteris fata explicant, in illas recipiantur. Privata lectione evolvantur *Sedulius*; antiquiorum imitator, qui & verba Publii Maronis & contexendi ſuavitatem a ſeculari ad ſacrum argumentum tam ſcite, quam pie adcommodavit: indignum ſane eſt, chriſtianos poëtas adeo negligi, ut ne nomen quidem juventuti ſcholaſticæ ſit cognitum. Nec recentiores plane dimittendi ſunt, ex quibus laude & meritis eminent *Eboanus Heſſus*, *Alciatus*, *Amerbachius*, *Micyllus*, *Scaliger*, *Melanchthon*, *Sabinus*, *Lotichius*, *Buchananus*, *Fabricius*, *Camerarius*, *Siberus*, *Friſchlinus*, *Taubmannus*, *Owenus*, *Hugo*, *Barlæus*, *Hoſſchius*, *Wallius*, *Heinſius*, *Buchnerus*

rus, *Praſchius*, *Morhofius*. Quibus haud copia data eſt ipſa horum poëtarum opera evolvendi, conſulere ſibi poſſunt, quando adeunt *Hier. Freyeri faſciculum poëmatum latinorum ex optimis antiqui & recentioris ævi poëtis collectum*, Hal. Magd. MDCCXIII. 8.

CAPUT XI.

De Lectione Scriptorum Chriſtianorum.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Lectio ſcriptorum Chriſtianorum commendatur §. I.
Diſſeritur de vita, editionibus, ac ſtilo Minucii Felicis §. II.
Lactantii §. III.
Sulpicii Severi §. IV.
Alii commendantur §. V.

Capite ſexto a nobis demonſtratum fuit, quod ſit e commodo & re ſcholarum, ſi & juventuti ſcriptores religionis Chriſtianæ reddantur familiares, iique cum auctoribus paganis conjungantur. Equidem hi antiquioris Eccleſiæ doctores caſtitatem atque elegantiam latinæ linguæ haud curarunt, quorum cura in eo præſertim poſita fuit, ut remoto ſermonis ornatu, libros ſuos floſculis ſacrarum litterarum adornarent, id eſt oratione ſimplici, nec ad leges caſtitatis atque elegantiæ compoſita. *Auguſtin.* lib. II. *contra Creſc.*

c. I. *quanto minus nos laborare debemus de regulis derivandorum nominum, quando ſive hoc, ſive illud dicamus, intelligitur ſine ambiguitate, quod dicimus; quorum non in expolitione ſermonis, ſed in demonſtratione veritatis eſt major intentio*. *Hieronymus*: *unde & leporem artis rhetoricæ contemnentes, & puerilis ac plauſibilis eloquii venuſtatem, ad ſanctarum ſcripturarum gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina eſt, ubi dolorum certa remedia*, &c. Etenim exiſtimabant, oracula Dei Chriſtianis explicanda eſſe vulgari ſermone, quibus elegans, ſuavis, magnifica & more veterum Romanorum compoſita oratio haud conveniret. *Hieronymus epiſt.* LII. *ad Pammachium*: *eccleſiaſtica interpretatio etiamſi habet eloquii venuſtatem, diſſimulare eam debet & fugere, ut non otioſis philoſophorum ſcholis, pauciſque diſcipulis; ſed univerſo loquatur hominum generi*. *Gregorius M. ep. ad Leandr. in comm. lib. Job.*: *unde & ipſam artem loquendi, quam magiſteria diſciplinæ exterioris inſinuant, ſervare deſpexi; nam ſicut quoque hujus epiſtolæ tenor enuntiat, non metaciſmi colliſionem fugio, non barbariſmi confuſionem devito, ſitus motuſque præpoſitionum caſuſque ſervare contemno; quia indignum vehementer exiſtimo, ut verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati*. *Cyprianus præf. ad vitam Cæſarii Arelatenſis*: *unum hoc in præſentis opuſculi devotione a lectoribus petimus, ut ſi caſu aliquo ſimplicitas eloquii noſtri ad eruditorum aures & cenſuram adducatur, non arguant, quod ſtilus noſter videtur pompas verborum & artis grammaticæ le-*

leges negligere; nobis enim actus, verba, & merita tanti viri bona fide narrantibus, lux ſufficit operum ejus & ornamenta virtutum. Eccleſia quoque invexit vocabula, quæ ante tempora Chriſtianorum in Latio inaudita fuerunt, ſaltem alio ſenſu: multa illorum ex græcis ſcripturis veteris & novi teſtamenti deſumta ſunt; alia ad conſuetudinem Eccleſiæ conformata. Attamen ſunt inter illos, quorum dictio caſtitate, elegantia & ſuavitate nitet & commendabilis eſt, quive oſtendunt, frivolam eſſe objectionem vulgarem, theologica non poſſe latine ſatis ac eleganter in medium proferri: omnino ſingula recte ac bene cum aliis per latinam linguam communicari poſſunt, quamvis id ſine adſiduo ſtudio ſummaque induſtria fieri nequeat. Ex his Chriſtianis auctoribus eminent *Minucius Felix*, *L.C.Lactantius*, & *Sulpicius Severinus*, qui latine atque eleganter ſcripſerunt; merito ad lectionem atque imitationem, præſertim in argumentis ſacris commendandi.

§. II.

M.Minucius Felix a gente Minucia, cui plura cognomina, Rufi, Thermi, Fauſti, Macri, Fundini,& in his etiam Felices; quo tempore floruerit, non ſatis conſtat:diſputant, num hic Minucius Felix ætate prior fuerit, an poſterior Cypriano; vide *Franciſci Balduini diſſert. de Minuc. Felice* p.171. edit. *Cellarii*. Ante paganæ ſuperſtitioni addictum fuiſſe, patet cap.1. dial. quum ait: *& quum diſcuſſa caligine de tenebrarum profundo in lucem ſapien-*

pientiæ & veritatis emergerem; adde cap. v. ſect. I. *Hieronymus catalog. ſcriptor. eccleſiaſticorum: Minucius Felix Romæ inſignis cauſſidicus, ſcripſit dialogum Chriſtiani & Ethnici diſputantium, qui Octavius inſcribitur: ſed & alius ſub nomine ejus fertur de fato, vel contra mathematicos, qui quum ſit & ipſe diſerti hominis, non mihi videtur cum ſuperioris libri ſtilo convenire.* Dialogũ ſcripſit de vera & falſa religione: malarum partium vehemens patronus, & bonarum gravis hoſtis eſt Cæcilius Natalis: harum contra vindex, & illarum accuſator acerrimus Octavius Januarius; bonuſque judex atque arbiter eſt Minucius Felix, qui in ipſo dialogo aliquando ſolo prænomine *Marcus* vocatur: vide cap. III. & v. Prodiit Minucius Felix Romæ MDXLIII. per *Fauſtum Sabæum Brixianum*; Baſileæ ex recenſione *Gelenii* MDXLVI. Heidelbeg. MDLX.; *Franciſci Balduini* Rom. MDLXXXIII.; ex caſtigatione *Fulvii Urſini* Baſil. MDCIII.; cum notis *Jo. Wovveri* Hanov. MDCIII., Hamb. MDCXII. fol.; *Geverh. Elmenhorſtii* Pariſ. MDCXIII. 4.; *Deſiderii Heraldi* Pariſ. MDCXLIII. 4. & MDCXLV. cum Firmico: *Nicolai Rigaltii* & MDCLXVI. fol. cum Arnobio, Firmico, & Commodiano: & cum Cypriano de idolorum vanitate, & Woweri Firmico Lugd. Bat. MDCXLV. 12.; cum notis variorum cura *Jo. Oiſelii* Lugd. Batav. MDCLII. 4. MDCLXXII. 8.; cum notis *Chriſtophori Cellarii*, cum libro Cypriani de vanitate idolorum Hala MDCXCIX. 8.; cum notis Nicolai Rigaltii & ſelectis variorum & novis *Joannis Daviſii* animadverſionibus Cantabrig. MDCCVII. 8.; cum integris Wovveri, Elmen-

horſtii, Heraldi & Rigaltii notis & aliorum ex editione *Jac. Gronovii*, cum libro Cypriani de idolorum vanitate, & Firmico de errore profanarum relig. Lugd. Bat. MDCCIX. 8.; ex ſecunda *Jo. Daviſii* recenſione cum notis varior. Cantabr. MDCCXI. 8. Quod ad *ſtilum* Minucii Felicis adtinet, humilis eſt & proprius dialogi; purus tamen, paucis exceptis, quæ latinitatem eccleſiaſticam, raram, & minus caſtam ſapiunt, e. g. *adſtrangulatus* XXX. 2.; *carnales* oculi XXXII. 6., quod verbum etiam *Prudentius apotheoſ.* v. 987. habet, *cautelam* VII. 9., quæ vox eſt jurisprudentiæ peritorum; *dominantur veſtri*, cum genitivo per græciſmum XII. 5. *Tertullianus* pr. de *habitu mulier.* divinam ſententiam Gen. III. transtulit: *ille dominabitur tui*; *impiatum*, imperſonaliter XXV. 6.; *inpræſentiarum* V. 1.; *inrotare* de puerilis ludi genere III. 7.; *intererrare* X. 16., quæ vox etiam apud *Prudentium* extat; *meditantur* paſſive XXV. 12.; *multivira*, pro muliere multorum virorum XXIV. 5.; *notaculum* pro ſigno XXXI. 9.: *runcinatur* XXIII. 9.; *ſolummodo* XXXV. 6., XVIII. 3.; *ſordeſcere mente* XXXVII. 9.; *univira* XXIV. 5. ut de aliis, quæ minus caſta ſunt, taceamus: facile poſſunt reliqua notari atque evitari.

§. III.

L. C. Lactantius Firmianus ortus oppido Firmo, quod ad mare ſuperum in agro Piceno ſitum eſt; adoleſcentulus Arnobium Siccæ in Numidia rhetorem audivit: quando chriſtianis ſacris tinctus, ſola conjectura nititur.

tur. Primus gradus fuit oſtentandę eruditionis Diocletiano imperante, a quo accitus Nicomediam Bithyniæ, rhetoricam ibi docuit: penuria diſcipulorum ob Gręcam videlicet civitatem, ad ſcribendum ſe contulit. Primus fortaſſe liber inter eos, qui ſuperſunt, eſt de *opificio Dei*; poſt quem ſcriptæ ſunt *inſtitutiones*: liber de *ira Dei* inſtitutiones ſecutus eſt: *epitomen inſtitutionum*, & librum de *mortibus perſecutorum* inter illa monimenta alibi retulimus, quæ dubia ſunt, num Lactantio, veluti autori debeant adtribui. In ſenectute extrema Lactantius Criſpum Cæſarem, Conſtantini filium, latinis litteris erudivit: de carminibus, quæ Lactantio adſcribuntur, de phœnice, de paſcha, de paſſione Domini nihil certi dici poteſt. Ex editionibus laudem merentur *Aldina* Venet. MDXV., Florentina MDXIII apud *Junt.*, Antwerpienſis MDXXXIX. MDLV. MDLXX. apud Plantin. cum adnotamentis *Michaël. Thomaſii*; Genevenſ. MDCXIII.; *Servati Gallæi* cum ſelectis variorum commentariis Lugd. Batav. MDCLX.; Oxonienſis MDCLXXXIV. ad fidem MSS., & cum obſ. *Spark*; *Cantabrigienſis* MDCLXXXV.; *Chriſtophori Cellarii* MDCXCVIII. Lipſiæ, quæ Cellarii editio ſufficiat uſui alumnorum, quamvis & criticis fructuoſa eſſe poſſit, quoniam emendata ex ſcriptis libris. Stilus Lactantii eſt purus, perſpicuus, ſuavis atque elegans: modum ſcribendi Ciceronis æmulatus eſt, & in vocum compoſitione tantam ſuavitatem obſervavit, ut oratoris ingenium ſapere videatur. Fatemur ingenue, nos in Lactantii monimentis eam deprehendiſſe latinitatem, ut neminem poſt Ciceronem, Cæſarem, Nepo-

tem eſſe credamus, quem nitore atque elegantia ſermonis ei præferre poſſimus. *Hieronymus epiſt.* XIII. ad Paulin. *Lactantius, quaſi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ*. Quibus de cauſſis magiſtri conſulent rei ſcholaſticæ ſuisque auditoribus, ſi ſedulo Lactantii monimenta explicent; aut commendent privato ſtudio & induſtria evolvenda. Multi legunt, interpretantur, illuſtrant explicando imitandoque paganorum ſcripta, ea quoque, quæ rectis moribus haud ſalubria ſunt; ſed quod pio officio dignum eſt, plane negligunt. Namque e re ſane & pietate Chriſtianorum eſt, ut chriſtianis adoleſcentibus chriſtiani ſcriptores & veteres & elegantes reddantur noti & familiares, ex quibus, puris quippe atque elegantibus, juventus non minus latinitatem, quam ex profanis ſcriptoribus capit: conjungant chriſtianum Ciceronem cum Cicerone pagano, ex cujus lectione uberrima atque ſuaviſſima utilitas cum in pietatem atque culturam animi, tum in bonæ mentis litteras redundabit. Chriſtianorum eſt, veritatem cum pietate, bonas litteras cum piis virtutibus conjungere, quæ & ita conjunctæ ſunt, ut ſine detrimento utriusque ſeparari, aut divelli nequeant. Non neceſſe eſt, plura de Lactantio, ejus vita & ſtilo adiicere, quoniam copioſe de illo diſputavimus in *diatrib. de Lactantio ejusdemque ſtilo*, quæ editioni noſtræ Lactantii Lipſ. MDCCXV. præmiſſa eſt.

§. IV.

Severum Sulpicium quoque ex ſcriptoribus

bus chriſtianis alumnis ſtili atque uſui ſcholarum commendamus. Æqualis fuit Hieronymi, & Rufini: nunc vixit Primuliaci, nunc Elſuone: fuit presbyter,& vir genere ac litteris nobilis. Compoſuit duos libros de *ſacra hiſtoria* ab initio mundi uſque ad conſulatum Stiliconis & Aureliani: ſcripſit & *vitam Martini*, *epiſtolas*,& *dialogos*. Hiſtoriarum libros illuſtrarunt ac ediderunt *Carolus Sigonius* Bon. MDLXI. 8. Hanov. MDCII., & *Petrus Galeſinius* Rom. MDLXIV. fol., *Victor. Giſelinus* Antw. MDLXXIV. 8. apud Plantin., *Jo. Druſius* Arnhem. MDCVII. 8., *Henr. Mercerus* Par. MDXLVII. MDCLXVII. 12., *Georgius Hornius* Lugd. Bat. MDCXLVII. MDCLIV. MDCLXV. 8., *Jo. Vorſtius* Berolin. MDCLXVIII. 12.; *Jo. Caſpar Hofmeiſterus* Tiguri MDCCVIII., *Weinichius* cum notis ad modum Minellii Lipſ. MDCCXL. 12., *Jo. Clericus* cum ſeptem epiſtolis Lipſ. MDCCIX. 8.: epiſtolæ tres, & totidem dialogi in lucem prodierunt ex offic. Ald. MDI. 4. & Pariſ. MDXI. Quod ad ſtilum Severi Sulpicii adtinet, brevis eſt, quo genere imitatur fere Salluſtium, & humilis, item perſpicuus, & ſi pauca exceperis, purus; hinc juventuti lectio illius multum eſt commendanda. *Joſ. Scaliger. epiſt.* CCCV. judicat *Sulpicium dignum, qui vel eo nomine legatur, quod ſupra ſeculi ſui captum locutus ſit latine*; & in *prolegom. de emend. temporum* p. 23. vocat eum *ſcriptorum eccleſiaſticorum puriſſimum*. *C. Barthius* adv. lib. XII. c. 18. ait: *elegantia romani ſermonis vix quiſquam chriſtianus auctor extat præferendus Severo Sulpicio, ut eum legens videatur ſtantis reipublicæ ſenatorem aliquem de divinis rebus diſſerentem audire.*

dire. Interdum poſuit hebraismos, græcismos, & voces eccleſiaſticæ latinitatis, e.g. lib. I. c. I. n. 4. hiſt. habet vocem *ethnicus*; cap. II. n. 5. Enoch dicitur ob *juſtitiam translatus a Deo*; lib. I. c. 14. n. 2. ſignum ponitur pro *miraculo*; I. 15. 3. occurrit nomen adjectivum *eremus*; I. 17. 5. *ſanctificare*; I. 47. 3. II. 3. 9. *propheta*, *prophetia*, & *prophetare*; in vita Martini II. 3. *catechumenus*; n. 4. *monaſterium*; n. 6. *baptiſma*; n. 7. *monachus*, & alia: adde *diſſertat. de Sulpicio Severo Molleri* Altd. MDCLXXXVI., G. J. *Voſſium* II. 12. de *hiſtoricis latin.*, *Tillemontium* tom. XII. *mem. hiſt. eccleſ.*, *Th. Pope-Blount. cenſ.* p. 280.; de ſtilo ejus diſſert. *Chriſtiani Breithauptii* Hal. Magdeb. MDCCXIII., cum qua conferri poteſt index latinitatis, qui editioni Clerici additus eſt.

§. V.

Privato ſtudio adjungi poſſunt quædam Arnobii, Tertulliani, Cypriani, & paganis poëtis præter Prudentium, Sedulium, ille Pontius Paullinus, & Sidonius Apollinaris, qui ſacrato ſtilo ſecularia quoque perſecutus eſt: ac quamvis ex hiſce ſcriptoribus nullum aurum puræ & caſtæ latinitatis poſſit erui; tradunt tamen præcepta honeſte & pie vivendi: lucem quoque præferunt auctoribus claſſicis plenius intelligendis, inprimis quod ad mythologiam, ſeu veterum per verſum deorum cultum adtinet. *Hieronymus* epiſtola III., quæ epitaphium Nepotiani inſcribitur, in laudibus illius Nepotiani, juvenis preſbyteri, hoc præcipue ponit, non tantum divinarum litterarum, ſed

eccleſiaſticarum quoque, Tertulliani ſcilicet, Cypriani, Hilarii, Arnobii, Lactantii, Minucii Felicis, Victorii, & ipſius Hieronymi, adſidua lectione *pectus ſuum bibliothecam Chriſti feciſſe*: præclaram laudem chriſtiani adoleſcentis, præclarum exemplum, quod juvenes noſtri imitentur!

CAPUT XII.

De Lectione Scriptorum Recentiorum.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Lectio ſcriptorum recentiorum commendatur §.I.
Commemorantur latinitate clariſſimi viri, Itali §.II.III.IV.
Luſitani, atque Hiſpani §.V.
Galli §.VI.
Angli §.VII.
Dani §.VIII.
Hungari §.IX.
Belgæ §.X.
Germani §.XI.XII.

Quamvis latinæ linguę cultores præcipue monimenta antiqua evolvere, hincque ipſos fontes adire debeant; minime tamen ab illis ea ſunt negligenda, quæ a recentioribus auctoribus ſcipta ſunt latine atque eleganter: quod cur fieri debeat, ſupra jam declaravimus. Quocirca ſcriptionis noſtræ ratio quoque poſtulat, ut de ſcriptoribus, qui ævo recentiori latinitatis laude clariſſimi exſtiterunt, exponamus, ac qui in illis principes ſunt,

re-

referamus, ut harum litterarum ſtudioſi videant, quænam illorum ſint ſcripta ſtili perpoliendi cauſſa evolvenda ac perlegenda. Equidem magnus horum ingeniorum fuit proventus, quæ recentiori ætate romanarum litterarum ſtudia in majus ac melius promoverunt, atque illorum dignitatem, uti decet, ſuis præclaris meritis vindicarunt: ſed tamen non omnibus idem fuit inſtitutum. Alii excelluerunt in illis ſtudiis, quæ ad grammaticam latinam pertinent: alii egregii fuerunt ſtili purioris, terſi atque elegantis artifices: ſunt quoque, qui operam ſuã præcipue ad philologiæ romanæ myſteria ſcrutanda atque explicanda contulerunt. Hanc ingeniorum ac ſtudiorum diverſitatem ex ipſis libris, quos juris publici fecerunt, videmus atque cognoſcimus, quod haud quodvis ingenium ad quasvis romanæ linguæ partes accurate colendas, ita ut in illis excellat, ſit aptum. Ipſa experientia teſtatur, eſſe genus eruditorum hominum, quod non ſolum de recta ratione, verum etiam de caſtitate, elegantia aliisque virtutibus ſtili egregie atque accurate præcipit; quando autem latine loqui, aut ſcribere debet, ipſum virtutes, quas aliis commendat, haud ſectantur. Teſtantur de hac re multa clarorum virorum exempla: nonne Varro, princeps veterum grammaticorum, aurea ætate natus, æqualis Ciceronis ita ſcripſit, ut tempore Livii Andronici natus videatur? nonne A. Gellius, Capella, Iſidorus, Pompejus multam operam philologię romanæ dederunt, felici interdum muſa atque adplaudente: tamen ſtilus, quem expreſſerunt, ab illa caſtitate, quæ Ciceronis ævo floruit, remotus eſt,

nec Tullii leporem, acumen, dicendi copiam præ ſe habent. Nec noſtro ætatis tractu hujusmodi defuerunt ingenia, quod comprobant exempla Julii Cæſaris Scaligeri, Caſparis Barthii, Thomæ Reineſii, Chriſtiani Daumii, Ger. Jo. Voſſii, Jacobi Gronovii, Caſparis Scioppii aliorumque, qui inſignes exſtiterunt grammatici, critici, philologi, cenſores latinæ linguæ; minus autem felices ſtili romani auctores. Nobis haud propoſitum eſt, ſingulos hoſce viros commemorare atque illorum merita, quibus haſce litteras ornarunt, enarrare, id quod ab argumenti noſtri ratione eſſet alienum; ſed tantum iſtos commendare qui exempla latinitatis ac ſtili nitidi reliquerunt, hocque nomine alumnis horum ſtudiorum, quod imitandum eſt, ante oculos poſuerunt. Intelligimus autem per ſcriptores recentioris ætatis illos, qui poſt renatas litteras, id eſt initium ſeculi quinti & decimi latina oratione, abſterſis barbariei ſordibus nituerunt, atque elegantiæ ſtudiis priſtinam lucem, depulſis tenebris, reddiderunt. Ad horum enarrationem antequam accedimus, iterum latinæ linguæ ſtudioſi monendi ſunt, hiſce ſcriptoribus recentioris ævi non ita inſiſtendum eſſe, ut tempus omne lectionis adripiant, nec quicquam horatum auctoribus antiquis, ex quibus veluti fontibus latinitas pura excipitur, relinquatur: utrumque genus conjugendum eſſe monuimus, ea tamen ratione, ut plus operæ in legendis antiquiorum, quam recentiorum libris conſumere deceat.

Scrip-

§. II.

Scriptores recentiores, qui ſtili cultioris laude clariſſimi ſunt, ſecundum regionum, in quibus vixerunt ac floruerunt, ordinem recenſere animus eſt. Igitur primum nos convertimus ad *Italiam*, quæ poſt adverſorum fatorum vim, tempeſtates & tot ſeculi mala, multa cultiſſima ingenia tulit, quorum ſtudia in romana lingua & ſcriptis & eruditiſſima voce ad priſtinam dignitatem revocanda ac perpolienda collocata fuerunt. Ex illis, qui ſeculum quintum ac decimum, laudibus ſuis ornarunt, commemorandi ſunt.

Angelus Politianus, a monte Politiano, Etruriæ oppido, ſolo natali dictus, alias nominatus Baſſus., quem multa ad meliores litteras repurgandas contuliſſe, nemo niſi omnis hiſtoriæ expers, ignorat. Opera ejus Baſileæ MDLIII. ita inſcripta: *Angeli Politiani opera, quæ quidem exſtitere hactenus, omnia, longe emendatius, quam uſquam antehac expreſſa: quibus acceſſit hiſtoria de conjuratione Pactiana in familiam Medicam elegantiſſime conſcripta; quorum omnium ordinem poſt Politiani elogia invenies, addito una indice memorabilium copioſiſſimo* prodierunt: que heic reperiuntur, commentationes variæ ſunt ac diverſæ, ex quibus præcipue commendantur ſtili cauſſa libri *epiſtolarum*, qui & ſeparatim, Baſileæ quippe MDXXII., deinde Hanoviæ MDCXII., lucem publicam viderunt. Sed tamen de latini ſermonis ratione ac ſcribendi genere, quod ſequutus eſt *Politianus*, ſententiis ac judiciis ſuis eruditi viri diſſentiunt. *Ludovicus Vives* de

tra-

tradendis diſciplinis lib. IX. p. 339. obſervat, *acumine & feſtivitate eſſe amabilem, niſi quod laudis nimia cupiditate ſupra epiſtolæ limites aſſurgat*: adde *Morhofium* de *ratione conſcribendarum epiſtolarum* cap. II. p. 22. Hunc Morhofii librum, qui obſervationibus illuſtravit *Jo. Burchardus Majus* egregie de his epiſtolis ſentit: *ſane elegantes*, inquit, *illæ ſunt, ac eruditæ, multumque ingenii in illis adparet, multum doctrinæ, nec leporis minus: ad hæc ſæpe in emendandis auctoribus, & explicanda hiſtoria ac antiquis ritibus verſantur: tum delectant ſuavitas, aculei, argutiæ, varia eruditio, quæ non ſecus ac veneres quædam hic conſpiciuntur, ut credant quidam, ab eo premi veſtigia veterum, & ereptas elegantias uſui noſtro vindicari: formam Auguſti ævi, quod in dicendo ſcribendoque regula eſt, non ſemper habent; eruditionem tamen variam ſuppeditant, & faciunt ad illuſtrandam atque explicandam antiquitatem*, p. 84. *Eraſmus* in *Ciceroniano* p. 90. fatetur, Angelum Politianum prorſus *angelica fuiſſe mente, rarum naturæ miraculum, ad quodcumque ſcripti genus adplicaret animum: ſed nihil ad phraſin Ciceronis, diverſis virtutibus ſuſpiciendus eſt*. Ipſe Politianus a *Caſpare Scioppio* lib. I. *veriſimiliam* cap. 14. p. 49. adpellatur *vir omni laude major*. Quali autem fuerit animo erga res ſacras ac religionem, itidem conſtat: a nonnullis refertur ad ordinem atheorum, quo ipſi injuriam fieri, alii monuerunt; id tamen certum eſt, eum divinas litteras parvi feciſſe, atque habuiſſe mores profanos: legenda ſunt, quæ hanc in rem collegit atque obſervavit *Jo. Franciſcus*

Bud-

Buddeus in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione* cap. I. p. 143., adde *Philippum Mornæum* de *veritate religionis chriſtianæ* cap. XXVI. pag. 547.

Jo. Antonius Campanus, Epiſcopus Aprutinus, qui lucem adſpexit Cavellis, qui pagus Campaniæ, & diem obiit ſupremum MCCCCLXXVII. Varia ſcripſit, hisque nomini ſuo ſingularem conciliavit celebritatem: compoſuit libros ſex de *vita & rebus geſtis Andreæ Brachii Peruſini*: item *vitam Pii II.* Pontificis Romani aliaque. Nos autem inprimis commemorare debemus ipſius *epiſtolas*, & *poëmata*, quæ recenſuit celeberrimus *Joan. Burchardus Menckenius*, & vitam olim ab editore operum Campani *Michaele Ferno*, Mediolanenſi fuſius deſcriptam, nunc in compendium redactam præmiſit, Lipſ. MDCCVII. Perelegantes ſane ſunt hæ epiſtolæ ſeque multum ſua latinitate, quæ ſatis eſt pura, nativa, perſpicua, commendant; primum iſtæ Lovanii MDXIII. una cum pluribus *Marci Antonii Sabellici* prodierunt; adde de Campano præter *Jovium*, *Baëlium* alioſque hujusmodi ſcriptores, *Ughellum* in *Italia ſacra*, *Gerh. Jo. Voſſium* de *hiſtoricis* p. 583., *Jo. Conradum Zeltnerum* in *centuria correctorum in typographiis eruditorum* p. 101.: opera illius conjunctim edita ſunt ſtudio laudati *Michaelis Ferni*, Romæ MCCCCLXXXXIV.

Poggius bracciolinus, qui & latinæ linguæ nitore ac meritis excelluit, ac quamvis dictio illius non ubique omnibus numeris perfecta ſit, merito tamen hanc ſibi vindicavit laudem, quod romanam eloquentiam tenebris

ſere

ſere oppreſſam ad priſtinam lucem revocaverit, ac ſtudioſe imitatus ſit Ciceronem. Ipſe epiſtola, quæ Dominico Sabino inſcribitur, dicit: *novi vires meas & quam tenues ſint atque imbecilles, in dies magis quum eas experior, cognoſco, quidquid tamen in me eſt, hoc totum acceptum refero Ciceroni*. Jo. Baptiſta Recanatus, qui Venet. MDCCXV. ipſius *hiſtoriam Florentinam* edidit, de ſtilo ejus cap. XI. *vitæ*, quam præmiſit, ita judicat: *ceterum adeo excelluit Poggius nativo latinæ linguæ nitore, mira explicandarum rerum facilitate, & eaquam ſermonis evidentiam vocant, ut & breviſſima oratione multa comprehendat, & copiæ tamen laude non careat*: adde cap. XII. quod continet illuſtrium virorum de Poggio judicia. Opera ejus Argentin. MDXIII., & Baſil. MDXXXVIII. in lucem publicam prodierunt, de quibus legendus eſt *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part. III. p. 319., qui & vitam Poggii breviter recenſet, varioſque de eo ſcriptores memorat:

Jo. Picus Mirandula, qui in philoſophia, theologia, nec in græcis ſolum, ſed hebraicis etiam aliiſque Orientis litteris magnos progreſſus fecerat, conſecutus ſua eruditione meritisque ſingularem nominis celebritatem atque exiſtimationem. Quam egregius fuerit & in latinis ſtudiis, moſtrant ſolæ ipſius *epiſtolæ*, in quibus nitor, caſta ac pura ineſt latinitas: propter quam cauſſam merito præ ceteris commendantur adoleſcentibus iiſque latinæ linguæ alumnis: ſunt iſtæ olim recuſæ Lutetiæ, Venetiis, Baſileæ; ſed quum ubique ita fuerint depravatæ, ut in multis ſententiæ vix capian-

tur atque intelligantur, excitatus *Chriſtophorus Cellarius* tentavit, eas emendare; quas & MDCLXXXII. Cizæ novo habitu indutas, atque adnotationibus brevibus & indice ornatas in publicam emiſit lucem. Quid ipſe *Cellarius*, egregius atque accuratus latinitatis cenſor de hiſce epiſtolis & quo conſcriptæ ſunt, ſtilo ſtatuerit, ex præfatione, quam præmiſit, videmus; ibi enim dicit: *cetera jam miſſa facimus, & ſolas epiſtolas commendamus vere aureas, in quibus tantus lepor, tam caſta & inaffectata latinitas ineſt, ut ad veterum ſcriptorum laudem Mirandula merito ſuo pervenerit; quod ſane mirandum eſt in homine philoſopho, & eo quidem tempore, quo vix ex ſqualore & barbarie latina lingua eluctari atque caput cœperat attollere: ſi qua notari in illis poſſe videntur, ut quoque in veterum ſcriptorum monumentis ſingulis ſolet; in indice, vel adnotationibus noſtris excuſamus, vel defendimus. Daniel Georg. Morhofius* de *ratione conſcribendarum epiſtolarum* cap. 11. fatetur, epiſtolas haſce *non deſtitui flore eloquentiæ purioris latinæ, quorum aliquas tenera ætate ſcriptas, aliquas provectiore refertas rebus myſticis, ut fuerit ille ſui temporis prodigium*. Quæ in illis minus latina notari poſſunt, per rationem illius temporis, quo vix ex ſqualore & barbarie latina lingua caput ſuum extollere cœperat, & per ingenium philoſophicum, quo *Picus* noſter ſimul erat præditus, ſunt excuſanda, præſertim quum in veterum quoque ſcriptorum monimentis ejusmodi rariora occurrant. Vita auctoris hujus litteris conſignata fuit cura *Jo. Franciſci Pici*; utriusque autem ope-

opera conjuncta prodierunt Baſileæ MDCI., quorum capita enarrat *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part. III. p. 202.

Leonhardus Aretinus, cui merito inter ſummos viros, qui bonis litteris priſtinam dignitatem reſtituerunt ac depulſis tenebris barbariei lumen revocarunt, eximius locus debetur. Uſus eſt inſtitutione ac diſciplina Emanuelis Chryſoloræ, ſuoque ſingulari proficiendi ardore in utriuſque linguæ ſtudiis brevi tempore tantos fecit progreſſus, ut Innocentius ſeptimus, Pontifex Romanus eum admodum juvenem dignum judicaverit, quem muneri epiſtolarum magiſtri admoveret: nec ſolum per vitæ ſuæ ſpatium ampliſſimis muneribus, quibus præfuit, ſua dexteritate, fide ac religione præclare ſatisfecit; verum etiam inſignes ingenii ſui vires tam laudabiliter tamque feliciter explicuit, ut per monimenta, quæ fecerit juris publici, bonarum litterarum incrementa multum auxerit: indicem ſcriptorum, quæ poſteritati reliquit, habemus in *Julii Nigri* Ferrarienſis *hiſtoria ſcriptorum Florentinorum*, quæ edita eſt Ferrariæ MDCCXXII. p. 352. Ex his præclaris *Aretini* libris inprimis legendæ ſunt *epiſtolæ*, quæ præmiſſa Poggii Florentini oratione recuſæ ſunt, curante celeberrimo *Jo. Alberto Fabricio* MDCCXXIV.: quoniam non ſolum propter præclara argumenta hiſtoriam illorum temporum, variaque eruditionis ac rei litterariæ capita illuſtrantia; ſed etiam propter dictionis cultum, atque elegantiam magnam dignitatem præ ſe habent. Merita illius multi ſcriptores prædicarunt, qui & in *Julii Nigri hiſtoria ſcriptorum Floren-*

tinorum, cujus paullo ante fecimus mentionem, recenſentur: quæ ibi habentur de Aretino ejusque libris, laudatus quoque *Fabritius* præmiſit editioni *epiſtolarum*. Sunt alii clariſſimi viri, qui ea ætate præclara ſtudia ſua ad priſtinum latinæ linguæ decus reparandum contulerunt, *Valla*, *Perottus*, *Philelphus*, qui meritis ſuis non exiguam compararunt ſibi exiſtimationem: ſed quum inſtitutum noſtrum poſtulat, ut præ ceteris commendemus ac laudemus, in quorum libris dicendi cultus atque elegantia adparet; non eſt, quod de ſingulis, qui latinam linguam inſtaurarunt, exponamus, quoniam conſtat, non omnes eandem facultatem latine ſcribendi fuiſſe conſequutos.

§. III.

Convertimus nos ad latinæ linguæ auctores ac ſtili romani artifices, qui ſeculo ſexto & decimo in Italia clariſſima nomina a ſe dederunt, ſuaque latinitate ad veterum laudem pervenerunt: ad horum ordinem pertinent

Petrus Bembus, qui tanto ſtudio atque amore proſequutus eſt Ciceronem, ut religioni ſibi duxerit, ſcribendo, aut dicendo aliud vocabulum, niſi fuerit Tullianum, adhibere; hinc dictus eſt ſimia Ciceronis: hinc quod ipſe expreſſit, ſcribendi genus alii laudant, alii reprehendunt, hique inprimis adfectatam ejus latinitatem in rebus ſacris caſtigant. *Jo. Caſa*, qui vitam ejus conſcripſit, honorifice de ſtudiis, quibus romanam linguam ac Ciceronis eloquentiam complexus eſt, ſentit eumque lau-

laudat, quod ad verum ſermonis romani genium aliquid ſcribere cœperit, quodve Ciceronianum quid ſtilo expreſſerit : ſed tamen alii iique plures in eo & nimium imitandi ſtudium, & profanum atque iniquum animum erga divinas ac ſacras litteras merito notant. *Juſtus Lipſius* centur. II. *epiſt.* 57. p. 177. ita de ſtilo ejus judicat : *ſtilus eſt, quem reprehendo, ſupinus, languidus, & adfectata imitatiuncula fractus. Ut pueri pedes per delicias male ponunt, & imitari diſcunt: ſic iſte quum recte ſcribere poſſet, maluit pravo elegantiæ ſtudio flectere orationem & enervare. Julius Cæſar Scaliger* latinitate ejus ita offenſus fuit, ut lib. VI. de *re poëtica* dicat : *Bembus nervis fere ſemper deſtituitur; quum Dominum Jeſum heroa vocat, valde me commovit : ſane vox impia & utroque indigna. Thomas Lanſius* in *oratione contra Italiam* p. 782. : *Petrus Bembus*, inquit, *in illa puerili erat hæreſi, ut religio ipſi eſſet, ſcribere, aut dicere aliud, quam a Cicerone ſcriptum, aut dictum;* & poſtquam ipſi exprobrat, quod per adfectatam latinitatem Venetorum Senatum dixerit, *patres conſcriptos*; duces & ducatus, *reges & regna*: reges Perſarum & Turcarum *reges Armeniæ & Thracum*: fidem *perſuaſionem*: excommunicationem *aqua & igni interdictionem*: peccata morituro remittere *deos ſuperos maneſque placare*, addit : *& advertite, auditores, ineptí hominis impietatem cum pari ſtultitia conjunctam. Is ſiquidem* epiſtolas *omnes* Paulli *palam condemnavit, easque deflexo in contumeliam vocabulo* epiſtolaccias *eſt auſus adpellare; cum amico auctor eſſet, ne illas attingeret, vel,*

ſi cœpiſſet legere, de manibus abiiceret, ſi elegantiam ſcribendi & eloquentiam adamaret. Atque, ut ceteram carminum ejus obſcuritatem taceam: quid ejus epiſtolis ineptius, & quidem illis, quas Pontificis maximi nomine, & de rebus maximis ſcripſit, & ad viros maximos? Addimus teſtimonium viri, quum viveret, harum litterarum peritiſſimi *Jo. Andreæ Boſii*, qui de *prudentia & eloquentia civili comparanda* p. 16. obſervat, Bembum ſtilum & elegantiam Ciceronianam nimis ubique adfectaſſe: quo factum ſit, ut ſæpe obſcurus, interdum & frigidus deprehendatur. Quid? quod *Jo. Ludovicus Praſchius* exiſtimat, per nimiam imitationem Ciceronis Bembum ita formaſſe orationem ſuam, ut vere videatur barbara, ac nitore atque elegantia careat, quando in *roſeto ſtili* p. 33. dicit: *ne P. Bembi ſtilum, eum maxime, quo Leonis* X. *Pontificis epiſtolas exaravit, indecore prorſus Ciceronis æmulum, a me laudari putes, nam hoc ipſo, quod aſſimulat Ciceronem, parum abeſt hodie quin barbarus videatur, h. e. inelegans & incivilis.* Id quod quamvis haud adfirmare velimus, Bembum in ſtilo videri barbarum; id tamen minus negandum eſt, quod ſtudium ejus imitandi Ciceronem atque imaginem Tullianæ eloquentiæ exprimendi nimium, immo ineptum fuerit: quo licet id conſecutus ſit, ut omnia Ciceronianis vocabulis ac loquendi formulis dixerit; minus tamen gravitatem, majeſtatem, ſplendorem, ſuavitatem aliasque virtutes, quæ Ciceronis ſtilum exornant, potuit adſequi. Ingenii fetus, quos Bembus excluſit ad incrementum rei litterariæ promovendum, varii ſunt, ex quibus præ ceteris

teris

teris commendantur *hiſtoria Veneta* libr. XII., *epiſtolar. Leonis X. nomine ſcriptarum* lib. XVI., *epiſtol. familiarium* lib. VI., *de imitatione ſermonis*: adde de eo *Danielem Georgium Morhoſium* in *polyhiſt. litterario* lib. I. cap. 23. §. 38., *Caſpar. Sagittarium* de *imitatione Ciceronis* p. 54., *Paullum Manutium præfatione in Virgilium* ad Torquatum Bembum Petri filium p. 566. *epiſtolar.*, *Jo. Sturmium epiſtol.* p. 17. edit. per doctiſſimum *Ackerum*, *Petrum Baelium* in *lexico hiſtoric. critic.* voce *Bembus*, *Jo. Chriſtoph. Wolfium* in *notis ad Caſaubonian.* p. 245., & *Vincentium Paravicinum* in *ſingular. de viris claris* centur. II. p. 74.

Aonius Palearius, vir græce & latine ita doctus, ut merito ei eximius locus inter eruditiſſimos viros eoſque præcipue, qui cultum latinæ linguæ genuinum ac ſolidum inſtaurarunt, debeatur. Sedulo imitatus eſt Ciceronem: meliorem autem imitationis hujus rationem tenuit, quam Bembus, Longolius aliique; hinc & felicior ſtili Tulliani exſtitit artifex, ſibique majorem Romanæ linguæ laudem atque exiſtimationem comparavit. Quocirca *Daniel. Georgius Morhoſius* de *conſcribendarum epiſtolarum ratione* lib. I. cap. I. p. 12. de eo merito hoc laudabile dixit teſtimonium: *vixit circa id tempus etiam Aonius Palearius, cujus editæ ſunt orationes & epiſtolæ, quæ feliciter adeo exprimunt Ciceronem, tum qua dictionem, tum qua numeros, ut dubitem, an præferendus illi aliquis: paucis, quod miror, etiam viris doctis & acerrimis latinitatis cenſoribus cognitus iſte auctor fuit, ſed meretur profecto inter præcipuos numerari*; & *Jo. Clericus* in *arte critica* par. III.

voca-

vocavit eum *virum eloquentiſſimum*. Orationes ejus, item epiſtolæ, & poëmata prodierunt non ſolum Baſileæ, verum etiam MDCXIX. cura *Matthiæ Martinii* Bremæ, & MDCXCVI. Amſtelodami ſumtu Henrici Wetſtenii: quarum editionum copia quum adhuc difficilior ac rarior fuerit, uſui ſcholarum conſulere voluit doctiſſimus *Fridericus Andreas Hallbaver* novamque adornandam ſuſcepit, quam & ſuperiori anno in publicam lucem emiſit, ac diſſertatione præmiſſa de vita, fatis, & meritis Aonii Paleatii auxit; adde *Adrianum Bailletum* tom. IV. *jugem des ſcavans* part. III. p. 290., *Thomam Crenium* in *animadverſionib. philolog. & hiſtoric.* part. II. p. 18., & præfationes editionum Bremenſis & Amſtelodamenſis.

Chriſtophorus Longolius, qui natus eſt Macliniæ, ut ipſe de ſe teſtatur: *ego Macliniæ natus ſum, Macliniæ educatus, germanicæ linguæ & Cæſarum ditionis oppido*; vide vitam *Longolii* epiſtolis ejus præmiſſam, atque ab *Adamo philoſophorum vitis* p. 45. inſertam. Verum quum mallet apud Italos, quam cives ſuos commorari, liceat, eum illis Italis adjungere, qui in formando ſtilo Ciceronem per ſuperſtitioſam æmulationem ſunt ſequuti. Adoleſcens adhuc promiſcuam latinorum ſcriptorum lectionem ſuſcepit, inprimis in libris Plinii volutatus, hincque formam ſcribendi inæqualilem nec puram ſatis contraxit: monitus vero atque incitatus a Petro Bembo unice lectioni atque imitationi Ciceronis ſe addixit, nec ullum alium præter iſtum auctorem per quinque annos evolvit, eo conſilio atque inſtituto, ut genuinam Tullianæ elo-

quen-

quentiæ vim ſibi compararet omnemque ſuam orationem ad Ciceronis formam componeret, cujus Ciceronis tanto amore tantaque admiratione occupatus fuit, ut more ac conſuetudine aliorum ſuperſtitioſorum imitatorum vix a ſe potuerit impetrare, aliis, quam Tullianis verbis uti. Verum quod aliis in hujusmodi nimia æmulatione contigit, id quoque evenit Longolio: expreſſit quidem dicendi formam, quæ Ciceronis verbis ſplendet; Tulliana autem gravitate, ac pulcritudine caret. Atqui hoc eſt, quod peritiſſimi latinitatis cenſores in ſtilo Longolii notant. *Paullus Manutius* lib. 1. *epiſt.* 4. dicit: *obſecro te, Sauli, qui judicio excellis, quid tibi de Chriſtophoro Longolio videtur? equidem, ſi quando, quid de ſcriptis illius exiſtimem, interrogor, ita ſoleo reſpondere, exſilem eſſe in ſententiis, non luculentum in verbis: ut tamen de eo, ſi vitæ contigiſſet uſura diuturnior, bene cenſeam ſperandum fuiſſe; ſed, ut nunc eſt, mea quidam ſententia, nullus eſt. Quid enim adfert exquiſitum, quid ſingulare, quid non vulgatum, non ex quotidiana conſuetudine uſuque ſumtum? at ſcribit interdum & de rebus familiaribus, & ad familiares: quid tum? quaſi non vel in obſcuro argumento poſſit ingenii lumen elucere.* Eraſmus in *Ciceroniano* §. 33.: *nihil eſt igitur, quod iſti Ciceronis ſimii nobis Longolium obiiciant: aliis dotibus ille magnus erat, etiamſi Ciceronianus non fuiſſet; & hæc ipſa vaniſsimi tituli ambitio fructum propemodum ſtudiorum illius corrupit, vitam abrupit: quamquam multum etiam abfuit a Cicerone, cui materia defuit exercendæ mirabilis illius eloquentiæ, quam in ſeriis gravibusque cauſ-*

cauſsis Cicero præſtitit. *Longolius edidit epiſtolas, ſane quam elegantes ac feliciter elaboratas, fateor: ſed multas argumento perquam humili, plures adſectato, quod genus videntur aliquot epiſtolæ Plinii junioris*; & paullo poſt: *primum igitur illa ſimplicitas & gratia ſermonis inaffectati; deinde veritas abeſt in epiſtolis Longolii plerisque: ad hæc quoniam nec eadem fuit fortuna Longolii, quæ Ciceronis, nec eadem negotia; fit, ut interdum inepta ſit ac frigeat imitatio*. Accedat ſententia *Jo. Ludovici Vivis*, quæ legitur extremo libelli de *conſcribendis epiſtolis*: *Chriſtophorus Longolius*, inquit, *nimia cura imitationis bonam naturam corrupit*. *Verba habet Ciceroniana, mira religionis ne, an ſuperſtitionis obſervatione; ſenſus eſt ineptior, propterea quod dictu grandia rebus exiguis aptabat*. *Non enim ſatis illi erat, verba & phraſin Ciceronis miro ſtudio imitari, niſi etiam totum Ciceronem exprimeret, rem illam publicam ſimularet, & curam imperii, quo totus orbis continebatur, privatus ipſe & in angulum ſtudioſi ſeceſſus abditus: in quo tā erat ridiculus, quam ſi gigantis veſtitum induiſſet, & verba ac pronunciationem gigantis effingeret, ut gigas crederetur*. Scripta ejus duplicis ſunt generis: nonnulla confecit adoleſcens adhuc, quum quosvis latinæ linguæ auctores ſine delectu legeret atque imitaretur, hincque in conſcribendis illis de ſtili elegantia atque æquali forma haud ſollicitus fuit, cujusmodi ſunt oratio de *laudibus Plinii*, & alia de *laudibus Gallorum*: *comparatio juris civil. cum re militari: commētarii in jus civile: hiſtor. herbarum: cōmentarii in lib. XI. Plinii*. Alia vero compoſuit Ciceroni

ni imitando addictus,ac Tullianarũ vocũ nimio ac ſervili ſtudio occupatus:qua ratione ab eo ſcriptæ ſunt orationes duæ, & aliquot epiſtolæ.Quæ prius verbis undique accerſitis ediderat opuſcula,ut penitus abolerent, ab amicis ſuis moriturus petiit : adde *Caſpar.Saggittarium* de *imitatione Ciceronis* p.52., *Jo. Burchard. Menckenium* in diſſert. de *viris militia æque ac ſcriptis illuſtribus* p.49., *Jacobum Burchard.* de *latinæ linguæ in Germania fatis* pag.463.

Jacobus Sadoletus, qui a Leone X. Pontifice maximo Carpentoratenſi Epiſcopatui in Gallia præfectus,& ſub Clemente VII.ad dignitatem purpuratorum aſcendit. Scripſit plura, de *pueris recte & liberaliter inſtituendis* : de *laudibus philoſophiæ* : *commentarios in epiſt. Paulli ad Romanos*, lib.XVI.*epiſtol.*, quæ prodierunt Colon. Agrip.MDCXC.Cum Petro Bembo eandem eamque ſervilem Ciceronem imitandi iniit rationem,hancque ob cauſſam eandem eruditorum virorũ cenſuram debuit ſubire; ſed tamen *Eraſmus* l.XXVII.*ep.*3 S.:*commentarios in epiſtolam ad Romanos edidit illud eximium hujus ętatis decus,Jacobus Sadoletus, admirabili ſermonis nitore & copia plane Ciceroniana, nec deeſt affectus Epiſcopo chriſtiano dignus.Fieri non poteſt,quin tale opus a tali viro profectum,bonorum omnium ſuffragiis approbetur; vereor tamen, ne apud complures ipſe phraſeos nitor non nihili haberet aculeos ad pietatem.*

Jo.de Caſa, Florentinus, Archiepiſcopus Beneventanus,qui latina ac etruſca lingua mire excelluit, atque in utraque varia ſcripta com-

compoſuit. Quæ latina ſunt, prodierunt primum Florent. MDCLXIV., deinde Halæ MDCCIX. cum præfatione celeberrimi *Nicolai Hieronymi Gundlingii* ſub inſcriptione : *Jo. Caſæ latina monimenta*. Sunt iſta : *carmina* : *de officiis inter potentiores & tenuiores amicos* : *vita Petri Bembi*: *præfatio in hiſtorias Petri Bembi*: *epiſtola ad Ranutium Farneſium Cardinalem* : *epiſtola ad Petrum Victorium* : *Gaſparis Contareni vita* : *orationes Thucydidis latinæ factæ* : *epiſtola Petri Victorii ad Joannem Caſam*. Inter hæcce monimenta illud præcipue, quo Petri Bembi vita enarratur, dignitate ſua & verborum & ipſarum rerum excellit, ac præ aliis veluti præſtantiſſimum exemplum, quo doctiſſimi viri vita deſcribenda ſit, laudatur : novam horum monimentorum editionem laudatus *Gundlingius* non ſolum præfatione ornavit; verum etiam *Caſæ defenſionem contra Vergerii* calumnias ex *Menagii Anti-Bailleto* adjecit.

Paullus Manutius, vir latinitatis litteris maxime inſtructus; Tullianæ dictionis ſummus admirator & adſiduus imitator, ut ubique adpareat Ciceronianus. Merito fuit in illis, qui primi romanam eloquentiam & caſtitatem latinæ linguæ Italos recte docuerunt : habet in libris ſuis, præcipue epiſtolis dictionem Ciceronianam, puras & caſtas voces, lectiſſimas atque elegantes phraſes; nec quicquam in ſtilo ejus vituperari poteſt, niſi quod interdum ſervili imitationis legi aliquid dederit, hocque gravitatem & vim caracteri, quem expreſſit, abſtulerit. *Marcus Antonius Muretus orat.* XIX. volum. II. de Caſa, & Manutio ita judicat :

cat: *neque immerito commendati ſunt aut is qui pauca quidem ſcripſit, ſed in ſcribendo omnium politiſſimus maximeque limatus, idemque ab omnibus ineptiis remotiſſimus fuit Joannes Caſa; aut vir in ſcribendis epiſtolis latinis ſingulari lepore ac venuſtate præditus, Paullus Manutius: qui tamen quemadmodum illud conſecuti ſunt, ut hæc laus vere ac merito propria Italiæ haberetur, eique ceteræ omnes nationes ſcribendi elegantia facile cederent; ita illud negari non poteſt, multos nævos multaſque maculas, quod bona omnium venia dictum ſit, illorum omnium ſcriptis adſperſas eſſe, quæ planum faciũt, illos vidiſſe quidem, quid optimum eſſet & viam, quæ ad illud ferret, ingreſſos longe proceſſiſſe; ſed longe tamen ab eo, quo intendebant, ſubſtitiſſe.* Conrad. Samuel Schurzfleiſchius in *epiſt. ſelectior.* p. 39.: *Manutium abſit, ut reprehendam, quantus quantus ipſe Ciceronianus eſt: at longe recedit infra* πολιτικώτερον *Mureti ingenium.* *Caſpar Scioppius* notavit eum propter voces ac phraſes quaſdam earumque ſignificationes, quibus ſine auctoritate fuerit uſus, cujuſmodi ſint *ingratitudo*, *ſpeculatio*, *contrarietas*, *damnum pati*, *diſſuadere aliquem ab aliqua re* pro dehortari, *adhibere fidem alicui* pro credere. Plures libros confecit, quibus incrementa elegantiorum litterarum inſigniter auxit: veteres auctores commentariis egregie illuſtravit, ac multa capita antiquitatum Romanarum tradidit. Ex hiſce libris cultioris Romanæ linguæ ſtudioſis præcipue *epiſtolæ* ejus inſerviunt, ac merito commendantur: quamvis enim ſint ſine nervis, gravitate ac vi eloquentiæ Romanæ, atque de rebus domeſticis

tantum exponant, multaſque in ſe contineant adulationes; verbis tamen ſuis ſunt elegantes, atque ubique ſplendet dictio Ciceroniana. *Octavius Ferrarius* in *operibus* tom. 1. p. 435. epiſtolis hiſce magnum ſtatuit pretium; atque exiſtimat, quod in illis, quæ tam elegantes ac puræ ſint, ut muſæ ipſæ latine loqui videantur, poſt Ciceronem, ac Plinium primæ partes Manutio omnium conſenſu deferantur. Atqui tam honorifico teſtimonio dignus eſt Manutius, ubi illud ad ipſius dictionis, quam uſurpat, caſtitatem ac nitorem refertur: at plures aliæ ſunt ſtili romani virtutes, in quibus quod alii Manutio feliciores exſtiterint, ubi adfirmamus, haud a recta ſentiendi norma aberrabimus. Referunt, quod in epiſtola quadam conſcribenda tam ſollicito ſtudio elaboraverit, ut in ſcriptione illius aliquot menſes conſumſerit, quodque inter ſingulas lineas ſpatium aliquot digitorũ fecerit, eo conſilio, ut ſi quid elegantius ſubveniret, ſæpius inſtituta emendatione inſeri poſſet. Manutianis jungi ſolent epiſtolæ Bunelli, quæ & ſeparatim editæ ſunt, latina elegantia multum conſpicuæ.

Marcus Antonius Muretus, Gallus, ingenio & eruditione nulli ætate ſua ſecundus: floruit præcipue romanis litteris; uſus eſt ſtilo non ſolum puro ac nitido, verum etiam gravi omnique doctrina ac prudentia conſpicuo: abſtinuit ſe a ſervili imitandi Ciceronem ſtudio; hinc & multo felicius Ciceronianæ eloquentiæ vim gravitatemque adſecutus eſt. Quocirca epiſtolæ ejus non ſine cauſa Manutianis præferuntur cum propter ſtili excellentiam, tum rerum utilium, de quibus exponunt, argumenta:

ſequi-

ſequitur caracterem copioſum in orationibus, quæ & magis ad Pontificis Romani Curiam ſpectant, quam ad ſtatum noſtrarum rerum publicarum earumque litterariarum. *Janus Nicius Erythræus pinacothec.* p.12.: *quis noſtra ætate ſermonis genere uſus eſt, adeo gravitatis, doctrinæ prudentiæque referto, & in quo præterea omnes verborum, omnes ſententiarum illigentur lepores præter hunc? Quis magis latine, pure, dilucide, ſuaviterque locutus eſt unquam, & quod refert, qui oris preſſu & ſuavitate adpellandarum litterarum ſe magis hujus civem urbis, non peregrinum ſignificaret.* Conrad. Samuel Schurfleiſchius in *epiſt. ſelectorib.* p.39. dicit: *Muretum, cur tibi commendaverim, non leves cauſſas habui: imitatur Ciceronem non ſervili quadam imitandi lege, quæ & vim & decorum aufert ſtilo.* Edidit quoque *varias lectiones*, *poëmata*, *emendationes & commentarios* in veteres auctores, aliosque eruditiſſimos libros: adde *Jacobi Thomaſii* præfationem præmiſſam ipſius *orationibus*, *epiſtolis*, & *poëmatibus*.

Marcus Antonius Majoragius, vir latinis litteris ac Romanæ eloquentiæ vi ætate ſua nulli ſecundus. Extant illius *orationes*, in quibus ſequutus eſt formam ſcribendi, quæ & caſtitate & elegantia maxime ſeſe commendat atque ad laudem ſtili Tulliani accedit: prodierũt iſtæ conjunctim Venetiis MDLXXXII., deinde iterum aliquoties impreſſæ. *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſt. litterar.* lib.VI. c.3. §.1. ei hanc laudem tribuit: *fuit vir ille nitoris in iſta lingua ſtudioſiſſimus, etiam, quum interpretaretur Ariſtotelis libros: lites*

ejus cum Calcagnino, *& Nizolio alibi relatæ ſunt*. *Ad reſtituendam eo felicius eloquentiam latinam, morem declamandi in ſcholis, antiquis temporibus uſitatum, reduxit, magnoque cum adplauſu Mediolanenſium, quam id eſſet utile inſtitutum, exemplis egregiis puerorum demonſtravit*.

Petrus Victorius, qui doctrina elegantiore atque ingenio ita floruit, ut princeps ingeniorum ſui temporis laudetur. Cicero ei multum immo plus debet, quam aliis eruditis viris, qui in perpoliendo atque emendando eo ſtudium tempusque poſuerunt: quorum meritorum laudes enarrat *Jo. Georgius Grævius* in *præfatione epiſtolar. Ciceronis ad familiares*. Bene atque emendate ſcripſit Victorius ſectatus Tullianam latinitatem, ac priſcæ eloquentiæ nitorem. Scripta, quæ edidit, varia ſunt: libri quippe *variarum lectionum*: *annotationes*, *commentarii*, *caſtigationes* in diverſos veteres auctores: *orationes*, & *epiſtolæ*, quæ præ ceteris ſtili romani terſioris cultoribus commendantur: lege de eo *Teiſſerium addit. ad elog. Thuan.* tom. II. p. 14., *Thomam Pope-Blount* in *cenſura celebrior. auctor.* p. 673.

Ubertus Folieta, Genuæ ex illuſtri gente natus, vir ingenii ac bonarum litterarum laude meritiſque clariſſimus: quantam ſibi latine atque ornate ſcribendi facultatem comparaverit, prodidit ingenii ſui monimentis, quæ juris publici fecit, iisque rem litterariam ornavit. Inprimis ad inſtitutum noſtrum ſpectant ejus libri III. de *latinæ linguæ uſu & præſtantia*, quos ſupra, quum de hoc argumento expoſuerimus, laudavimus: iterum iſtos edidit

cele-

celeberrimus *Jo. Laurentius Mosheimius*, notas ſubjecit, diſſertationem de *latina lingua cultura & neceſsitate* cum vita Folietæ præmiſit Hamburg. MDCCXXIII.; enumerat quoque laudatus editor ſcripta Folietæ.

Olympia Fulvia Morata, quæ fuit Fulvii Morati Mantuani, nobilium adoleſcentum magiſtri Ferrarienſis filia, uxor Andreæ Grünthleri, medici Suinfurtenſis, quæ ve anno ætatis XXIX. in academia Heidelbergenſi publice græcas litteras docuit; ſcripta ejus cura *Cœlii Secundi Curionis* prodierunt Baſileæ MDLXX., quæ merito ſtilus purus ac perſpicuus commendat. *Lotichius biblioth. poetica* part. 1. p. 94. de laudibus illius ita canit:

A ſupero nomen deducit Olympia cælo
Femina, quæ multos vincit in arte viros.
Hinc divina canit quod carmina, non ita mirum eſt;
Divinum ſiquidem nomen & omen habet.

vitam ejus habemus in *Melchioris Adami vitis philoſophorum* p. 162.

§. IV.

Quamvis ſuperiore ætate elegantiores, præcipue romanæ litteræ in Italia inſigniter floruerint & per ſumma ac præclariſſima ſtudia virorum, quos debitis laudibus extulimus, aliorumque ſtudio eloquentia latina priſtinam dignitatem recuperaiit: poſt hæc tamen iterum negligi cœperunt; adeo, ut noſtra ætate in Italia pauci inveniantur, qui exemplo atque imitatione majorum latinam linguam ornandam amplectuntur, ac romane atque elegan-

ter ſcribendi facultatem demonſtrant. Ipſe *Octavius Ferrarius* de his triſtioribus politiorum muſarum fatis in Italia conqueſtus eſt, ac quem mente ſua ceperat dolorem, hiſce ſignificavit verbis: *quis inquam bonas litteras aut reſpicit jam, aut non deſpicit? ſed magna pars procerum mavult paraſitos, aut peregrinas belluas aveſque exoticas, & monſtroſos ferarum partus paſcere, quam eruditos: qui domini voluptates inſtruat, qui cenſum ſcitiſſime mergat, ingenti auri pondere redimitur: pſaltriæ, mimi, balatrones, conciliatores, copreæ, ſervum pecus herum obſident, his ille diu, noctuque patet; ſi doctus vir occurrat, tanquam creditorem exhorret, fugit, ſupercilium contrahit, ſtomachatur, & mollibus verbis ad extremum malorum famem compellit*: vide illius *proluſionem de cauſſis pereuntium litterarum*, & adde *Th. Crenium* in *animadverſionib. philologic. & hiſtoricis* part. VIII. p. 186. Sed tamen Italia & noſtra ætate habuit ſuos priſcæ eloquentiæ romanæ ſtatores, quos & adhuc habet: laudem hanc merito tuentur

Octavius Ferrarius, ingenio, doctrina, ac latinis litteris eximius, cujus monimenta, quæ latine conſignavit, non multum a Ciceroniana elegantia ac ſuavitate recedunt, ac per hancce dignitatem omnibus latinitatis juſtis atque æquis cenſoribus multum ſe commendant: proinde a cultoribus ſtili latini, ubi ſtudia ſua ad ſcriptores recentiores conferunt, Ferrarii hujus ſcripta minime negligenda ſunt. Quum viveret, edidit partes quaſdam *operum*, ut vocabat, *variorum*, ſub

qua

qua inſcriptione comprehendebat *proluſiones*, ſive orationes auſpiciis ſtudiorum in academia Patavina præmiſſas; itemque alios ſermones & præfationes, *epiſtolas*, *formulas* a candidatis honorum academicorum recitatas, & *inſcriptiones*. Horum operum variorum editio altera auctior & emendatior prodiit in lucem Patavii. MDCLXVIII.: ſed quum ſcripta hæc ſine juſto ordine eſſent collecta, ac propter penuriam exemplorum difficulter reperirentur, nec quæ prodierat editio omnia in ſe contineret; acceſſit *Jo. Fabricius* ad novam editionem adornandam, quæ ita inſcripta: *opera varia*, *proluſiones*, *epiſtolas*, *formulas ad capienda doctoris inſignia*, *& varias inſcriptiones complectentia*, Volfenbut. MDCCXI. lucem publicam vidit: omnia illa Fabricius ex diverſis auctoris libris collegit, in ordinem redegit, & ſingulari ſtudio emendavit; adjecit quoque apendicem, quæ exhibet vitam Ferrarii, ab ipſomet deſcriptam, ejuſdem epitaphium, eruditorum de eo judicia ac teſtimonia.

Janus Vincentius Gravina, ſingulare Italorum decus, princeps ingeniorum, quæ in gente hac noſtro ævo doctrina, juriſprudentia elegantiore, latini ſermonis ſuavitate floruerunt. Scripta ejus & ubertate copiaque rerum, & elegantia ſtili magnam præ ſe habent dignitatem: edidit *origines juris civilis*, *opuſcula*, quæ cum orationibus quibuſdam non ſolum ſtudio *Jo. Baptiſtæ Ancionii* Amſtelod. MDCXCIII. prodierunt, verum etiam novæ editioni Lipſienſi *originum juris civilis* addita fuerunt. Atqui hæc opuſcula cum ora-

tio-

tionibus præcipue cultoribus latinæ linguæ ejuſque prioris commendamus.

Jacobus Facciolatus, vir ingenio, eruditione multiplici, præcipue elegantiori, inſignis atque egregius ſtili latini terſioris artifex. Quanta eloquentiæ romanæ vi valeat, *orationibus* monſtravit, quarum decem Patavii MDCCXXIII. conjunctim prodierunt, ad grammaticam quippe, ad humanitatem, rhetoricam, philoſophiam, theologiam, ſacram ſcripturam, jurisprudentiam, hiſtoriam, ethicam, mathematicam: acceſſerunt alia quædam opuſcula itidem dictione elegantia; edidit quoque *Turſellini particulas latinæ linguæ*, atque ad ſcholarum ſuarum uſum accommodavit, de qua editione ſupra diximus; itemque obſervationes in *Ciceronis orationem pro Quintio*: novam editionem *orationum* x., quarum paullo ante mentionem fecimus, curavit MDCCXXV. doctiſſimus *Sigiſmundus Jacobus Apinus*; vide de Facciolato *Jo. Fabricium* in *hiſtoria bibliothecæ* part. VI. p. 52. 309.

Paullinus A.S. Joſepho, profeſſor eloquentiæ publicus in archigymnaſio Romanæ Sapientiæ: edidit nonnullas orationes latinas ſeparatim, quas deinde in ſummam redegit ac conjunctim juris publici fecit: novis iiſque elegantibus typis iſtas repetendas curavit MDCCXXVIII. eruditiſſimus *Jo. Erhard. Kappius*, atque doctiſſimum programma adjecit de *cauſſis corruptæ hoc ævo eloquentiæ romanæ*, eo conſilio, ut cultoribus caſtæ ac nitidæ latinitatis ac romanæ eloquentiæ pulcrum exemplum, quod ante oculos haberent ac ſedulo

imi-

imitarentur, commendaret, cujus conſilii & rectam iniit rationem: adparet enim in hiſce orationibus magna eloquentiæ vis, elegans & caſta dictio, ſententiarum ſplendor & gravitas; hiſque virtutibus ad laudem oratorum veterum accedunt, ſuoque auctori merito inſignem inter illos, qui noſtro ævo facundia ſua eloquentiæ litteras ornant, locum vindicant:

Jo. Baptiſta Recanatus, qui latine edidit *Poggii hiſtoriam Florentinam*, Venet. MDCCXV., ac præmiſit vitam Poggii tam eleganter ac latine conſcriptam, ut ex iſta haud obſcure adpareat, ingenium auctoris romanis litteris multum valere.

Sunt ſine dubio in Italia alii eloquentiæ antiquæ romanæ vindices, atque eximii ſtili cultioris artifices, qui ſuo exemplo demonſtrant, quod politiores eæque latinæ muſæ, licet non eo ardore ac ſtudio a tot ingeniis, quo ab illis ſuperiori ævo cultæ fuerunt, adhuc amentur nec penitus proſtratæ ſint atque adflictæ. Poſſemus aliorum Italorum laudes enarrare *Hermol. Barbari*, *L. Jov. Pontani*, *M. Ant. Sabellici*, *Lazari Bonamici*, *M. Ant. Flaminii*, *Seb. Corradi*, *Rom. Amaſæi*, *Q. Marii Corradi*, & plurium aliorum: ſed quum ſtudia ſua magis contulerint ad grammaticam ac philologiam latinam, niſi excipere velis *Marcum Antonium Flaminium*, quam ad cultum ſtili romani, pro ſcriptionis noſtræ modo ac ratione non eſt, quod de iſtis exponamus. At non poſſumus, quin commentationi huic de doctiſſimis Italorum ingeniis, quæ latinitatem ac facundiam mo-

ni-

nimentis ſuis declararunt, finem conſtituamus hiſce *Velleii Paterculi* 1. 17. 6. verbis: *alit æmulatio ingenia, & nunc invidia, nunc admirat o imitationem accendit; naturaque, quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum; difficiliſque in perfecto mora eſt, naturaliterque, quod procedere non poteſt, recedit: & ut primo ad conſequendos, quos priores ducimus, accendimur; ita, ubi aut præteriri, aut æquari eos poſſe deſperavimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit, & quod adſequi non poteſt, ſequi deſinit.*

§. V.

Italos hucuſque laudavimus cultus latini laude clariſſimos, atque illorum exempla propoſuimus, ut animus harum litterarum cupidus caperet, quæ ſibi profutura ſequi poſſet. Convertimus nos ad alias gentes earumque ingenia Romanæ doctrinæ ſtudiis cultiſſima, in quibus quæ *Luſitania*, atque *Hiſpania* genuerit atque aluerit, pro ordinis ratione inprimis videndum eſt. Antiquiori ævo Hiſpania extitit parens ingeniorum doctiſſimorum, de qua laude nemo dubitaverit, qui recordari velit Senecas, Melam, Columellam, Lucanum, Fabium, ut plerique exiſtimant, Martialem aliosque in hac regione natos atque educatos. Noſtra ætate litteræ, quæ elegantia veteri ſeſe commendant, ibi non multos inveniunt, qui de illarum dignitate conſervanda atque incremento promovendo ſint ſolliciti, adeo, ut gens hæc magis antiquis, quam novis iisque priſca romana eloquen-

quentia ac politiore muſa excultis ingeniis clara ſit reputanda. Attamen ſi non noſtra, ſuperiori tamen tempeſtate fuerunt, qui hoc negotium ſibi creditum eſſe putarunt, ut ejecta & profligata barbarie cultum romanarum litterarum revocarent, in aliorum animos ſtudia caſti ſermonis inferrent, atque ipſimet præferrent, quæ ſequerentur, exempla: laudandi ſunt

Emanuel Alvarez, cujus merita, quibus politiores litteras, præcipue grammaticam ornavit, ſupra prædicavimus;

Hieronymus Oſorius, Sylvenſis Epiſcopus, vir eloquentiæ laudibus ornatiſſimus: ſcripſit librum de *nobilitate civili & chriſtiana*, de quo *Aſchamus* lib. II. *epiſtol.* p. 327. ita judicat: *in tractanda hac tam pulcra materia eam eloquentiæ facultatem & vim adhibet, qua nemo poſt illa Auguſti Cæſaris tempora, aut puriore, aut præſtantiore uſus eſt; eſt enim in verbis deligendis tam peritus, in ſententiis concinnandis tam politus, ita proprietate caſtus, ita perſpicuitate illuſtris, ita aptus & verecundus in translatis, ita frequens & felix in contrariis, ſuavis ubique ſine faſtidio, gravis ſemper ſine moleſtia, ſic fluens, ut nunquam redundet, ſic ſonans, ut nunquam perſtrepat, ſic plenus, ut nunquam turgeſcat, ſic omnibus perfectus numeris, ut nec addi ei aliquid, nec demi quidquam mea opinione poſſit: immo tam præſtans artifex eſt, ut nec Italia in Sadoleto, nec Gallia in Longolio, nec Germania in Jo: Sturmio plus, quam nunc Hiſpania in Oſorio gloriari poſſit*; edidit quoque libros de *cæleſti juſtitia*, de quibus *Jo. Metellus* in *epiſtola* ad Aſchamum p. 68. edit. *Ackeri* ait: *vellem, eum moderatius cum hoſtibus*,

ſtibus, quos ſibi delegit, agere, ac potius in philoſophicis argumentis, quam theologicis, quæ ſane ſunt invidioſa, verſari:

Ælius Antonius Nebriſſenſis, qui cultum litterarum ex Italia in patriam retulit, ac bonæ mentis elegantiæque ſtudia ad priſtinæ diſciplinæ leges revocanda curavit. Auctor eſt *dictionarii*, cujus ſupra, ubi lexica a nobis numerata ſunt, fecimus mentionem: adde *acta eruditorum* MDCLXXXIII. p. 225.

Ludovicus Vives, gloria ingenii, eruditionis atque eloquentiæ inſignis, qui multum in barbarie litterarum e ſcholis ejicienda ac diſciplinarum emendatione elaboravit, ac magnum muſis elegantioribus extitit præſidium. Multos compoſuit libros: de *tradendis diſciplinis*: de *conſcribendis epiſtolis*: *commentarios in Auguſtinum de civitate Dei*, qui plane aurei ſunt alioſque: integra opera in duas partes deſcripta prodierunt Baſileæ MDLV. *Michael Neander* part. 1. *orbis terræ* p. 79. ita de eo judicat: *Ludovicus Vives, vir optime de litteris meritus, quantæ doctrinæ & lectionis vir fuerit, docent tum alii ejus libri plurimi; tum etiam commentarii ejus in Auguſtini libros de civitate Dei, quos tum conſcripſit, quum Eraſmus Auguſtini omnium operum emendationem inſtitueret; & de diſciplinis libri* XX. *doctrina, eruditione, ſapientia rara refertiſſimi*. *Jo. Guilielmus Bergerus* in præfatione libri commentarii de *naturali pulcritudine orationis*: *Jo. Ludovicus Vives negotium litteris deditos ad priſtinæ diſciplinæ leges revocandi relictum ſibi eſſe, intellexit, ea quidē re inductus, ut quanta rationem tradendi diſciplinas, tanta corruptas præ-*

terea

terea artes diligentia emendaret ; adde *Thom. Pope-Blount* in *cenſur. celebrior. auctor.* p. 519., *Daniel. Georgium Morhofium in polyhiſtore litterar.* lib. II. c. 2. §. 34., *B. G. Struvium* in præfatione ad Guarini libellum de *ordine docendi & ſtudendi*, *Caroli Arndii ſiſtema litterarium* p. 30.

Franciſcus Sanctius, qui quum *Minervam*, inſigne opus grammaticum conſcripſerit, non mediocrem ingenii atque eruditionis laudem ſibi comparavit. Quid in regulis grammaticorum emendandum ſit, vidit accurate atque eadem diligentia ipſemet emendavit, propter quæ ſtudia ab aliis, qui nihil niſi antiquum probant, excogitator novarum rerum, ſicut ipſe dicit, votatus eſt: laudavimus eum in capite, quo grammaticarum latinarum indicem exhibuimus:

Petrus Jo. Perpinianus, maximus eloquentiæ priſcæ, cultæ latinitatis auctor & vindex, quam ingenii ac doctrinæ laudem tuentur *orationes* ſtudio ejus compoſitæ atque editæ MDCII. & MDCL. Quam egregius latinus ſcriptor fuerit, declarat vir nitidiſſimus *Jo. Nicius Erythræus*, ſive detracta perſona, *Jo. Victorius Roſcius* quando *pinacotheca* III. n. 17. p. 617. dicit: *his alii ſucceſſerunt uſque ad noſtram ætatem; neque unquam Latio latinus ſcriptor egregius aliquis deſuit. ſed tam pauci ex noſtris huic ſtudio operam ſuam dederunt, ſive quia magni laboris res ſit, ſive quia nullus illi honor habeatur, ut in illud, tanquam in poſſeſſionem nudam ac vacuam, exteræ nationes invaſerint; ac fere omnes, qui dediti litteris ſunt, de ea re, quam tractant, copioſe*

eleganterque perſcribant. *Neque quicquam illis deeſſe video præter unum, quod non eſt eorum, urbanitate quadam quaſi colorata oratio: duos tamen excipio oratores externos, Petrum Joannem Perpinianum Hiſpanum, & M. Antonium Muretum Gallum, quorum in orationibus recinit quiddam & reſonat adeo urbanum, ut in Romana civitate nati, non autem in eam aſciti videantur*; & *Jo. Guilielmus Bergerus* in laudata *præſat.* ait: *ut Italis addamus alienigenas, natus erat in Hiſpania Petrus Joannes Perpinianus, Valentinus; ſed idem magna ingenii laude, electæ cujusdam & numeroſæ, qua præditos inveniamus omnino paucos, eloquentiæ gloria cum in aliis Europæ regnis, tum in Italia concelebrabatur*. Sunt alii, quos Hiſpania tulit, itidem laude bonarum litterarum digniſſimi *Jo. Geneſius Sepulveda*, *Antonius Auguſtinus*; ut alios taceamus, qui in patria politiorem humanitatis diſciplinam inſtaurandam ac in majus meliusve promovendam ſtudioſe curarunt, de quibus ſigillatim exponere, brevitatis lex, quam nobis præſcripſimus, haud permittit.

§. VI.

Nunc dicamus *de Gallis* eorumque meritis, quibus latinam linguam ornarunt. Neminem niſi omnis hiſtoriæ atque earum rerum, quæ ad litterarum fata pertinent, plane ignarum fugit, quomodo Gallia ingeniis cultiſſimis omnique ſtudiorum genere floreat, ac litterarum ſcientiarumque augeat ornamentum: extitit parens ac nutrix ſummorum elegantioris

doctrinæ auctorum, de quo nemo dubitaverit, qui velit recordari, quanta laude ac nominis fama Budæus, Bunellus, Turnebus, Scaligeri, Caſaubonus, Salmaſius, Valeſii, Menagius aliique patriam atque ipſa litterarum ſtudia illuſtrarint. Sed tamen quum hi graviſſimi viri ſtudia ſua ad litteras latinas contulerint, illos majori diligentia in re critica ac philologica, quam in perpoliendo atque eleganter ſermonis Romani ſtilo formando elaboraſſe, nemo qui monimenta eorum evolvit, diffitebitur: nihilominus & in illis extiterunt viri doctiſſimi ac meritis hiſce in latinam linguam inprimis clariſſimi, quales ſunt

Petrus Bunellus, cujus extant *epiſtolæ*, quibus nihil cultius, aut politius fingi poſſe, adfirmat *Scævola Sammarthanus* in *elogiis Gallorum* lib. I. p. 57.

Stephanus Doletus, poëta, rhetor, criticus & Lugdunenſis typographus clariſſimus, qui varios libros ad incrementum latinarum litterarum edidit, laudemque doctrinæ atque ingenii haud mediocrem ſibi conciliavit: *commentarios de latina lingua*: *formulas locutionum latinarum*: de *imitatione Ciceronis*, qua commentatione diſputavit contra *Eraſmi Ciceronianum*.

Jacobus Ludovicus Strebæus, qui non ſolum ipſemet ſingulari virtute pure ornateque ſcribendi præditus fuit; verum etiam de eloquentiæ arte ſtudioſe atque accurate præcepit, quam in rem teſtatur opus eruditum de *electione & collocatione verborum*, Baſ. MDXXXIX.: edidit quoque eruditiſſimos commentarios ad Ciceronis libros *rhetoricos*; & labore transfe-

rendi, quem ad quosdam Ariſtotelis libros adtulit, feliciter eſt perfunctus. *Andreas Schottus Tullianarum quæſtion.* lib. I. cap. 17. p. 48. dicit: *quo in genere collocationis compoſitioniſque parentum memoria Jac. Lud. Strebæum, ſeculi ſui Fabium, reliquiſſe commentarium video, quem, qui diuturnam explere ſitim volet, legat*; & *Scævola Sammarthanus* in *elogiis Gallorum* lib. I. p. 42.: *Hic ſupra philoſophiæ ſtudium latina maxime facundia pollens, primus fere inter eos, qui Lutetiæ docebant, inuſitatam atque ad illa tempora turpiſsime neglectam pure ornateque loquendi rationem non induxit modo; ſed edito etiam de electione & oratoria collocatione verborum opere eximio ceteris, quo facilius & commodius eo pervenirent, iter ipſe aperuit atque indicavit:* adde *Cornelium Tollium* de *infelicitate litteratorum* p. 478., & *Joan. Conradum Zeltnerum* in *centur. correctorum in typographiis eruditorum* p. 511.

Adrianus Turnebus, ſingulare ſeculi ſui decus, qui inſignem locum inter criticos ſibi comparavit, poſtquam edidit *adverſaria*, quæ *Thuanus* lib. XXXVIII. p. 714. adpellat *æternitate dignum opus*: ipſimet illud ſupra, quum de Criticis latinis ageremus, jure ſuo ac merito laudavimus. *Marcus Antonius Muretus* lib. II. *epiſt.* 18. ſcribit: *inter omnes Gallos, qui illo ævo litteras tractarint, primas ſine controverſia deferri ad Turnebum*: alia eaque maxime honorifica judicia de Turnebo collegit *Thomas Pope-Blount* in *cenſura celebrior. auctor.* p. 689.

Iſaacus Caſaubonus, meritis ingenii ac doctri-

doctrinæ inſignis, qui præter *exercitation s ad Baronium* eruditiſſimos commentarios in auctores latinos & græcos, in hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, Svetonium, Perſium, Athenæum, Theocritum, Theophraſtum alioſque edidit. Extant quoque illius *epiſtolæ*, ad quas edendas *Jo. Fridericus Gronovius*, & poſtea *Io. Georgius Grævius* ſtudia ſua contulerunt; at in illis haud reperitur Ciceronis dictio, nec elegans compoſitio: multa de eo magnifica judicia leguntur apud *Th. Pope-Blount* in *cenſura celebrior. auctor.* p. 952.; adde *Thomam Crenium* in *animadverſionib. hiſtor. & philolog.* part. v. p. 109.; & *Io. Conradum Zeltnerum* in *centuria correctorum in typographiis eruditorum* p. 106.

Robertus Stephanus, celeberrimus auctor *latinitatis theſauri*, quem ſupra in enarratione lexicorum latinorum laudavimus: legendi ſunt de eo *Paullus Colomeſius* in *Gallia Oriental.* p. 22., & *Th. Pope-Blount* in *cenſur. celebr. auctor.* p. 636.

Henricus Stephanus vario diſciplinarum & græcarum & latinarum genere excellentiſſimus, quam ſingularem eruditionis copiam abunde monimentis ſuis declaravit, poſtquam juris publici fecit *lexicon Ciceronianum: theſaurum græcæ linguæ*; varios veteres auctores, præcipue Græcos recenſuit, ac commentatus eſt de *Lipſii latinitate*: de *latinitate Plauti falſo ſuſpecta*. *Scævola Sammarthanus* in *elogiis Gallorum* lib. IV. p. 242. de eo dicit: *erat in eo viro ſumma ingenii fecunditas; & ſive græce, ſive latine ſcriberet, utriuſque linguæ uſus & facultas omnium paratiſſima; quumque pa-*

ti non poſſet, *in eo Gallos errore diutius verſari*, *ut patrio ſermoni Etruſcum anteponendum crederent*, *nonnulla interdum gallice ſcriptitabat multo ſale reſperſa opuſcula*, *quibus & noſtræ linguæ prædicaret præſtantiam*, *& ſua ipſe in ſcribendo puritate & elegantia comprobaret*. Vitam illius enarrat *Jo. Conradus Zeltnerus* in *centuria correctorum in typographiis eruditorum* p. 515.; addenda eſt Stephani epiſtola de ſuæ *typographiæ ſtatu*, cui index librorum, qui ex officina hac prodierunt, adjectus eſt: ſingulari quoque ſtudio *hiſtoriam Stephanorum* commemorant *Almeloveenius*, & *Maittairius*, quorum libros jam ſupra laudavimus.

Claudius Salmaſius vir eruditæ antiquitatis ſcientiſſimus, qui ſummum inter criticos locum ſibi comparavit; ſed inſignis ejus doctrina cum bonis moribus haud conjuncta fuit, quoniam extitit immodicus ſui æſtimator aliorumque contemtor. Multos ingenii fetus excluſit; commentariis illuſtravit ſcriptores veteres, in quibus *exercitationes Plinianæ* inſigne opus laudantur; varia antiquitatis capita ſuis commentationibus explicavit: magnifica de eo judicia habemus apud *Thom. Pope-Blount* in *cenſur. celebrior. auctorum* p. 1025.; vitam illius deſcripſit *Antonius Clementius*, *epiſtolis Salmaſii* præmiſſam.

Julius Cæſar Scaliger, medicus, criticus, & poeta laude clariſſimus. Multos libros ſcripſit, quibus incrementum latinarum litterarum auxit, de *cauſſis latinæ linguæ*: de *re poetica*: varios auctores commentariis illuſtravit, compoſuitque *orationes* & *epiſtolas*, quarum

rum variæ extant editiones: prodierunt Toloſæ MDCXXI., MDCXXIII. cum orationibus adverſus *Eraſmi Ciceronianum*; item Lugd. Batav. MDCCIV., & Hanov. MDCCIII., cui editioni acceſſerunt *Jo. Thom. Freigii orationes*. Magnifica ſane ſunt judicia, quæ de eo eruditiſſimi viri tulerunt, quum alii eum naturæ miraculum; alii ſummum virum ævi ſui; item incomparabili doctrina præditum virum pronuntiant. Atque ſine controverſia extitit in vario ſcientiarum genere eximius, licet majori artis criticæ, quam ſermonis culti ac vere romani laude fluruerit: legenda eſt *Joſephi Scaligeri* epiſtola de *vetuſtate & ſplendore gentis Scaligeræ*, & *Julii Cæſaris Scaligeri vita* Lugd. Bat. MDXCIV.; adde *Jo. Imperialis muſeum hiſtoricum* p. 63., *Chriſtophori Auguſti Heumanni obſervationes ad Scevolæ Sammarthani elogia Gallorum* lib. 1. p. 53., *Paullum Colomeſium* in *opuſculis* p. 98. 99., *Clarmundum* in *vitis clarorum virorum* part. VII. p. 1., *Jo. Burchardum Menckenium* in diſſert. de *viris militia æque ac ſcriptis illuſtribus* p. 71., *Jacobum Burchardum* in *medico humanitatis ſtudiorum vindice* p. 8., *Th. Pope-Blount* in *cenſura celebr. auctor.* p. 600. *Vincentium Paravicinum* de *ſingularibus eruditorum* p. 85. & 134.

Joſ. Juſtus Scaliger, cujus inprimis *epiſtolæ* a nobis commendandæ ſunt, quæ & ob rerum varietatem & ſtili præſtantiam a multis laudantur, quamvis dictio illarum & periodorum compoſitio ad Tulliani ſtili laudem haud accedant. Continent varia judicia de libris ac viris doctis: explicant multa diffi-

ciliora loca veterum auctorum, aliaque variarum ſcientiarum capita explanant. Diverſæ illarum ſunt editiones: ceteris locupletior eſt Lugdunenſis MDCXXVII., Francofurti autem e bibliotheca Jo. Buntingii prodierunt. Reliquos illius libros, quorum multi ſunt, non eſt, quod recenſeamus: adde Io. *Fabricium* in *hiſtoria bibliothecæ* part. VI. p. 310. 345.

Franciſcus Vavaſſor, qui Pariſiis magna cum laude litteras humaniores ac diviniores docuit, variiſque ingenii monimentis, quanta eruditione valuerit, declaravit, ex quibus præ aliis opus, quod de *ludicra dictione* ſcripſit, commemorandum eſt. Prodiit illud Pariſ. MDCLVIII., & iterum ſeparatim cura ac ſtudio doctiſſimi *Kappii*, quod merito laudat *Colomeſius* in *bibliotheca ſelect.* p. 1. *Jo. Guilielmus Bergerus* in præfatione, quam præmiſit commentario libro de *naturali pulcritudine orationis*, libri hujus atque auctoris eruditi honorificam facit mentionem: *hic mihi, alio properanti manum injicit Franciſcus Vavaſſor, ornatiſſimæ vir eruditionis, qui quum veteribus ita ſtuduerit, ut exemplum ſingularis elegantiæ ſuo prodiderit ævo, vidit, in ſuorum cultu temporum pluſculum, quam multi credant, deſiderari, quumque diſceſſum ſit a priſtini regula judicii, tanto periculoſius, ſua quidem ætate, offendi, quanto callidius dulcibus indulgeatur vitiis: aut ſpecioſis fallacibuſque virtutum nominibus novæ capitaleſque gravis eloquentiæ peſtes involvantur. Proinde nunc* ludicram, *quæ licentius invecta, vulgo percrebuerat*, dictionem *integro profligat ſcitoque libro; nunc in* novum di-

cen-

cendi genus *oratione diſerta invectus*, *veteris propugnationem ſuſcipit*, *quantumque deſcitum ſit a gravitate veterum ac verecundia*, *quam*, *deſerta majorum via*, *& oratio corrumpatur & ipſa mentis integritas*, *oſtendit*. Scripſit quoque librum de *epigrammate* editum MDCLXIX. MDCLXXII., & alium de *vi & uſu quorundam verborum cum ſimplicium*, *tum conjunctorum*: item *orationes*, *poemata*, ut de libris theologicis taceamus, qui ad noſtrum argumentum haud pertinent. Omnia *opera*, theologica, latina ac gallica *Vavaſſoris* conjunctim prodierunt Amſtel. MDCCIX. Extitit hic auctor accuratus ac bonus latinæ dictionis cenſor, floruitque in vario humanioris diſciplinæ genere: quocirca commentationes, quibus has litteras illuſtravit, a cultoribus doctrinæ hujus in magno pretio habentur.

Renatus Rapinus, qui & ſingulari ſtudio inter Gallos elegantiæ litteris exornandis ſeſe addixit, harumque incrementum variis ingenii monimentis, quæ juris publici fecit, multum auxit. Cenſor extitit accuratus poetarum, oratorum ac quos ævum vetus tulit, ſcriptorum: ac quanta induſtria diſciplinarum depravationes cognovit; tanta diligentia rationem iſtas emendandi monſtravit, ac quid diſcendum ſit, accurate præcepit. Hujuſmodi ſtudia contulit ad eloquentiam, quamvis & in nonnullis philoſophiæ diſciplinis eodem conſilio elaboraverit: edidit quoque *comparationem Homeri & Virgilii*: *Demoſthenis & Ciceronis*: *Platonis & Ariſtotelis*: *Thucydidis & Livii*.

Ja-

Jacobus Auguſtus Thuanus, illuſtre Galliæ decus, hiſtoricorum ſui temporis princeps. *Opera hiſtoriarum*, quæ induſtriæ illius debemus, & graviſſimarum rerum ubertate & ſtili elegantia inſignem laudem ſibi compararunt, ita ut propter hanc dignitatem merito aliis, qui ad hiſtorias conſcribendas accedunt, ut exemplum, quod imitari debeant, commendentur. *Caſpar Scioppius* de *ſtilo hiſtorico* p. 138. in ſcribendi genere, quod ſecutus eſt Thuanus, vitia, præcipue novitatem notare voluit: a qua accuſatione alii eum defendunt atque obſervant, quod ex variorum ad ipſum miſſis libellis opus hoc confecerit, horumque auctorum verba retinuerit, quæ ſit cauſſa, cur ſtilus diverſus ac varius adpareat; vide *Thom. Crenium* in *animadverſionib. hiſtoric. & philolog.* part. v. p. 37.: ubique vero magnifica de hoc auctore judicia leguntur, quorum auctores diligenter commemoravit *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part. III. p. 64.

§. VII.

Anglia felix eſt eorum ingeniorum ubertate, quæ ſummis ſtudiis efficiunt, ut elegantiores litteræ ſuum nitorem conſervent atque illuſtriora capiant incrementa. Quantum pretium Britannii monimentis ævi antiqui tribuant, teſtantur illorum editiones, quas accurate emendatas, eleganter adornatas, ac ſplendidis exſcriptas formis ab illis accipimus: quo ſtudio prout multi gentis hujus ſcriptores ætatis priſtinæ ornarunt;

runt; ita nonnulli, quum in pervolutandis hujuſmodi auctoribus ſint verſati, induſtriam ſuam præcipue ad id contulerunt, ut ex illis veterem Latii dictionem atque elegantiam diſcerent atque haberent, quod in ſtilo formando intueri atqne imitari poſſent: laude hac ſtili romani cultioris florent

Thomas Linacer, cujus libros de *emendata ſtructura latini ſermonis* ſupra diligenter commendavimus, quod in ſe contineant eruditas animadverſiones, quæ multa difficiliora latinæ linguæ capita explanant. At non ſolum accurate de latinitate præcepit; verum etiam ſectatus eſt ejuſmodi ſermonis rationem, quæ nitore, perſpicuitate, ac caſtitate laudabilis eſt. *Eraſmus* lib.1. *epiſt.* 16.: *Thomæ Linacri lucubrationes ex officina Badiana propediem exituras, dici non poteſt, quam gaudeam: nihil ab eo viro exſpecto non abſolutiſſimum omnibus numeris*; adde *Petrum Daniel. Huetium* de *claris interpretibus* p.255.

Thomas Morus, in quo fuit acutum ingenium, grave judicium, ac multiplex variarum ſcientiarum cognitio. Studii ſui, quod litteris conſecravit, partes quaſdam ad muſas romanas retulit, quarum non mediocriter extitit peritus: vita illius, quæ Londini MDCLXII. prodiit, præmiſſa quoque eſt *operibus* illius Francof. MDCLXXXIX.; adde *Antonium A Wood Athenarum Oxonienſium* tom. II. p.355., *Io. Chriſtophor. Wolfium* de *carcere eruditorum muſeo* p.36.

Roger. Aſchamus, qui ſcripſit *epiſtolas* ſti-

li

li laude eximias. *Daniel Georgius Morhofius polyhiſtore litterar.* lib.1. c.23. §.62. dicit: *pæne unus ex gente Anglica eſt, cujus ſtilus veterem latinitatem ſapit*. Brandiſbæus ſcribit ad Aſchamum, quod Nannius virtutes ejus ita laudaverit: *dici non poteſt, quantopere laudarit in te tuiſque ſcriptis civilitatem, modeſtiam, humanitatem, & charites tuas inenarrabiles, & tantam ſanitatem in ſententiis, tantam elegantiam in verbis, tantam concinnitatem in rebus contexendis, tantam lucem in omnibus, nihil non in te exquiſitum; ſed tamen nihil adfectatum*: vide p.8. *epiſtolar. Sturm.* edit. a doctiſſimo *Ackero*. Ipſe Sturmius, qui cum Aſchamo ſingularem coluit amicitiam, dicto loco p.25. dicit: *Aſchamus eſt excellenti doctrina, ingenio miti, manſueto, tranquillo, omnium amans, nulli inimicus*. Hiſce adjungimus, quem Scotia aluit, *Georgium Buchananum*, ſingulare bonarum litterarum decus, atque inſignem poetam.

§. VIII.

Ex *Danis* eloquentiæ romanæ ac politioris ſtili laude florent:

Olaus Borrichius, qui non ſolum optimus cenſor ac judex latinitatis extitit ac caſtitatem linguæ hujus admirandum in modum vindicavit commendavitque, quam in rem elegantes illius libri, quos inſcripſit *cogitationes de variis latinæ linguæ ætatibus: analecta ad cogitationes*: diſſertatio de *ſtudio latinitatis puræ*, teſtantur; verum etiam ipſemet egregius priſtini ſermonis fuit artifex.

Quo-

Quocirca *Severinus Lintrupius* in præfatione, quam ipſius *diſſertationibus* præmiſit, merito hocce teſtimonium honorificum ei tribuit: *de ipſa autem maſcula ſcribendi forma, ſingulari eloquentiæ latialis facultate Borrichiana, deque univerſis adeo viri ſummi in humaniores litteras & charites romanas meritis, quibus nobilem inter præcipuos Latii ſtatores, atque irruentis barbariei averruncos locum, Voſſiis, Scioppiis aliisque primæ caveæ litteratoribus proximum ex merito obtinuit; eo minus neceſſum arbitrabimur, prolixas hic ducere lineas, quo illa quidem omnia diſertius ac Stentore quovis clamoſius, nobis etiam tacentibus, loquuntur circumvolitantia orbem amuſſitata felicis ingenii pignora, incredibili litteratorum procerum plauſu excepta.* Ex monimentis illius, quibus ſingulare nominis decus ſibi comparavit, purioris latinæ linguæ cultoribus, ut exemplum ad imitationem propoſitum habeant, præ aliis commendamus *diſſertationes, ſeu orationes academicas ſelectioris argumenti in duos tomos tributas*, atque editas cura laudati *Lintrupii*, Hafn. MDCCXV.; & *conſpectum præſtantiorum ſcriptorum latinæ linguæ in gratiam juventutis academicæ compendio repræſentatum*, cujus editio nova lucem vidit Hafniæ MDCCV. Vita hujus Borrichii præmiſſa eſt illius *conſpectui chemicorum ſcriptorum*, atque inſerta *vitis ſelectis* p.276., quæ Uratislau. MDCCXI. cura *Chriſtiani Gryphii* prodierunt: adde *Clarmundum* in *vitis clariſſimorum virorum* part. V. num. 9., *Jo. Mollerum* in *hypomnem. ad Bartholini de ſcriptis Danorum librum* p 353., *Paullum Vindingium* in *oratione funebri* to. I.

 diſ-

diſſertat., quas laudavimus præmiſſa, *Roſtgaardum* in *deliciis poëtarum Danorum* par.II. p.371., *Severinum Lintrupium* in præfatione *diſſertationum Borrichii*, & *Jacobum Burckhardum* in *medico humanitatis ſtudiorum vindico* pag.26.

Andreas Borrichius, cujus merita, quibus latinam linguam ejuſdemque caſtitatem ornavit, itidem præclara ſunt. Edidit *appendicem ad Cellarii curas poſteriores*, & *vindicias purioris latinitatis*, quibus acceſſit commentatio de variis latinæ linguæ præſtantiorumque ſcriptorum ætatibus & fatis, quos libros ſupra laudavimus. Alia præſtantiſſima ac litteris latinis cultiſſima ingenia tulit Dania, quæ in ſcriptis ſuis eximio ſtudio conſectata ſunt vim ac gravitatem eloquentiæ romanæ, qua laude clariſſimi adhuc ſunt

Caſpar Eraſmus Brochmannus, de quo ipſe *Olaus Borrichius* in *cogitationibus de variis latinæ linguæ ætatibus* p.231. teſtatur, ſe haud ſcire, *an eo quidquam vel ſanctius, vel diſertius & in latina lingua politius viderit Septentrio*:

Vitus Beringius, qui egregius fuit orator, poëta, atque hiſtoricus, cujus carmina extant in *deliciis quorundam poëtarum Danorum* collectis a *Friderico Roſtgaardo* Lugd. Bat. MDCXCIII.

Paullus Vindingius, in quo & magna vis eloquentiæ romanæ fuit, quam & orationibus magna cum laude declaravit. Alia cultiſſima Danorum ingenia, quæ latinitatis litteris multum præſtiterunt, recenſet ac laudat clariſſimus *Albertus Thura* in *idea hiſtoriæ litterariæ Danorum* p.312. ſeq.

§. IX.

Nec in *Hungaria* deſuerunt, qui ad latinæ linguæ ſtudia acceſſerunt, ejusque incrementum promovendum ſunt complexi: in hiſce laude eminent præ aliis.

Joannes Sambucus, medicus doctus, venuſtus poëta, atque excellens hiſtoricus; cujus eruditioni, quam ſibi ex peregrinatione viginti annorum comparaverat, Imperatores Maximilianus ſecundus, & Rudolphus II. tantum pretium ſtatuerunt, ut eum dignitate conſiliarii atque hiſtorici ornarent. Extant varia ingenii monimenta, *poëmata, orationes, methodus conſcribendi epiſtolas*, commentatio de *imitatione* & alia: vide *Joannem Fabricium* in *hiſtoria bibliothecæ* par. III. p. 465.

Andreas Dudithius, qui Ciceronem manu ſua ter deſcripſiſſe traditur. quanta fuerit eruditione ac fama, declarant tot eruditorum virorum honorifica de eo judicia. *Thuanus* adpellat eum lib. XXXII. *admirabili virum ingenio ac doctrina*; lib. LXI. *litteris inſigniter excultum*; lib. IX. autem *illuſtre nomen in litteris & ob legationes ab eo obitas*; ac libr. LVI. *raram in ſcribendo loquendoque facultatem* ei tribuit. A *Juſto Lipſio* centur. I. *epiſtol.* 75. vocatur *vir magnus*, *altus & de quo illud poſſit* πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔχνος; & centur. II. *epiſt.* 78. vir *magnus & ſapiens*: judicia hæc collegit *Jo. Andreas Boſius* in præfatione præmiſſa de *ſignificatu cometarum diſſertationibus & judiciis doctorum virorum*, Jenæ MDCLXV. In Concilio Tridentino Dudithius fuit orator variasque recitavit orationes; quas cum aliis illius opuſculis MDCX.

 edi-

edidit *Quirinus Reuterus*, profeſſor Heidelbergenſis, qui & vitam ejus præfixit: varios ſcriptores græcos latine reddidit; adde *Thom. Crenium* in *animadverſionib. philolog. & hiſtoricis* part. II. p.138., *obſervationes Halenſes* tomo V. obſervat.II.p.346., ubi copioſe diſſeritur de hoc Dudithio; *Czuittingerum* in *Hungaria litterata*: ſcripta illius ſtudioſe recenſet *Chriſtophorus Sandius* in *bibliotheca Antitrinitariorum* p.62. ſeqq.

X.

Convertimus nos ad illa ingenia laudanda, quibus nitet *Belgium*, veteris diſciplinæ beniguiſſima altrix omniumque artium, quæ elegantia atque humanitate ſeſe commendant, nutrix ſplendore ac laude tam clariſſima, ut quæ alia gens jure quodam illi ſit præferenda, vix definiri queat. In his muſarum elegantiorum ſtudiis cultiſſimi viri, quos Belgium tulit, præcipue extiterunt ſummi latinitatis caſtæ vindices, atque egregii ſtili romani nitidioris artifices. Nimis longum eſſet, ſi quos vis, quibus hæc laus tribuenda eſt, vellemus recenſere: quocirca quosdam tantum commemorare ac commendare, nobis eſt propoſitum; igitur laudandi ſunt

Eraſmus Roterodamus, qui præſtantiſſimo ingenio ac multarum ſcientiarum doctrina abundavit, iſtamque tot monimentis, quorum magnum eſt decus, declaravit. Scripta illius conjunctim prodierunt in X. tomos diſtincta Lugd.Batav.ab anno MDCCIII. uſque ad MDCCVI. curante *Jo. Clerico*, qui ſingulis tomis præ-

præfationes præmiſit. Quæ tomo primo præfixa ſunt, laudant Eraſmi eruditionem, quod præſtitit *Clericus* in ſua præfatione: exhibent aliorum judicia de Eraſmo: deſcriptiones vitæ illius: indicem librorum, quos ſcripſit atque edidit. Recenſentur hæc opera in diverſis eruditorum ephemeridibus, præcipue a *Jo. Fabricio* in *hiſtoria bibliothecæ* par. 1. p. 359. ſeqq., qui doctas de variis Eraſmi libris animadverſiones adjecit. Quod ad ſtilum Eraſmi adtinet, ad laudem quidem dictionis Tullianæ haud accedit, nec ea caſtitate atque elegantia, quæ optimorum veteris Latii auctorum monimenta ornat, conſpicuus eſt; attamen nativam quamdam pulcritudinem ac venuſtatem, quæ ſingulare ingenii acumen declarat, præ ſe habet animoſque lectorum delectat. *Jo. Sturmius* de *exercitationibus rhetoricis* p. 5. dicit: *Eraſmus Roterodamus copia & varietate contentus Italorum ſpernebat in ſcribendo ſollicitudinem*; quæ ſententia ſine controverſia ſpectat ad Eraſmi *Ciceronianum*, quo ſuperſtitioſos Ciceronis imitatores perſtrinxit: ipſum autem Ciceronem ejusque eloquentiam licet non in juventute, attamen in ſenectute magnifecit, quod patet ex *proœmio in Tuſculanas quæſtiones Ciceronis: mihi puero*, inquit, *minus arridebat Cicero, quam Seneca; jamque natus eram annos viginti, priusquam ferrem diutinam ejus lectionem, quum ceteri pæne omnes placerent: an ætatis progreſſu profecerim, neſcio: certe nunquam mihi magis placuit Cicero tum, quum adamarem illa ſtudia, quam nunc placuit ſeni; non tantum ob divinam quamdam orationis felicitatem; verum etiam* ob

ob pectoris eruditi ſanctimoniam: profecto meum afflavit animum, meque mihi reddidit meliorem. Itaque non dubitem, hortari juventutem, ut in hujus libris evolvendis, atque etiam ediſcendis bonas horas collocent potius, quam in rixoſis ac pugnacibus libellis, quibus nunc undique ſcatent omnia. Me vero, tametſi jam vergente ætate, nec pudebit, nec pigebit cum meo Cicerone redire in gratiam, priſtinamque familiaritatem, nimium multis annis intermiſſam renovare. Ad hæc verba provocat *Andreas Schottus* lib. II. *Tullianarum quæſtionum* p. 193., atque ex illis probare inſtituit, quod Eraſmus ſenex a *Ciceroniano* ſuo multum diſcrepet: ſed teſtimonium hoc id tantum confirmare videtur, quod Eraſmus in ſenectute cum ipſo Cicerone redierit in gratiam; num autem ſervilem imitandi rationem, quam ſequebantur Ciceroniani, tum probaverit, hocque modo a priori ſententia, quam in Ciceroniano declaraverat, diſceſſerit, ex eo haud demonſtrandum eſſe arbitramur: verum de hoc argumento plura dicemus, quando infra doctrina de imitatione a nobis erit explananda. Igitur tantum judicium *Danielis Georgii Morhofii* in *polyhiſtore litterario* lib. 1. cap. 23. §. 44. de ſtilo Eraſmi, qui præcipue in epiſtolis ejus adparet, addimus: *Eraſmi epiſtolis nihil eſt ſuavius & acutius: latinitas in illis non mala, non quidem talis, quam ad imitandum aliquis proponere ſibi debeat; ſed nativa, extemporalis, & interdum aliquem ex rebus colorem trahens, quod accidit interdum ſcriptoribus doctiſſimis Grotio, Salmaſio ac aliis; illi enim auctores, prout res ſunt, quas tractant, prout in auctores ſcribunt, a*

que-

quorum lectione recentiores diſcedunt, ſtilum ſuum formare ſolent : adde de Eraſmo præter jam laudatos auctores *Thomam Pope-Blount* in *cenſura celebrior. auctor.* pag. 526., *Jo. Conradum Zeltnerum* in *centuria correctorum in typographiis eruditorum* p. 164., *Th. J. ab Almeloveen* in *amænitatibus theologico-philologicis* p. 38. ſeqq., ubi multa diſputantur, num Eraſmus fuerit Gaudanus, an Roterodamus, item de epiſtolis ejus ineditis, qui & defenditur a calumniatorum accuſationibus.

Juſtus Lipſius, litteris atque ingenio ſummus vir, qui omnis eruditæ antiquitatis adyta recluſit, variarumque doctrinarum copiam ex illius receſſu deprompſit atque in monimentis ſuis præclare explicavit. Prodierunt iſta conjunctim Veſaliæ MDCLXXV.; antea autem, licet non tanto numero edita fuerant Antwerp. MDLXXXV., MDCXXXVII., & Lugduni Batav. MDXCV. De latinitate, & ſtilo Lipſii judicia eruditorum ſunt diverſa; alii laudant illius orationem, ex quibus nominamus *Fridericum Taubmannum*, qui in diſſertatione de *latina lingua* p. 45. dicit: *ipſam quidem Lipſii orationem quod adtinet, nemo, opinor, qui in auctoribus majorum gentium paullo majore cum fide & judicio verſatus eſt, negabit, eam qua verbis, qua phraſi ita ſeorſim conſiderata, eſſe pro argumento propriam & ſelectam, & cujus fortaſſe neminem vel ab ipſo ævo Cæſaris pæniteat. Dicant & judicent ſine livore, qui latine modice intelligunt & vel mediocriter in auctoribus verſati ſunt: conſcientia ipſos convincet, Lipſii ſtilum aliquid habere vividum, aluore, eruditum, & quod ſæpius repetitum placeat.* Alii reprehendunt

Lipſii

Lipſii ſtilum, ex quibus *Daniel Heinſius orat.* II. p. 40. ita judicat : *nam quum liberales diſciplinæ, & earum candidati ducem ſuum Juſtum Lipſium ſuaviſſimæ in illo quidem, ſed inimitabilis & ut ipſe judicabat, ne tentandæ quidem aliis, eloquentiæ virum amiſiſſent; pleraque juventus autem æmulatione viri clariſſimi abrepta, etiam præceptore ſuo, cujus ſcripta adumbrare, quam monenti recte cedere malebat, deſtituta, quæ feliciter exprimere non poterat, ſtulte tamen ſequi optaret, magnum in diſcrimen litteraria res venerat. Si quis ſcribere latine velit, a Pacuvio & Ennio demortua accerſebantur verba, ſaltitabant periodi, macra, jejuna ac famelica oratio ſucco omni, nervis deſtituta omnibus & copia, punctulis quibusdam & allaſiunculis, aut membris interim præciſis & interrogatiunculis abrepta nauſeam faſtidiumque ſui pariebat : hiſtriones ſcenicos dixiſſes, aut ad inſtar Telephi Euripidei, non mendicos modo, ſed & claudos, qui chorago intus rem gerente, ſi ſpectatores cum tibicine oblectarent, & dum maximo conatu aliquando exilire conarentur, cum majore ſpectatorum voluptate, quam applauſu caderent, non irent.* Plures ſunt eruditorum inter ſe diverſæ ſententiæ de Lipſii ſtilo, quas omnes non eſt, quod recenſeamus : nos aliter de ipſo ſtilo, aliter de latinitate ac dictione, quam Lipſius in oratione adhibuit, judicandum eſſe putamus. Stilus non ubique æqualis eſt : quamvis enim in plerisque monimentis ſecutus fuerit ſcribendi genus breve, conciſum, verbis inops, argutum, ſententioſum ; in nonnullis tamen hanc orationis formam deſeruit, atque uſus eſt ſtilo facili, profluenti, perſpi-

cuo,

cuo,aptaque atque eleganti compoſitione laudabili. Atqui hac dignitate nitent ſeque commendant *orationes octo*, quas clariſſimus *Io. Heinricus Kromayerus* recenſuit, atque adnotationibus doctaque præfatione ornavit Jenæ MDCCXXVI. In latinitate, ac dictione non ſemper caſtitatem romanæ linguæ cuſtodivit: habet voces formaſque loquendi auctoritate deſtitutas, hocque nomine a purioris ſtili cultoribus minime imitandas. Varia in dictione Lipſiana notavit *Caſpar Scioppius* de *ſtili hiſtorici virtutibus ac vitiis* p.237., quibus nonnulla *Georgius Paſchius* de *inventis nov-antiquis* cap.II. p.130. recenſuit: contra hanc latinitatem edidit quoque *Heinricus Stephanus* librum hac inſcriptione *de Lipſii latinitate (ut ipſimet antiquarii antiquarium Lipſii ſtilum indigitant) palæſtra* I. *Henr. Stephani*, *Pariſienſis*; *nec Lipſiomimi*, *nec Lipſiomomi*, *nec Lipſiocolacis*, *multoque minus Lipſiomaſtigis*.

Libertas volo ſit latinitati,
Sed licentia nolo detur illi.

Hic multa non vulgaria vulgi litteratorum linguis de latinitate illa antiquaria tantum non digladiantibus opponuntur.

Moleſtia hujus litis eſt ſermonibus
Implicita multis, auferunt qui tædium,
Et liticulas tibi ad alias qui conferunt,

Francof. MDXCV.: adde *Daniel.Georgium Morhofium* in *polyhiſtore litterar*. lib.I. cap. 24. §.63., *Thom. Pope-Blount* in *cenſura celebrior. auctor*. p.840., *Jacobum Burckardum* in commentar. de *latinæ linguæ in Germania fatis* cap.7. p.721.

Adria-

Adrianus Junius, qui fuit medicus, poeta, & hiſtoricus excellens, ſibique muſarum elegantiorum dignitatem amplificandam habuit commendatam. Quanto amore elegantiæ litteras ac vetuſtæ eruditionis auctores ſit complexus, ipſe in præfatione *animadverſor.* fatetur ac declarat, ſe *antiquius nihil unquam habuiſſe, quam ita comparare ſtudia, ut vetuſtorum ac præſertim claſſicorum auctorũ, ſcriptorum lectione animi penum inſtrueret, & communia inde ſtudia pro viribus adjuvare contenderet*: addit illos multum errare, *qui poſthabita meliorum auctorum lectione, ad barbara modo lucroſa nomina animum toti adiiciant, majore* (*uti ſibi perſuadeant*) *compendio, quæ ad farinam faciunt quærentes, ac facultatum quomodocunque partarum cumulum eruditionis pabulo animique ſaginæ præferentes*: vita *epiſtolis* ejus Dordrecht MDLII. præmiſſa eſt.

Daniel Heinſius, magnum ſeculi ſui decus, inſignis philologus ac criticus; antiquitatis ac linguarum maxime peritus, qui litteras & ſacras & humaniores inſigniter ornavit, poſtquam auctores veteres recenſuit atque emendavit: floruit quoque eloquentiæ laude, cujus preclara documenta dedit in *orationibus*, quæ cura *Nicolai Heinſii* Lugd. Batav. MDCLVII. prodierunt, in quibus ſtilus elegans eſt & comtus; quamvis interdum magis ad Plinii, quam ad Ciceronis formam accedere videatur; at propter vim ac majeſtatem elegantiamque dictionis, quæ in illo adparet, ad ornanda atque augenda eloquentiæ ſtudia commendandæ ſunt hæ orationes.

Ni-

Nicolaus Heinſius, Danielis filius, patris exemplum ſecutus eſt, ſuiſque in rem litterariam meritis magnam laudem ſibi comparavit: inerat in eo inſignis facultas carminis pangendi; recenſuit varios veteres auctores, ac poetas præcipue adnotationibus ſuis inſtruxit atque illuſtravit: varia de eo eruditorum virorum judicia collegit *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part.III. p.464.

Hugo Grotius, ingenio, litteris atque eruditione ſummus vir. Ex tot monimentis, quibus rem litterariam ornavit, a nobis præcipue ejus *epiſtolæ ad Gallos* memorandæ ac commendandæ ſunt; vere *Daniel Georgius Morhofius* in *polyhiſtore litterar.* lib. 2. c.23. §. 46. de ſtilo Grotii ita judicat: *Grotius quoque ut ipſe in præfatione poematum ſuorum fatetur, in ſtilo varius eſt; jam enim Virgilianum aliquid, jam Statianum, aut Claudianeum aliquod carmen ſcribit: in proſa vehementer etiam variat: in libris philoſophicis interdum barbariſmos admittit, & philoſophorum ſcholaſticorum lingua loquitur; in hiſtoria Tacitum non infeliciter exprimit, in epiſtolis Plinium*.

Marcus Zuerius Boxhornius, qui & ſtudia ſua ad bonas litteras contulit. Extant *epiſtolæ* ejus, quamvis pleræque ſint familiares, nec latinitate ſua ac ſtilo præſtantes: edidit quoque *ideas orationum*, in quibus argumenta pleraque ſunt civilia, hocque modo præcipue ſtudioſis politices & jurisprudentiæ commendanda.

Gerhardus Jo. Voſſius ſummus variarum litterarum antiſtes, qui & latinam linguam ma-

magnis meritis ornavit, poſtquam juris publici fecit *Ariſtarchum*: *etymologicon latinæ linguæ*: *librum de gloſſematis vitiiſque latini ſermonis*: *inſtitutiones oratorias*. Hæc monimenta præclaram eruditionis ac diligentiæ laudem habent; ſtilus autem, quem auctor ſecutus eſt, caret iis virtutibus, quæ in oratione ad imitationem commendanda ineſſe debent.

Dominicus Baudius, celebris juriſperitus, hiſtoricus, & poeta, qui non ſolum Lugduni magna cum laude litteras eloquentiæ profeſſus eſt; verum etiam libris, quos compoſuit, *orationibus* quippe, *epiſtolis*, declaravit, ſe valuiſſe eleganter ac pure ſcribendi facultate:

Petrus Cunæus, princeps jure ſuo meritoque in illis, qui noſtra ætate laude cultiſſimæ latinæ orationis florent. Varios compoſuit libros: *ſatiram Menippeam*: de *republica Hebreorum*, ac quæ præcipue ſtudioſæ juventuti ad promovenda eloquentiæ ſtudia commendandę ſunt, *orationes*, quas maximus Cunæi cultor *Chriſtophorus Cellarius* cum aliis ejuſdem latinis opuſculis iterum edidit atque adnotationibus inſtruxit, ut uſui ſcholarum oratorem recentioris ævi commendaret, qui lectores ad nativam eloquentiæ romanæ pulcritudinem perduceret. Sane in his orationibus nihil eſt, niſi latinum, niſi perſpicuum, niſi purum: ac quamvis in illis magnifica oratoria vis haud adpareat, qui caracter dicendi ab ingenio Cunæi alienus fuiſſe videtur; ubique tamen ſtilus eſt profluens, facilis ac naturali pulcritudine ita amœnus, ut legentium ani-

mos

mos capiat mirifice: hinc ex recentiroibus latinis auctoribus præter *Cellarii* & *Grævii* ſcripta orationes Cunæi ſtili purioris alumnis maxime commendamus.

Jo. Fridericus Gronovius, qui Lugduni Batavorum eloquentiæ & hiſtoriarum litteras publice docuit, nec tantum varios ævi antiqui auctores recenſuit atque emendavit; ſed ipſe etiam eruditos confecit libros, quibus rem litterariam auxit atque antiquitatis capita illuſtravit: extitit inſignis criticus; ſtilo autem ac latinitate Cunæo, Grævio aliiſque hujus generis clariſſimis viris inferior. Idem dicendum eſt de filio ejus *Jacobo Gronovio*, qui patrem ingenio atque eruditione magna cum laude æmulatus, ſibique inſignem locum inter criticos comparavit; moribus autem ſuis, quum humanitatem modeſtiamque erga alios deſereret, minus ſe omnibus commendavit.

Jo. Georgius Grævius, ſummus elegantiorum litterarum vindex, qui nomini ſuo meritiſque immortalem laudem conciliavit, poſtquam præſtantiſſimos utriuſque linguæ auctores caſtigavit ac doctiſſimis animadverſionibus illuſtravit, *theſaurum antiquitatum romanarum* edidit: alios libros iterum elegantibus exſcribendos formis curavit, atque ipſemet eruditiſſima compoſuit ſcripta. Hæc inſignis eruditio atque admiranda vetuſtæ diſciplinæ ſcientia conjuncta fuit cum morum ſuavitate atque ea mentis indole, quæ faſtus, rixandi libidinis aliorumque vitiorum, quæ multorum criticorum ſunt propria, expers. Ex tot ſcriptis, quæ cura ac ſtudio Grævii in

lucem prodierunt, ad ſtudia caſtæ atque elegantis latinitatis ornanda præcipue commendamus *præfationes, & epiſtolas*, quas collectas edidit *Jo. Albertus Fabricius*; atque *orationes*, quas in ſummam redactas juris publici fecit itidem illuſtre politioris doctrinæ decus ac ſummus illius vindex *Petrus Burmannus* MDCCXVII.

Jacobus Perizonius melioribus litteris ac quibus illas ornavit, meritis inſigniter clarus. Edidit eruditiſſimos libros, *animadverſiones hiſtoricas*: *diſſertationes de originibus Babylonicis & Ægyptiacis*: *obſervationes in Ælianum*: *Curtium reſtitutum & vindicatum* contra Clericum: diſſertationes *de nece Judæ* adverſus Jacobum Gronovium: de *ære gravi* contra Kuſterum; item de voce *cerno* ad eundem, ut de aliis taceamus. Stilus, quo utitur, eſt elegans, ſatis perſpicuus ac purus, quamvis interdum poetarum dictione utatur: vide de eo *Schultingium* in *oratione funebri* Lugd. Batav. MDCCXV., *acta eruditorum* MDCCXVI. p. 95., *miſcellanea Lipſienſia* tom. I. p. 387., diarium gallicum inſcriptum *hiſtoire critique de la republique des lettres* tom. IX., & *Io. Fabricium* in *hiſtoria bibliothecæ* part. VI. p. 287. Quorum laude ac ſtudiis muſas humanitatis ornandi Belgium hac ætade floret, in illis principatus dari debet laudato *Petro Burmanno*.

§. XI.

Reſtat, ut videamus, quid ingenia noſtræ gentis in cultu latinæ linguæ præſtiterint.

rint. Poſtquam illa horrida atque inculta illuvies abiit ac noſtratium ingenia ad humanitatem ſunt traducta, re ipſa & magnis exemplis compertum eſt, eſſe in indole Germanorum aliquid ad ſcientias ac diſciplinas elegantiæ ac purioris linguæ romanæ capeſſendas natum factumque, quod opponi ac præferri alii laudibus ſuis ſuperbæ nationi poſſit. Id quod ut clare pateat, conſtitutum eſt, principes recenſere, quorum de elegantiori doctrina ac de caſtitate ſermonis latini egregia ſunt merita, inſignis eaque juſtiſſima laus: in hiſce merito numerandi ſunt

Jo. Sturmius, meritis ſuis in rem litterariam, præcipue in juventutem ſcholaſticam ſummus ac princeps eorum, qui in gente noſtra ſe objecerunt barbariei, ac maxima induſtria in priſtino elegantioris doctrinæ cultu reparando elaborarunt; quum non ſolum ſaluberrima conſilia rem ſcholaſticam emendandi feliciter iniret, ſed etiam indefeſſo labore & ſuo exemplo & ſolidis præceptis alios doceret, quomodo ad laudem latini ſermonis pervenire debeant: multa extant eruditorum judicia, quæ laudes ejus mirifice prædicant. *Philippus Melanchthon* Sturmium prædicatione hac dignum judicavit: *qua ſit nominis celebritate, qua eruditione, auctoritate apud doctiſſimos quoſque Joannes Sturmius Germaniæ lumen, vel pueris prima litterarum elementa in ſcholis noſtris meditantibus notum eſt. Hic vir publicis monimentis profitetur aperte, quidquid in ſtilo ſuo aliqua dignum laude videri poſſit, id*

omne ex frequenti & aſſidua librorum de oratore lectione a ſe hauſtum. Nec exteri, Galli, Angli, atque Itali dubitarunt ingenue fateri, vix inter recentiores inveniri, qui laude ac meritis de doctrina humanitatis Sturmio poſſit præferri. In ſtudiis latinæ linguæ atque antiquæ eloquentiæ ornandis ac promovendis omne fere tempus collocavit ac conſumſit, hancque in rem non ſolum antiquorum præcepta adnotationibus ſuis inſtruxit, Ariſtotelis quippe, Ciceronis, Hermogenis, Horatii atque aliorum; ſed & ipſe varios utiliſſimos libros compoſuit, ex quibus vera ac ſolida ratio vetuſtæ eloquentiæ comparandæ videri ac cognoſci poteſt: Ejus quippe induſtriæ debemus libros de *exercitationibus rhetoricis*; de *amiſſa dicendi ratione*: de *imitatione oratoria*: de *diverſa ratione elocutionis rhetoricæ*: de *linguæ latinæ reſolvendæ ratione*, de *periodis* atque alios, quorum ea eſt præſtantia atque utilitas, ut optime rei ſcholaſticæ conſuleretur, ſi quis Sturmiana ſcripta conjunctim edenda curare vellet: confer de eo *manes Sturmianos*, *ſeu epicedia ſcripta in obitum Ioannis Sturmii* Argentorat. MDXC., *Melchioris Adami vitas philoſophorum* p. 342., *B. G. Struvium* in *bibliotheca antiqua* MDCCVI. p. 374., *Thom. Crenium* in *animadverſionibus philologicis & hiſtoricis* part. VI. p. 142., ubi de moribus Sturmii diſſerit, atque in eo merito reprehendit, quod raro objerit templa: adde *Jacobum Burchardum* in oratione de *Argentinenſis ſcholæ conſilio Sturmii inſtitutæ laudibus* MDCCXV., & in *commentario de fatis latinæ linguæ in Germania* p. 478., *Jo. Heinri-*

ricum Ackerum in *præfatione* præmiſſa libro Sturmii de *exercitationibus rhetoricis*, & *Fridericum Andream Hallbaverum* in *præfatione* præfixa Sturmii libello de *periodis*.

Philippus Melanchthon, cujus monimenta propter ſtili cultum atque elegantiam omnino commendanda ſunt, præcipue illius *declamationes* atque *epiſtolæ*: equidem ſtilus minus ſe extollit ac ſimplex eſt; laudem tamen caſtitatis ac perſpicuitatis jure tuetur. *Fridericus Taubmannus* in diſſertatione de *latina lingua* p.26. hanc de ſtilo ac dictione ejus tulit ſententiam: *fortaſſè & ipſe Philippus, ſi reviviſcat, hic hæreret & miraretur, ſe ut ducem & anteſignanum ad eloquentiam poni, & orationem ſuam pro exemplo citari latinæ orationis, qui olim ex hoc ipſo loco, voce & calamo juventutem ad vetus iſtud Romanorum, nominatim Ciceronis exemplum unice duxiſſet. Quodſi Philippicum genus dicendi intelligunt, ut tu modo vocabas, & ante te Camerarius, inaffectatam illam & puram atque ſanam orationis faciem, quidni cenſeam obſervandum ab iis præſertim, quos vel ingenii, vel doctrinæ, vel temporum ratio ad exquiſitius & ſublimius aliquod difficulter admittit? nam Philippi orationem, eam præſertim, quam in illa robuſtæ ætatis* ἀκμῇ *& vigore, ſed & in otio majori, quo tamen vir ille utplurimum carebat, elaboravit, ita comparatam popularis eſſe Camerarius meus judicat, ut in ea ſimplicia ſint & recta omnia*: adde ipſum *Philippum Melanchthonem* tom. I. *declamation.* p. 435., *Joachimum Camerarium* in elegantiſſimo libro de *vita Melanchthonis*; *orationes*

epitaphia, & *ſcripta*, quæ edita ſunt in obitum Melanchthonis Vitemberg. MDLXI.

Rudolphus Agricola, qui auctor culti ac puri ſermonis laudatur, atque primus habetur, qui in Germania latinitatem emendare ejuſque ſtudia promovere cœperit. *Eraſmus adag.* chil. 1. cent. 4. p. 116. exiſtimat, quod eo *Ciſalpinus orbis nihil unquam omnibus litterariis dotibus abſolutius produxerit*; addit: *nulla erat honeſta diſciplina, in qua Agricola non poterat cum ſummis artificibus contendere: inter græcos græciſſimus, inter latinos latiniſſimus: in carmine Maronem alterum dixiſſes, in oratione Politianum quemdam lepore referebat, majeſtate ſuperabat; oratio vel extemporalis adeo pura, adeo germana, ut non Friſium quempiam, ſed urbis Romæ vernaculum loqui contenderes. Eloquentiæ tam abſolutæ parem adjunxerat eruditionem; philoſophiæ myſteria omnia penetraverat*: confer *Melanchthonem* in *declamation.* tom. 11. p. 450, *Melchioris Adami vitas philoſophor.* p. 13., *Thomam Popeblount* in *cenſura celebrior. auctor.* p. 480., *Jacobi Burckhardi conſilium de Jo. Reuchlini & aliorum epiſtolis edendis* MDCCXIV.

Ioachimus Camerarius, in quo magna utriuſque linguæ ſcientia fuit, propter quam & magnus honor ab omni eruditorum ordine ei tributus eſt, quum a nonnullis Germanorum ætatis ſuæ ingenioſiſſimus, ab aliis linguæ utriuſque princeps, item Europæ decus & ornamentum adpellatur. Speciatim *Io. Caſelius* dicit eum *virum & virtute & litteris ita præſtantiſſimum, ut princeps doctiſſimorū Germaniæ adpellari poſſit*; & a *Io. Burck. Men-*

ckе-

ckenio in *oratione ſeculari* p.22. laudatur *vir in omni diſciplinarum genere magnus vere & excelſus, cui eruditorum nemo in illa ætate conferri, nedum anteferri jure valeat*; qui addit, *huic quantum & Lipſia & Germania univerſa ſit obſtricta, quod doctrinam & bonas litteras veluti poſtliminio reduxerit, uſque adeo perſpectum omnibus atque exploratum eſt, ut qui ſola virorum doctorum, quibus Camerarium cumulatiſſime ornarunt, elogia enumerare auſit, nullum ſit dicendi finem inventurus*. Librorum, quos ad ornandam veteris Græciæ ac Latii doctrinam edidit, cum propter ubertatem rerum, tum nitidam orationem magna eſt dignitas, qui & ab antiquioris diſciplinæ cultoribus in magno eoque juſto habentur pretio.

Georgius Fabricius, ſingulare gentis noſtræ ornamentum, qui rem litterariam ſcriptis & voce ſua non mediocriter auxit. Excelluit in vario diſciplinarum genere, præcipue poëſi: ſcripſit eleganter, atque uſus eſt ſtilo profluenti, nativo, amœno: edidit varios libros hiſtoricos, caſtigationes atque animadverſiones in diverſos veteres auctores, aliaque ingenii monimenta: vide *Jo. David. Schreberum* in *vita Fabricii* p.121. 123.

Jo. Caſelius, meritis ſuis, quibus politiores litteras maxime ornavit, vere magnus, incredibili cupiditate flagravit, elegantioribus muſis dignitatem ſuam vindicandi atque amplificandi, aliorum animos ad cultum illarum incitandi: quam in rem non ſolum utiliſſimas edidit commentationes, atque in illis rectam viam ad humanioris doctrinæ ſcientiam perveniendi oſtendit; ſed ipſe quoque ſuo exemplo

mon-

monſtravit, quantum ornamentum, quantam gratiam elegans, exquiſita, caſta dictio ac ſcribendi ratio eruditioni adferat. Quam ob rem non poſſumus, quin ſtili romani cultoribus Jo. Caſelii libros maxime commendemus, ex quibus præter ceteros *epiſtolæ* ejus diligenter ſunt evolvendæ. Diverſæ ac variæ ſunt illarum collectiones, quas recenſet *Polycarpus Lyſerus* in *amœnitatum litterariarum reliquiis* p. 240.; ipſorum autem librorum indicem ſtudioſe confecit *Jacobus Burckhardus* in *epiſtola de Jo. Caſelio ad Bœhmerum*, quę & inſerta eſt *Rollii memoriis philoſophorum* decade 1. p. 219. *Janus Gruterus* de monimentis Caſelii ad Jo. Kirchmannum *epiſt.* CXXII. ex bibliotheca Gudiana a *Petro Burmanno* edita ita ſcripſit: *gratiſſimum fuit intelligere, nondum ſtrangulata eſſe inter plurium manus Caſelii monimenta; & næ tu philologis eximiam novabis operam, ſi verſus ejus, ſi verſiones, ſi alia omnia produxeris in publicum: ea propter ſane plurimum tibi debebimus omnes. Joſephus Scaliger epiſt.* CCLXX. p. 561. editi on. Elzevir. ad ipſum Caſelium ſcribit: *nam quantum me oblectarunt epiſtolæ tuæ! quantum me orationis tuæ indoles pura, caſta, romana adfecit! Multi enim latine, pauci romane loquuntur: & ſi qui forte romane; at raro illum Ciceroniani ſeculi genium adſequuntur: qui hunc leporem in tua oratione non agnoſcit, is, quid ſit latine ſcribere, neſcit;* adde *epiſtol.* CCLXXII. p. 566.

Auguſtus Buchnerus, qui & magnum locum tenet inter recentiores latinæ linguæ auctores, eruditionis ac ſtili romani laude clariſſimus, quam præcipue tuentur illius *epiſtolæ*

atque

atque *orationes*, quas *Jo. Jacobus Stubelius* iterum edidit : ſcribendi genus, quo uſus eſt, plerumque purum ac terſum eſt. In *actis eruditorum* MDCLXXXIII. pag. 147. ita laudatur: *erat Varro ſui temporis, & cum reliquis politioris litteraturæ ſapientiæque veteris præſidiis inſtructus largiter, tum terſo cumprimis ac numeroſo dicendi genere plane admirabilis; nam uti optimos quosque aureæ illius ætatis ſcriptores vaſto animo ſuerat complexus, ita mera ſcriptitabat aurea, immo auro contra cara, & latiniſſimis ſcriptorum veterum monimentis comparanda dicam, an præferenda? poſteaquam igitur emiſsis in orbem litterarium limatiſſimis ſcriptis legentium quorumque animos velut iyngibus attraxiſſet, inſatiabili quadam cupiditate, quidquid tum in proſa, tum in verſu ab eo erat compoſitum, ab eruditioribus fuit expetitum.* Conrad. Samuel Schurzfleiſchius in *epiſtolis arcanis* tom. I. p. 611. varia latinitatis vitia notat, quæ in ſcriptis Buchneri paſſim ſe prodant, exempli gratia *paſſio* pro morbo: *puritas* pro ſanctitate: *e contra* pro contra: *habere opus* pro neceſſe habere: *nullibi* pro nuſquam : *creatura* pro res condita : *orare* pro orare Deum : *dum* pro quod, & alia.

Jo. Ludovicus Praſchius, vir omni liberali doctrina expolitus, virtute ac prudentia ornatus, in quo fuit ſummum ſtudium litterarum diſciplinas conſervandi & inter ornamenta patriæ latinitatem incolumem & ab omni vitio alienam promovendi : præcepta ſtili, quorum eſt auctor, hanc in rem teſtantur, quæ ornate ſcripta ſunt, breviorem viam commendant ac declarant, quod artis hujus peritus fuerit exquiſite. *Geor-*

Georgius Schubartus, qui in hac academia magna cum laude litteras politiores docuit: uſus eſt ſcribendi genere, quod nativum, purum ac perſpicuum eſt. *Conrad. Samuel Schurzfleiſchius* in *epiſtolis arcanis* to. I. p. 613. dicit: *ſtilus Schubarti purus eſt; ſed vires non movet, nec majeſtate Ciceronis ſe tuetur*. Edidit elegantiſsimum librum de *fatis jurisprudentiæ romanæ*, variasque eruditas ac politas diſſertationes: vide de eo *Jo. Caſparis Zeumeri vitas profeſſorum academiæ Jenenſis* claſſe 3 v. p. 172.; & *orationem funebrem*, quam memoriæ ejus dicavit *Georg. Nicolaus Kriegkius*. *Jo. Heinricus Ackerus* Schubarti hujus *epiſtolas ac præfationes* collegit, ac præmiſſis programmate funebri & Juſti Eulogii epiſtola ad Schubartum, edidit Jenæ MDCCXVII.

Conrad. Samuel Schurzfleiſchius, ſummus meliorum litterarum vindex, ſingulare Germaniæ noſtræ decus ac latiniſsimus auctor, cujus oratio caſta eſt, elegans atque eximia majeſtate ac vigore ſe tuetur, hiſque virtutibus ad laudem Ciceronis ac Livii accedit. Qui ei harum litterarum ſcientia jure præferri debeat, inter recentiores vix reperitur. Ex monimentis ejus, quæ cultiſsima ſunt, ſtili romani cultoribus præcipuæ commendari debent *epiſtolæ ſelectiores*, *epiſtolæ arcanæ*, quas frater ejus *Henricus Leonardus* MDCCXI. MDCCXII. edidit: *diſſertationes academicæ varii generis publico nomine conſcriptæ*, Vitemberg. MDCXCIX.; *orationes panegyricæ & adlocutiones varii argumenti*, Vitemb. MDCXCVII.; *opera hiſtorica politica* Berolin. MDCXCIX.; *memoria ejus in exſequiis renovata* a *Jo. Guilielmo Bergero*,

gero, addita eſt novæ editioni *epiſtolarum ſelectiorum* MDCCXII., & extat in laudati *Bergeri diſſertationibus academicis varii argumenti* p. 89. ſeqq.

Chriſtophorus Cellarius, magnus quoque politioris doctrinæ vindex, qui meritis ſuis genti noſtræ eximium litterarum decus conciliavit. Non ſolum varios veteres auctores recenſuit ac commentariis illuſtravit; ſed ipſemet quoque libros confecit, qui exquiſita antiquiorum muſarum eruditione ſunt referti: geographiæ veteris ſine exemplo fere fuit peritiſsimus, quod inſigne opus *notitia orbis antiqui* inſcriptum abunde declarat. Stilus eſt nativus, caſtus, profluens, amœnus; ſed vigore interdum caret, nec majeſtatem, qualis eſt in oratione Schurzfleiſchii, præ ſe habet. Quæ ex monimentis ejus ſtili culturæ promovendæ inſervire poſſunt, ſunt *programmata varii argumenti* Lipſ. MDCLXXXIX., *diſſertationes academicæ* MDCCXII., *orationes academicæ* MDCCXIV. *epiſtolæ ſelectiores & præfationes* MDCCXVI., ac *hiſtoria univerſalis*, quæ omnia oratione ſunt culta ac nitida, in qua ad maximam ſimilitudinem *Petri Cunæi* pervenit.

Jo. Caſpar Poſner, cujus *eloquentia academica, hoc eſt ſcriptorum palam propoſitorum, nec non orationum allocutionumque & inſcriptionum quarumdam ſpecimina*, quam edidit Jenæ MDCCXVIII. declarat, auctorem fuiſſe artificem orationis, quæ caſta eſt, profluit, ſententiis ſuis delectat ac vires movet:

Andreas Julius Dornmejerus, exquiſitæ ac latinæ orationis auctor, qui ex recentioribus præceptoris ſui Cellarii veſtigia feliciter

ſequu-

ſequutus eumque imitatus eſt. Edidit *philologiam biblicam*, elegantiſsimam commentationem de *vitioſo Ciceronis imitatore*, variasque diſſertationes, de *Luthero humanioris litteraturæ cultore*: de *prima Germanorum notitia*: de *regno Lydorum*: de *eloquentia* aliaſque.

Gothofredus Vockerodt, qui magna facultate ornate, caſte atque eleganter ſcribendi valebat: quocirca libri, quos edidit, ubi evolvantur, ad ſtudia latinitatis atque eloquentiæ ornanda multum adferre poſſunt. Edidit *commentationem de eruditorum ſocietatibus & varia re litteraria* Gothæ MDCCVII.; *conſultationes de litterarum ſtudiis recte & religioſe inſtituendis*, *nec non de publicarum ſcholarum uſu*, *pretio & diſciplina ſanctiore*, *cum commentatione de vera & falſa eruditione* MDCCV.; & *ſermones panegyricos* MDCCV.

Jo. Philippus Slevogtius, qui romanæ linguæ magnam vim & facultatem adſequutus fuerat: quam in rem teſtantur eruditiſsimæ diſſertationes ac commentationes ſolemnibus recitationibus præmiſſæ, in quibus ſelecta argumenta eleganter expoſuit: item *inſcriptiones varii generis*, quas conjunctim edidit MDCCXXIV.

§. XII.

Plures ſunt, quos tulit Germania noſtra, laude meritorum, quibus ſtudia latinæ linguæ egregie ornarunt, clariſsimi. Florent nominum celebritate *Jo. Wovverus*, *Caſpar Scioppius*, *Matth. Berneggerus*, *Thomas Reineſius*, *Chriſtianus Daumius*, *Caſpar Barthius*, *Chriſtophorus*

rus Schraderus, *Jo. Freinſhemius*, *Nicod. Friſchlinus*, *Andreas Reyherus*, *Jo. Vorſtius*, *Jo. Heinricus Baeclerus*, *Jacobus Thomaſius*, *Jo. Andreas Boſius* aliique; ſed nimis longum eſſet, ſi & horum virorum merita enarrare ac ſcripta illorum commendare vellemus, quod & a ſcriptionis noſtræ ratione recederet, quoniam illos tantum laudare, nobis conſtitutum eſt, qui præ aliis orationis romanæ nitidæ ac politæ decus ſibi compararunt. At plerique illorum, quos jam nominavimus, majori cura in perpoliendis philologiæ Romanæ litteris elaborarunt, quam in caſto atque ornato dicendi genere formando. Nec deſunt doctiſsima ingenia, quæ oculis noſtris adhuc inhærent, ſuaque ſcripta ac doctrinas latina oratione ornant, quorum enumeratio pæne difficilis eſt. Nam vivorum ut magna admiratio & magnus contemtus; ita cenſura difficulter inſtituenda eſt. Quocirca ſufficiat viros hoſce eruditione meritisque clariſsimos nominaſſe, inprimis quum illorum commentationes ac ſcripta per ſe ſint nota. Ad horum igitur ordinem, qui noſtra ætate facultatem ſuam latine atque eleganter ſcribendi commendarunt, merito atque omni jure pertinent *Jo. Franciſcus Buddeus*, *Jo. Albertus Fabricius*, *Juſtus Chriſtoph. Bœhmerus*, *Jo. Guilielmus Bergerus*, *Jo. Conrad. SchWarzius*, *Jo. Laurentius Moſhemius*, *Chriſtianus Gottl. Schvvarzius*, *Jacobus Burckardt*, *Chr. Auguſtus Heumannus*, *Hieronymus Freyer*, *Jo. Heinricus Ackerus*, *Georg. Nicolaus Kriegkius*, *Jo. Doppertus*, *Jo. Ehrhard. Kappius*, *Jo. Matthias Geſnerus*, *Jo. Heinricus Kromayerus* aliique, quos licet haud nominemus;

meritis tamen illorum ac laudi haud quidquam detrahimus. Quod ſi quis obiicere velit, non poſſe fieri, ut omnia monimenta, quæ a nobis commendata ſint, perlegantur: reſpondemus, lectionem illorum rite eſſe diſtinguendam, pro ratione cum ſtili, tum argumenti, pro cujus diverſitate neceſſe quoque eſt, ut diverſos habeamus auctores, quos adire atque ab illis exempla ad imitationem petere poſſumus.

CAPUT XIII.

De Obſervatione Latinæ Linguæ.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Summa capitis hujus §. I. *Generatim agitur de indole & diverſitate obſervationis hujus* §. II. *Speciatim de obſervatione ſtili ratione diverſi caracteris circumducti, medii & conciſi* §. III. *Sublimis, mediocris, & humilis* §. IV. *De obſervatione vocum latinarum* §. V. *Adiiciuntur obſervationes de excerptis latinæ linguæ inſtituendis* §. VI.

Triplex ſubſidium, quod iter ad vetus Latium perficiat, commendavimus, lectionem, obſervationem, & imitationem: de lectione copioſe adhuc diſputatum fuit & inpri-

primis explicatum, quinam auctores ſint legendi, & quo ordine id fieri poſſit; ad modum autem quod adtinet, quo hi ſcriptores pertractandi, illum obſervatio & imitatio perficiunt atque abſolvunt.

§. II.

Magiſtri ſcholarum & qui illis præſunt, modo hanc, modo illam rationem ſequuntur, qua juventutem fidei ſuæ commiſſam ad ſtili cultum adducunt. Transferunt primum ſcriptorem latinum in linguam teutonicam; deinde notant dicendi formulas, quas juvenes ad imitationem adhibere debent. Sed quum de ſtilo romano in eorum gratiam præcipimus, qui facultatem auctores intelligendi atque interpretandi adſecuti, majores progreſſus facere atque ad laudem ſtili terſi ac nitidi venire debent; merito graviora doctrinæ hujus capita a nobis ſunt explananda. Igitur primum dicamus de obſervatione latinæ linguæ, quæ in lectione veterum ac recentiorum ita inſtituenda, ut ſi quæ notatu digna occurrant, diligenter obſerventur; & ad regulas, quæ ante de illis ſint traditæ, quævis adplicata diiudicentur, num bona ſint, an vitioſa; num imitanda, an fugienda, huncque in finem mandentur memoriæ: ita quæ cognita ſunt per præcepta, videntur in exemplis. Immo obſervando videmus plura, quam nos docent grammatici ac ſtili magiſtri; neutiquam enim qualis ſit genuina linguæ cujusdam indoles, qui ſint illius idiotiſmi, quæ ſit naturalis ſtili pulcritudo, quæ ſint ejus virtutes, quæ vitia, regulis definiri ac

præſcribi poteſt. Atqui hoc eſt, quod per ſedulam lectionem, per accuratiorem obſervationem, ac per adſiduam imitationis exercitationem adſequimur. Quæ obſervare decet, partim ad ipſum *ſtilum* ejusque formam ac rationem; partim ad *latinitatem* ſpectant, de quo utroque capite nunc diſpiciamus diſtincte.

§. III.

Quod igitur adtinet ad obſervationis genus, quod ad *ipſum ſtilum* ejusque rationem refertur, per illud conſiderare decet, num auctor, qui perlegitur, caracterem ſublimem, an mediocrem, an humilem ſectetur; num conciſas habeat periodos, an medias, an copioſas? quod obſervandi ſtudium ut majores adferat fructus, neceſſe eſt, præcepta de ſtilo ejusdemque natura memoria repetere atque expendere, quæ pertineant ad figuram ſublimem, mediam, & humilem; ad figuram circumductam, mediocrem, & conciſam. Quodſi igitur legimus Taciti monimenta atque ex lectione illorum utilitatem capere volumus, neceſſe eſt, ut ad caracterem Taciti, quod ille ſit conciſus & medius inter genus ſublime & humile, animum advertamus: ubi autem deprehendimus, dicendi genus Taciti eſſe conciſum & medium, non ab re erit, ſi virtutes utriuſque caracteris expendamus easque ad Taciti exempla adcommodemus, ut perſpiciamus, qualis pulcritudo atque elegantia conciſum Taciti ſtilum commendet. Porro apud *Plinium* lib. VII. *epiſt.* 21. hæc extant: *pareo, collega cariſſime, & infirmitati*

ocu-

oculorum, ut jubes, conſulo. Nam & huc tecto vehiculo undique incluſus, quaſi in cubiculo, perveni; & non ſtilo modo, verum etiam lectionibus difficulter, ſed abſtineo, ſoliſque auribus ſtudeo. Cubicula obductis velis opaca, nec tamen obſcura, facio: cryptoporticus quoque, adopertis inferioribus feneſtris, tantum umbræ, quantum luminis habet: ſic paullatim lucem ferre condiſco. Balineum adſumo, quia prodeſt: vinum, quia non nocet; parciſſime tamen: ita adſuevi, & nunc cuſtos adeſt. Gallinam, ut a te miſſam, libenter accepi; quam ſatis acribus oculis, quanquam adhuc lippus, pinguiſſimam vidi. Vale. Quum quis ſcholarum magiſter hanc epiſtolam diſcipulis ſuis prælegit, neceſſe eſt, ut primum moneat, illam conſcriptam eſſe ſtilo conciſo; deinde inquirat in virtutes ſtili conciſi & obſervet, num illæ in epiſtola hac inſint, nec ne. Sane habet hæc epiſtola lectiſſimas & magna ſignificandi vi præditas voces, cujuſmodi ſunt: *infirmitas oculorum: vehiculo incluſus; auribus ſtudeo; lucem ferre condiſco; vinum adſumo parciſſime.* Nec quidquam in iſta eſt poſitum, niſi quod ad ſenſa mentis exprimenda maxime fuit neceſſarium, quod & caracteris conciſi indoles requirit. Plin. adhibere potuiſſet plura vocabula, longiores phraſes, atque ornatus cauſſa adjicere varia epitheta ac particulas, atque per amplificandi artem periodum formare longiorem, hoc modo: *voluntati tuæ morem gero, collega cariſſime, quumve jubes, me infirmitati oculorum, quæ adhuc & corpus & animum multum adfecit, conſulere, facio id diligenter, & de omnibus ſubſidiis, quibus illa removeri poſſit, ſollicitus ſum.* Sed Plinius conciſi

ſtili ſtudioſus hæc omnia negligit; ita tamen ut animi ſui ſenſa clariſſime pateant: addimus aliud exemplum. *Cicero* ad Tironem ſuum hanc epiſtolam miſit: *vide, quanta in te ſit ſuavitas. Duas horas Thyrei fuimus. Xenomanes hoſpes tam te diligit, quam ſi vixerit tecum; is omnia pollicitus eſt, quæ tibi eſſent opus; facturum puto. Mihi placebat, ſi firmior eſſes, ut te Leucadem deportares, ut ibi te plane confirmares: videbis, quid Curio, quid Lyſoni, quid medico placeat. Ego omnem ſpem tui diligenter curandi in Curio habeo: nihil poteſt illo fieri humanius, nihil noſtri amantius; ei te totum trade: malo te paullo poſt valentem, quam ſtatim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, niſi ut tu valeas; cetera ego curabo.* Ad hanc *Jac. Maſenius palæſtra ſtili* p. 180. hæc obſervavit: *in hac dictione illas, quas ſupra memoravi, dotes reperies. Quid enim his verbis, ſi a primo ad ultimum expendas omnia, lectius haberi poterit? quid eſt, quod vel ſubmoveri poſſit; vel paucioribus, ea virtute exprimi? Sed & aliæ ejusdem ſcriptionis dotes ſunt; quarto enim amat oppoſitiones, aut correctiones, vel exceptiones ab illis, quæ dicta ſunt, ſubitas item admirationes, exclamationes, & interrogationes; hæc enim ejusmodi ſunt, quæ orationem ſæpe inciſam & abruptam deſiderant. Quum periodi aliquantulum producuntur, ſolent inciſa minima vel diſſolute & ſine conjunctionibus; vel etiam iteratis conjunctionibus iisdem acervari: repetitiones quoque earumdem particularum frequentari: gnomæ, parœmiæ, antiquitates inſpergi, græca nonnunquam, præſertim ſententioſa admiſceri.* Quodſi ſcriptores legimus, quorum character circumductus, aut medius

dius eſt, eadem ratione obſervationem inſtituere decet, quod quomodo fieri debet, exemplo demonſtremus. *Chr. Cellarius oration. academic.* orat. 11. p. 25. hanc confecit periodum: *quod igitur religio officiorum jubet, quod ſubjectio multo demiſsiſsima geſtit, ad quod quiſque obſequio ſuo ac munere incitatur; id hac luce, ſpectatiſsimi auditores, devote & alacriter proſequamur: nec ulli populo, aut civitati concedamus, ut hujus diei officio pietateque nos antevertat; quia multæ nos maximi momenti rationes circumſtant, quæ non tam alliciunt, quam premunt, urgent, ut ceteros omnes hoc feſto die ſi non voce, tamen mentis pia & fauſta meditatione, & votorum ſinceritate ſuperemus.* Hæc periodus eſt circumducta, ac præter propoſitionem principalem, quæ eſt: *quod religio officiorum jubet, id hac luce proſequimur*, alias propoſitiones, quæ partim rem explicant, partim illuſtrant, complectitur, adeoque cumulat inciſa e.g. *nec ulli populo, aut civitati concedamus*; item: *quia multæ nos maximi momenti rationes circumſtant*, quæ verba iterum interpretatur, quum ſubjungit: *quæ non tam alliciunt*, &c.; cumulat vero non ſolum ipſas propoſitiones, ſed phraſes quoque: ſuffeciſſet, dixiſſe: *quod igitur religio officiorum jubet*; ſed adiicit: *quod ſubjectio multo demiſs iſsima geſtit*; item: *ad quod quiſque obſequio ſuo ac munere incitatur*: ornatus cauſſa porro auctor collegit epitheta, varias particulas, longiores voces, & quæ alia ſunt.

Porro

§.IV.

Porro ſtilus eſt vel ſublimis; vel mediocris; vel humilis, quod diverſum caracteris genus itidem in monimentis veterum ſcriptorum ſtudioſe obſervandum eſt. Quando igitur præceptores alumnis litterarum interpretantur; aut nos privato ſtudio legimus ſcripta caractere ſublimiori conſignata, obſervare neceſſe eſt, qua in re ſtili majeſtas ſit poſita, num res, de qua diſſeratur, ſit ſublimis & magnifica? num notio, quam auctor mente tenuit, ipſa ſit excelſa? num verba cum gravitate ſint conjuncta. Sic *Jo. Georg. Grævius orat. in memoriam Mariæ Reginæ* p.81. *huc ne noſtræ res ſunt prolapſæ, ut, quod unum noſtris deerat miſeriis, triſtiſſima hæc tempora, tanquam triſtitiæ quidam cumulus, exaſperaret acerba mors auguſtæ Mariæ, quæ infando & vix conſolabili dolore Britanniam afflixit, Belgicam exanimavit, conſternatione & angoribus orbem terrarum implevit: cæperunt jam fulgere candidiores ſoles, & omnium animi ad ſpem lætioris fortunæ rerumque faciliorum erigi; quum ſubito nec opinata procella, tanquam fulmen ſereno cælo magno cum fragore & terrore miſſum, proſternit & percellit omnia, & ab optima ſpe cunctos traducit ad ſummum timorem & ſollicitudinem.* Hæ Grævii periodi ſunt caractere ſublimi ſcriptæ, quod patet ex rebus magnificis, quales ſunt mors Reginæ: vix conſolabilis dolor, qui non privatos homines; ſed Britanniam, Belgium, immo terrarum orbem adflixit, quibus magnificis rebus reſpondent Grævii ſublimes notiones; hinc dicit: *exaſperaret, adflixit, exanimavit*

vit,& uſurpat allegoriam de candidiori ſole, de procella, de qua elegantes voces habet, *fulmen*, *fragore*, *terrore*, *proſternit*, *percellit*; vocabula autem ita conjungit, ut fugiat inelegantē concurſum, vel repetitionem continuam in uno commate, ſtridorem conſonantium removeat, nec continuet monoſyllaba; periodus claudatur vocibus, quæ vim ſuſtinent. Hac obſervandi lege ſtili cultores ad cognitionem ſtili ſublimis per exempla adducuntur, atque in iſta confirmantur. Ac quamvis ad hoc dicendi genus exprimendum non quodvis ingenium ſit aptum, quoniam propriam indolem requirit; vident tamen in exemplis, quomodo hic caracter ſcribendo ſit formandus atque, ubi ab aliis adhibetur, dijudicandus. Verum ſi adhuc clarius per exempla cognoſcere velimus, qualis ſit vera & recta ratio ſtili ſublimis, non ab re erit, in ſubſidium vocare exempla oppoſiti hujuſmodi figuræ ſublimis, quod frigidum, ſufflatum nominatur, quale reperitur apud *Auctorem rhet. ad Herennium* libr.14.:*nam qui perduellionibus venditat patriam, non ſatis ſupplicii dederit, ſi præceps in Neptunias depulſus erit lacunas: pœnitet igitur iſtum, qui montes belli fabricatus, campos ſuſtulit pacis*. Heic affectatur genus ſublime: ſed eſt alienum ab omni illius virtute; uſurpat enim voces duriter translatas, nimis hyperbolicas, poeticas, quales ſunt: *depelli in Neptunias lacunas*, *montes belli fabricari*, *auferre campos pacis*: adhæc nulla numeri elegantia prænitet & omnia, quæ ornant hanc figuram, exſulant. Eadem ratione obſervatio inſtituenda eſt de genere dicendi

di mediocri, atque humili, ſiquidem ex præceptis de ſtilo cognoveris, quænam ſint horum caracterum virtutes ac vitia: his enim cognitis, facile fieri poteſt adplicatio ac dijudicatio, quale exemplum ſcriptor, quem legimus, caracteris cujuſdam dederit, quidque in imitatione illius ſit obſervandum.

§. V.

Alterum obſervationis genus ſpectat ad *voces*, quarum conſideranda eſt 1.) *auctoritas*, propter quam latinitas *pura*, atque *impura* notanda eſt. Vt autem rite obſervemus, quæ ſint e cenſu puræ latinitatis, & notemus, quæ haud probæ notæ & barbaræ gentis propria, neceſſe eſt, hiſtoriam latinæ linguæ ejuſque fata bene cognita atque explicata tenere, ut ſciamus, qui progreſſus, qui lapſus harum litterarum fuerit, item qua ætate auctor quidam nituerit: quibus cognitis, de ſtilo atque ſcribendi indole auctorum ferri poteſt judicium ac videri, in quo cenſu latinitas illorum ſit habenda; hancque hiſtoriam latinæ linguæ quum quis cognoverit, feliciori negotio obſervabit, quæ pertineant ſive ad caſtitatem, ſive ad barbariſmos romanæ linguæ. Si igitur ſcriptorem quemdam ætatis vetuſtioris, aut recentioris legimus, probe notare debemus, quæ minus latine dicta ſint, & cavere, ne iſta trahamus ad imitationem: ac quando auctoritas quædam nobis eſt dubia, interpretes ac judices latinæ linguæ, *Voſſium*, *Scioppium*, *Vorſtium*, *Cellarium*, *Borrichios* & alios, item lexicorum auctores con-

conſulere poſſumus, & ſubnotare voces formulaſque dicendi impuras, ſive id fiat in libro ipſius auctoris, ſive in lexico. Hoc notandi ſtudium ut accurate ac feliciter inſtituatur, in illius gratiam haſce regulas commendamus: cave, ne exiſtimes, quod omne ſit bonum, quod reperiatur apud auctores ætatis aureæ; aut omne barbarum, quod extet apud ſcriptores ſeculi barbari: conſule adnotamenta, quibus auctores veteres illuſtrarunt critici, iiſque varia latinitatis capita explicarunt: probe diſtingue diverſa impuræ latinitatis genera, quum aliud eſt græciſmus, aliud barbariſmus, aliud ſolœciſmus, aliud archaiſmus, aliud idiotiſmus, de quibus capite ſecundo pluribus diſputatum fuit: ut cognoſcas, num ſcriptor, quem evolvis, ſcribat pure, an impure; non ſufficit quædam capita perluſtraſſe; ſed ſi id tempus & ratio aliarum muſarum ferant, integrum iſtum perlegas: conjunge interdum ſcriptores cum caſtæ, tum impuræ latinitatis, quia pulcrum ac bonum ex eo, quod illi opponitur, clarius cognoſcimus. Decet quoque vocum conſiderare II.) *ſignificationem*, propter quam notanda eſt latinitas *propria* atque *impropria*: non modo cognoſci debet, qua auctoritate quædam vox latinæ linguæ valeat; ſed neceſſe quoque eſt perſpicere, num voces adſumſerint nativam ſignificationem, an tranſlatam? *Cicero* monet: *in propriis, ut aptiſſima eligamus; in tranſlatis, ut ſimilitudinem ſecuti verecunde utamur alienis*. Ut autem in hoc obſervationis genere videamus, quanam ſit ratio ſignificationis tranſlatæ, quidue illi

tribuendum; ſcire decet, primum, quod metaphoræ interdum ſint elegantes & omni orationi adferant ornatum: deinde quod ex metaphoris aliæ ſint oratorum, aliæ poëtarum, quo momento poetica latinitas a ſoluta differt maxime: tum unde petitæ ſint metaphoræ, numve auctor iſtas continuaverit, ut periodus contineat allegoriam. Deinque III.) vocum conſideratur *junctura*, ad quam pertinent perſpicuitas,& ſuavitas; tres enim præcipue ſtili virtutes ſunt, caſtitas, perſpicuitas, & ſuavitas: propter *perſpicuitatem* ad id debemus convertere animum, num monimentum, quod legimus, perſpicuum ſit, nec ne? idque ſi clarum & perſpicuum eſſe deprehendimus, in cauſſas inquiramus, quæ id tam planum fecerunt, ut lectores ſine ullo negotio intelligant: cauſſæ hæ ſunt variæ, pura quippe & uſitata verba, non nimis longa inciſa, elegans nec confuſa vocum junctura; quam in rem exemplum exhibet *Petrus Cunæus* principio *orat.* I.: *magna olim religione Græci Romanique diem eum, quo in lucem editi eſſent, velut feſtum atque ſolemnem, inter familiares quiſque atque inter amicos ſinguli ſuos coluerunt, ut munus annale genio ſolverent, atque ea omnia dicerent facerentque, quæ boni fauſtique ominis eſſe viderentur*: periodus hæc ſine dubio perſpicua eſt, iis de cauſſis, quoniam auctor uſurpat primum puram dictionem; deinde minus habet longa inciſa, nec ipſa periodus juſto amplior eſt; ac denique ordinem, quo voces conjungit, obſervat naturalem. Sed comparemus cum his Cunæi principium orationis *Jacobi*

Gro-

Gronovii de *origine Romuli* : *ſi quiſquam, cui ætas concedebat juventutis ludo ſiui, locum, ubi delicias amore & blandiciis ſuis dignas invenit, recte in honore habuit, & ſi non ex veteris ſtultitiæ more flores corollasque lętabundi animi documenta ſuſpendens conſecravit, ſaltem prætereundo ictus oculi in eum voluptatem memoriæ ex admonitione fortunæ prodentes identidem conjecit ; ſi ædificia & cubicula, in quæ primum quis de matre cecidit, in caſtu aliquo & ſolemnitate merito habuit: mirari nemo poteſt, ſi eadem prorſus ſedulitate occupatam mentem meam, & parem venerationis menſuram inculcatam mihi eſſe erga hoc ipſum, quod implemus, atrium, hoc, quod nunc me attollit, ſubſellium profitear*. Cur autem ſtilus Gronovii non ita perſpicuus ſit, uti Cunæi, non obſcure patet ; namque Gronovio non ea cura eſt puræ latinitatis, quæ fuit Cunæo : inciſa facit ampliora : ipſas propoſitiones unius periodi cumulat, & quæ alia ſunt. Quod ad *ſuavitatem* adtinet, illa in auctoribus latinæ linguæ quoque obſervari debet : quod fieri poteſt, ſi clara voce omnia legamus & ſuavitatem aurium judicio & ſono metiamur, cujus doctrinæ regulæ generatim, minus vero ſpeciatim tradi poſſunt. *Chr. Cellarius epiſt. ſelectior.* p. 28. hanc periodum compoſuit: *Minucium Felicem, poſt Lactantium, ut cognatum & ejusdem argumenti, pariſque nitoris & elegantiæ ſcriptorem, in uſum juventutis chriſtianæ, cui tot annis ſtudia dicavi mea, novo habitu a me veſtitum ornatumque, emitto, & ut teſtem honeſtiſſimi, ut puto, facti & adprobatorem habeam, nuncupatione nominis tui clariſſimi emitto, tibique illum do, dico atque*

 dedi-

dedico. Heic Cellarius contra ſuavitatem peccaſſe videtur, quoniam ſine elegantia vox *emitto* repetita ſit. *Cicero ad diverſos* 1.2.3. *itaque cum ſententia prima Bibuli pronuntiata eſſet, ut tres legati regem reducerent: ſecunda Hortenſii, ut ſine exercitu reduceres: tertia Volcatii, ut Pompejus reduceret: poſtulatum eſt, ut Bibuli ſententia divideretur*: in his Ciceronis poteſt quoque notari repetitio vocis *reducere* ac dijudicari, num ſuavitati ſtili vim quamdam adferat, nec ne? quumque ſuavitas a ſtilo removetur, ubi in periodo quadam formulas dicendi eaſdem uſurpemus, opus eſt permutatione ac varietate, cujus elegans exemplum extat IV. 19. *rhet. ad Herenn. ei non multum poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi firmius in virtute, quam in caſu, præſidium collocavit; in contrario, hoc modo: nam ſi quis ſpei non multum collocarit in caſu, quid eſt, quod ei magnopere caſus obeſſe poſſit? in concluſione, hoc pacto: quod ſi in eos plurimum fortuna poteſt, qui ſuas rationes omnes in caſum contulerunt; non ſunt omnia committenda fortunæ, ne magnam nimis in nos habeat dominationem*.

§. VI.

Heic quædam de excerptis, uti dicuntur, latinæ linguæ ſubjicere, non alienum erit ab hoc capite. Ratio humani ingenii, & memoriæ poſtulat omnino, ut optima quævis colligamus & excerpamus. Excerpta latinæ linguæ triplicis generis eſſe debent: alia ſunt grammatica; alia ſtili purioris; alia philologica. Quod ad excerpta latinæ linguæ *grammatica* adtinet, velimus, ut cultores linguæ hujus adhibeant *Cel-*

larii

larii breviſſima præcepta, teutonice conſignata, eaque ad uſum ſuum ita adcommodent, ut inter ſingulas paginas purior charta ponatur, in qua obſervationes, quæ regulas grammatices vel confirmant, vel deſtruunt, vel illuſtrant, notentur. Excerpta *ſtili purioris* eo ſpectant, ut copiam vocum phraſiumque vere latinarum nobis adquiramus: quam ob rem conſultum eſſe, ſupra ſignificavimus, ſi indices latinitatis, ſingulari ſtudio elaborati, perlegantur diligenter. Hos indices itidem cum puriore charta conjungere, non ab re erit, ut ibi formulas, voces, conſtructiones, quæ omiſſæ ſunt, ſubnotemus, eaſque diligenti meditatione tradamus memoriæ. Denique excerpta latinæ linguæ *philologica* ſpectant ad vocum auctoritatem & ſignificationem, quæ lexicis commode adponuntur, ex quibus id, quod *Fabro* debemus, negotio huic optime inſervit. Varii de hoc argumento expoſuerunt, ac diverſam excerpendi rationem commendarunt: legendi ſunt *Drexelius* libro, quem inſcripſit *aurifodinam*: *Barth. Kekermann conſil. log. de loc. comm.* c.8., *Titius manuductione ad excerpendum* p.1., *Jacobus Thomaſius conſilio de loc. commun. comparandis erotem. rethoricis* addit. p.66. ed 3., *Ant. Poſſevinus bibl. ſelect.* tom. II. lib. 18. cap. 16. p. 501., *Caſp. Sagittarius* de *imitatione Ciceron.* p. 95., *Jo. Schefferus* de *ſtilo* cap. XI. XII. p. 126., *A. Stubelius* exercitatione academica de *excerptis adornandis*; *D. G. Morhofius polyhiſtore litterario* III. 3. ſeqq., *Jo. Matth. Geſnerus inſtitutione rei ſcholaſticæ* cap. II. ſect. III. §. 18. p. 78., *Georg. Nicol. Kriegk* in *conſt. rei ſcholaſt. Ilefeld.* p. 162., *Sacchinus* de *ratione libros le-*

gendi cap.IX. ſeqq., *Th.Crenius* in *tr.ſcript. de philolog.* p. 291. *Plinius* VI. *epiſt.* 20. num. 5. *poſco librum Titi Livii & quaſi per otium lego, atque etiam, ut cœperam, excerpo*. II. 5. 10. de auunculo ſuo: *æſtate, ſi quid otii, jacebat in ſole: liber legebatur: adnotabat excerpebatque; nihil enim legit, quod non excerperet, dicere enim ſolebat: nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua parte prodeſſet*.

CAPUT XIV.

De Imitatione.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Summa capitis bujus §. I.

Illuſtratur hiſtoria doctrinæ de imitatione, ubi primum oſtenditur, quomodo veteres Romani Græcos auctores ſint imitati §. II.

Deinde agitur de Ciceronianis; ac controverſiæ, quæ de illis agitatæ fuerunt, recenſentur §. III. IV.

Tum commemorantur ſcriptores de imitatione, qui & generatim de iſta §. V.

Et ſpeciatim de imitatione Ciceronis expoſuerunt VI.

Illuſtrata bujus doctrinæ hiſtoria, explanatur ipſius imitationis indoles atque oſtenditur, quid & quotuplex iſta ſit §. VII.

Quidve ſit obſervandum de imitatione rerum §. VIII.

De imitatione ſtili §. IX.

De imitatatione latinita-

tatis §.X. Denique oſtenditur, quomodo exercitatio in imitatione ſit inſtituenda, ubi primum explanatur, qui ſint imitandi §.XI.XII. XIII. Deinde quomodo ipſa imitatio ſit inſtituenda. §. XIV. XV. XVI.

Tertium ſubſidium, quod ad perficiendam latinæ linguæ culturam commendavimus, *imitatio* eſt, cujus doctrinam ita explanare animus eſt, ut quæ ad hiſtoriam hujus doctrinæ pertineant, adtingamus. deinde quæ vera ſit imitationis indoles, monſtremus: tum quomodo exercitatio in imitando inſtituenda ſit, doceamus.

§. II.

Eum igitur ordinem dicendorum de imitatione nobis præſcripſimus, ut quæ ad hiſtoriam doctrinæ hujus pertineant, primum adtingamus. Varia hiſtoriæ hujus occurrunt capita, pro argumenti noſtri ratione breviter enarranda. Quodſi antiquitatis monimenta, ea præcipue, quæ nobis diverſos modos litteras colendi apud veteres Romanos aperiunt, perluſtramus; videmus ex illis, quod ad culturam græcæ ac romanæ linguæ & imitationem adtulerint, atque in illa tempus ſtudiumque poſuerint, quam in rem illorum & dicta & exempla abunde teſtantur. *Plinius* VII. *epiſt.* 9. ait, utile inprimis eſſe, *ex græco in latinum & ex latino vertere in græcum*: jubet quoque, *quæ legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quaſi æmulum ſcribere lectisque conferre ac ſedulo*

dulo penſitare, quid tu, quid ille commodius. *Quinctilianus X. 5.: vertere græca in latinum veteres noſtri oratores optimum judicabant*; ac paullo poſt: *ſed & illa ex latinis converſio multum & ipſa contulerit*: per hanc autem converſionem re ipſa imitabantur ea, quæ vertebant;hacque ſtili exercitatione verborum ac ſententiarum copiam ſibi comparabant, ac videbant rationem connectendi periodumque conficiendi,ad quam tanquam exemplum,quæ ipſi ſcribebant, poterant componere. Quam multum dederint imitationi veteres latini auctores, ipſorum demonſtrant monimenta, in quibus clariſſima documenta imitationis ac ſimilitudinis inter hæc atque illorum ſcripta, quos æmulati ſunt, habemus. Quoſdam horum imitatorum recenſere,ab inſtituto noſtro haud alienum eſt: pertinent ad illorum ordinem

Terentius, qui non ſolum multa debet Menandro, ut ipſe fatetur *prologo Andriæ*;loca autem,quibus eum imitatus eſt, collegit *Andr. Schottus*; verum etiam Plautum imitatus videtur, quam in rem loca adnotata ſunt in editione *Martini Hugenii*, & *Pareus* ſcripſit de *imitatione Terentii Plautina*:

Cicero, de quo *Quinctilianus* X. 1. *inſtit. orat.* dicit: *M.Tullius quum ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet,effinxit vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis*. Inprimis imitatus eſt Demoſthenem, cum quo eum jam olim contulerat Cæcilius Siculus,quod & poſtea præſtitit *Plutarchus*,quamvis vitæ tantum habuerit rationem, & noſtra ætate libro gallico *Rapinus*: oſtendit quoque *Nicol. Cauſſinus* de *eloquentia ſacra & humana* lib.

lib. III. cap. 16. p. 175., quomodo Cicero imitatus ſit Demoſthenem.

Salluſtius, qui a *Vellejo Paterculo* II. 36. 4. dicitur *Thucydidis æmulus*.

Virgilius, qui itidem imitator fuit Græcorum, præcipue Theocriti in eclogis, Heſiodi in georgicis, atque Homeri in Æneid.: vide ex antiquioribus *Gellium* IX. 9., *Macrobium* V. *ſaturnal.*; ex recentioribus vero *Jul. Cæſ. Scaligerum poët.* lib. V. cap. 4., *Henric. Stephanum* in *obſervat. in Virgilianas & Naſonianas Theocriti imitationes*, *Fulvium Urſinum* in *Virgilio græcorum ſcriptorum collatione illuſtrato*, Antwerp. MDLXVIII.; *Philippi Caroli animadverſiones in Gellium* p. 387., *Rapini obſervationes in poëmata Homeri & Virgilii*, *Jo. Alb. Fabricium bibliotheca græca* lib. II. c. 7. p. 153. & *latin.* lib. I. c. 12. p. 227., *Jacob. Thomaſium* de *plagio litterario* p. 254.

Cornelius Severus, quem fuiſſe imitatum Manilium, obſervat *Gorallus*, ſive qui ſub hoc ficto nomine latet, *Clericus ad Ætnam* p. 90. 91.

Tacitus, qui dicitur legiſſe Thucydidem ac Polybium, quos & ſit imitatus.

Silius Italicus, imitator Virgilii, cum quo & eum contulit *Alexander Roſæus* libro I. *Virgilii triumphantis*.

§. III.

Quum bonæ litteræ, abſterſo ſqualore ac depulſis barbariei tenebris caput ſuum in Italia extollerent ibique ea tempeſtate ſedem ſuam figerent, multorum animos tanta erga

Cice-

Ciceronem ſtudia occupaverant, ut ex Tulliano fonte omnem eruditionem ſapientiamque hauriendam eſſe crederent: in Tulliana dictione omnem eloquentiæ laudem ponerent, ac quem non unice cum Cicerone loqui videbant, illius muſas barbaras eſſe exiſtimarent: nimius ſane hic amor erat, ac quam obſervabant, ratio imitandi ſervilis. Quocirca ut huic ſervituti obviam irent ac libertatem vindicarent, nonnulli ſuperſtitioſum Ciceronem imitandi modum caſtigarunt, quod materiam diſceptationis inter eruditiſſimos viros de Ciceroniana imitatione ſuppeditavit. Ad illorum ordinem, qui ipſi ſibi hujusmodi ſervilem legem præſcripſerunt atque unicum Ciceronem ad imitationem ita commendarunt, ut omnia verbis Tullianis exprimenda eſſe exiſtimaverint, merito referri debent *Chriſtophorus Longolius*, *Petrus Bembus*, *Jacobus Sadoletus*, *Marius Nizolius*, *Paullus Manutius*, de quibus ſupra in enarratione meritorum, quibus Itali latinam linguam ornarunt, diximus; item *Lazarus Bonamicus*, qui nimio Ciceronis amore captus, declaravit, *ſe magis velle loqui ut Cicero, quam eſſe Pontificem Romanum*, aliique. Contra hos diſputarunt, quibus hoc imitandi genus haud placebat, in eam ingreſſi ſententiam, quod præter Ciceronem & alii auctores, quorum oratio ſua caſtitatis ac perſpicuitatis virtute niteat, ad exemplum ſint proponendi. Ita *Angelus Politianus* lib. IX. *epiſtolar.* num. 16. ad Paullum Corteſium declarat, quod ineptos Ciceronis imitatores laudare nequeat: *non enim*, inquit, *probare ſoles ut accepi, niſi qui lineamenta Ciceronis effingat: mihi vero longe honeſtior*

neſtior tauri facies, aut item leonis, quam ſimiæ videtur, quæ tamen homini ſimilior eſt: *nec ii, qui principatum tenuiſſe creduntur eloquentiæ, ſimiles inter ſe, quod Seneca prodidit*: *ridentur a Quinctiliano*, *qui ſe germanos Ciceronis putabant eſſe*, *quod his verbis periodum clauderent*: *eſſe videantur*; quid autem *Corteſius* ad hæc reſponderit, patet ex ipſius epiſtola, quæ ibidem num. XVII. legitur. De eadem re per litteras diſputarunt *Petrus Bembus*, & *Io. Franciſcus Picus*, quorum illum unice Ciceroni in ſcribendo deditum fuiſſe ſcimus; hic autem hujusmodi ſervitutem haud tolerandam eſſe intellexit: vide *Andreæ Schotti Tullian. quæſt.* lib. II. p. 148. ſeqq., & *Caſparem Sagittarium* de *imitatione Ciceronis* p. 47. Ecquis neſcit, quod *Eraſmus* ſcripſerit *Ciceronianum*, atque in iſto ineptos Ciceronis imitatores perſtrinxerit; ad quod notandi ac caſtigandi negotium juſta inductus ſententia, potuiſſet accedere, ſiquidem & juſtum cenſuræ modum tenere voluiſſet, nec æquo acerbius adverſus Ciceronem ejusque ſectatores ſentiendo, nimis liberam imitandi rationem commendaſſet: quamobrem quum alios voluerit notare, ipſemet graviſſimorum virorum cenſuras eſt expertus. Compoſuit adverſus illum *Jul. Cæſar Scaliger* tam acerbas declamationes, quarum inſcriptio eſt *eloquentiæ romanæ vindices*, ut Scaligerum in hac diſceptatione omnem modeſtiæ legem neglexiſſe, multa adverſus Eraſmum dixiſſe convicia, nec uti decet, ſolitam per argumenta diſputandi rationem eſſe ſequutum, jam dudum eruditiſſimi viri obſervarint: ſed tamen teſtatur filius in *excerptis Scaligerianis* p. 140. 141., quod hæ ora-

orationes propter acerbitatem, cujus poſtea ipſum patrem pœnituit, aliaque, quæ contra Eraſmum ſcripta fuerint, ſuppreſſa ſint: vide *D. G. Morhoſium* in *polyhiſtore litterario* 1. 23. 14. ſeqq. Præter Scaligerum cauſſam Ciceronis, præcipue Longolii adverſus Eraſmum agere voluit *Stephanus Doletus* in hac diſceptatione Scaligero modeſtior; conſcripſit enim *dialogum de imitatione Ciceroniana pro Longolio contra Eraſmum*, qui prodiit Lugduni MDXXXV.: acceſſit *Jacobus Pontanus*, qui volum. I. *progymnasmat.*, itidem hunc Eraſmi dialogum perſtrinxit. Extat quoque epiſtola *Julii Pflugii* ad Menzerum de *Ciceroniano Eraſmi*, in qua inter alia hanc de argumento hoc declarat ſententiam: *nunc vero de Ciceroniano Eraſmi, quando ita tibi videtur, cognoſce; feram autem judicium, non hercle magis, quod exiſtimem me adferre poſſe, quod te fugiat, quam ut tibi amantiſſimo mei morem geram: ac ne longum faciam, ſi tanta eſſet verborum ſilva apud Ciceronem, ut omnia quæcunque ad dicendum proponerentur, illis ipſis explicare poſſemus, fortaſſe neque Eraſmus, neque quiſque alius Ciceronem ſolum in ratione latine loquendi viſitandum eſſe, negaret: ſed quum ille non omnia, de quibus dicendum eſt, fuerit perſecutus, ſi de quacunque re propoſita loqui velis, vocabula multa ab aliis auctoribus ſunt mutuanda: hinc ſtatuit Eraſmus, etiam alios bonos auctores imitandos eſſe; nam ita mihi ille ſentire, aut ſentire debere videtur. Ego vero quanquam concedo, multa propria rerum vocabula in Cicerone deſiderari, eaque, ſi opus ſit ex aliis auctoribus ſumi oportere: tamen illud affirmare poſſum, ſi*

quis

quis Ciceronem ſolum recte imitetur, eum latinius, aptius, atque ornatius de quacunque re propoſita dicturum eſſe: quam quemque alium. Nam illud inter eruditos ſatis conſtat, duo eſſe vocabulorum genera, alterum quidem publicum, alterum privatum; illud convenire in omnia, hoc autem ſingularum ſcientiarum eſſe proprium. Publico Ciceronem abundare præclare intelliget, quicunque ſcripta ipſius diligenter cognovit; etenim ſive docere velis, ſive delectare, ſive monere, ſuppeditabit Cicero verba, quibus id commode poſſis facere. Nulla eſt enim in ullo genere orationis laus, cujus non perfectio aliqua (ipſe dixit conatum, ut par fuit gratum viro de facultate ſua ſtatuendi) in ſcriptis ejus eluceat: quare ſi quis talem, tamque præclaram facultatem conſecutus fuerit, quid erit, de quo ille non perbene latine loquatur? Neque vero me movet illud, quod dici ſolet, privata quædam vocabula ab aliis auctoribus petenda eſſe; quaſi vero non poſſimus aliquem recte imitari, ſi in ea ipſa imitatione adhibeamus aliqua, quæ aliunde ſumta ſint. An cenſes eum, qui in meditatione armorum, aliquem præclare imitetur, ejusque ſimilis ſit in inceſſu & toto corporis motu, ſi forte aliud armorum genus arripiat, ab illius, quem imitatur, ſimilitudine, receſſurum? hic ne erres; quanquam tu quidem minime erras, ſic habeo: imitationem eam eſſe rationem, ut veſtigia alicujus æterna perſequamur, quatenus tales, qualis eſt, efficiamur: invenitur hæc epiſtola tom. 11. *monimentor. pietat. & litterar. virorum* p. 34. Referunt quoque nonnulli, quod Eraſmus diſceſſerit a priſtina ſententia de Ciceronianis, amplexus meliorem ac mitiorem, quam in rem *Andreas*

Schot-

Schottus Tullianar. quæſtion. lib. 11. p. 193. ad hæc Eraſmi verba ex *procemio in Tuſculan. quæſt. Cicer.* provocat: *mihi puero minus arridebat Cicero, quam Seneca, jamque natus eram annos viginti, priusquam ferrem diutinam ejus lectionem, quum ceteri ſ æne omnes placerent. An ætatis progreſſu profecerim, neſcio; certe numquam mihi magis placuit Cicero tum quum adamarem illa ſtudia, quam nunc placuit ſeni, non tantum ob divinam quamdam orationis felicitatem, verum etiam ob pectoris eruditi ſanctimoniam: profecto meum afflavit animum, meque mihi reddidit meliorem. Itaque non dubitem hortari juventutem, ut in hujus libris evolvendis, atque etiam ediſcendis, bonas horas collocent potius, quam in rixoſis ac pugnacibus libellis, quibus nunc undique ſcatent omnia: me vero, tametſi jam vergente ætate, nec pudebit, nec pigebit, cum meo Cicerone redire in gratiam; priſtinamque familiaritatem, nimium multis annis intermiſſam renovare.* Verum alii monent verba hæc quidem declarare, quod magnifecerit Ciceronem; minus vero, quod probaverit Ciceronianorum conatus. At quæcumque rei hujus ſit ratio, id certum eſt, libro huic Eraſmi a quibuſdam magnum ſtatui pretium, qui ipſam adverſus Ciceronianos cenſuram in ſe juſtam eſſe credunt, atque ingenii vim ac ſermonis feſtivitatem, quæ in hoc libro adpareat, admirantur. *Jo. Clericus bibl. ſelect.* tom. XII. p. 3. laudat præcipue tres Eraſmi libros, *colloquia* quippe, de *recta pronuntiatione utriuſque linguæ*, ac *Ciceronianum*, hæcque opera æternum duratura pronuntiat. *Jo. Fabricius* in *hiſtoria bibliothecæ* part. I. p. 363. adpellat hunc

hunc dialogum *ſuaviſſimum atque ingenioſiſſimum* : atque in re ipſa non multum diſcedit ab Eraſmi ſententia *Frid. Taubmannus differtat. de latina lingua*, quando p. 38. dicit: *ſed pergo ad illos, de quibus ſecundo loco quærebas, Ciceronianos, qui utplurimum in Italia olim ſub Leone X. valuerunt: illi, viri alias doctiſsimi, neque noſtris in hac etiam Germania, niſi a religione, aſpernabiles, calore quodam gloriæ (ponam interea hanc cauſſam) præcipites agebantur in novam quamdam hæreſin, ut religionem putarent dicere aliquid, vel ſcribere quod prius a Cicerone dictum ſcriptumve non eſſet. Itaque operoſe verba Tullii ſublegebant, ſtruebant & quodammodo coagmentabant, ſeque totos in ea cura elocutionis conſumebant; ut fieret ſcilicet illud Lucilii:*

Quam lepidæ lexes, compoſtæ ut teſſerulæ omnes
Arte pavimenti, atque emblemate vermiculatæ!

Quod ipſorum inſtitutum præter uſum profecto eſt, præterque rationem: non ipſe Cicero, gloriarum alioquin avidior, ſi reſurgat, umbratilem illam meticuloſamque ſuorum verborum trepidationem unquam probaret: malletque vivus eſſe C. ille Macer in Bruto ſuo, quam ejuſmodi Cicero umbraticus. Atqui quæ Taubmannus adverſus ſervilem Ciceronis imitationem ediſſerit, veram omnino ſententiam declarant: nec ſane ipſe Cicero, ſi vivus ſuperſtitioſos ſuos imitatores audiret, aut illorum monimenta legeret, hujusmodi ſervile inſtitutum poſſet probare, nec in iſto laudem eloquentiæ Tullianæ ponere. Denique ſunt, qui Eraſmi ſcriptio-

nem,qua Ciceronianos vehementer atque acerbe adgreſſus eſt, ſi non laudant; tamen excuſare videntur: ita *Camerarius* in *Tuſculan. Ciceron. comment.* lib.1. p.137. credidit, *Eraſmum pravitate quorumdam ad quamdam velut iniquitatem deductum potius eſſe,quam voluiſſe nocere eximiæ rei.* Id ſane,ubi omnia accurate velimus expendere, haud negandum eſt, quod imitatio Ciceronianorum digna fuerit cenſura, inprimis quum hæreſis hæc facile aliorum animos potuiſſet occupare, ac rectam Ciceronem imitandi indolem depravare:id autem in Eraſmi libro vitioſum eſt ac vituperandum, quod juſtum modum cenſuræ haud tenuerit ac fervore diſputandi abreptus, quædam acerbius adverſus Ciceronianos dixerit. Ipſe *dialogus*, de quo jam varia eruditorum virorum judicia memoravimus, prodiit ſeparatim Baſil. MDLVIII. Toloſ. MDCXXI., ac conjunctim cum aliis Eraſmi ſcriptis tom.1. *operum*. Orationes autem Scaligeri contra Eraſmum lucem publicam viderunt Toloſæ MDCXXI., cujus libri hæc eſt inſcriptio: *Julii Cæſaris Scaligeri adverſus Eraſmum orationes duæ, eloquentiæ romanæ vindices: una cum ejusdem epiſtolis & opuſculis aliquot nondum vulgatis; quibus de novo etiam accedunt problemata Gelliana, ut reperiri potuerunt*: adde *Petrum Baelium* in *dictionar.in Eraſmo* ac *Doleto*, & *Joachimi Friderici Felleri moniment. var. inedit.* p.405.

§.IV.

Præter Eraſmū illud hominum genus,quod in

in ſermone latino plane nihil, niſi quod Ciceronianum eſt, voluit probare, perſtrinxerunt alii: nominandus ex illis eſt *Henricus Stephanus*, qui edidit *pſeudo Ciceronem, dialogum, in quo non ſolum de multis ad Ciceronis ſermonem pertinentibus; ſed etiam quem delectum editionum ejus habere ac quam cautionem in eo legendo debeat adhibere, lector monebitur*, MDLXXVII.: in quo Stephanus varia monet adverſus Ciceronianos, præcipue quod Ciceroni ſuo adfingant voces, quas ipſe haud uſurpaverit; quodve in ſua imitatione nullum vocum, præcipue quando occurrant dubiæ, num vere ſint Tullianæ, nec ne, delectum habeant. Neque non ad hoc argumentum ſpectat diſſertatio, cujus paullo ante in hac cauſſa mentionem fecimus, *Taulmanni* de *latina lingua*, quæ prodiit Vitembergæ MDCXIX.; diſſerit quoque in iſta de Ciceronianis atque expreſſe declarat, ſe rationem illam ſervilem, quam in Ciceronis imitatione ſequerentur, haud probare poſſe. Alia habemus graviſſimorum virorum, qui latinæ linguæ extiterunt periti atque accurati judices ac cenſores, teſtimonia adverſus Ciceronianos, ex quibus nonnulla recenſere, haud alienum eſt a ſcriptione noſtra. *Gerardus Jo. Voſſius inſtitut. orator.* lib. IV. p. 14. hunc in modum pronuntiat: *& optimo profecto jure optimus fere ac doctiſſimus quiſque iſtiusmodi ineptos Ciceronianiſtros, ſive ſi malis, Ciceronianos, (quandoquidem eo nomine, parum licet Ciceroniani, ſe jactant) perpetuo culparunt damnaruntque; neque enim omnibus de rebus ſcripſit Tullius, ideoque nec omnium rerum vocabula peti poſſunt e ſummo quidem illo, attamen*

non ſolo latinæ linguæ auctore : deinde multa a Cicerone dicta, quæ non ſcripta, ac multa ejus interciderunt, in quibus, quæ nunc reformidant, legerentur; quod magis pateret, ſi exſtarent Statilii Maximi libri de ſingularibus Ciceronis : *multa quoque ſcripturus fuerat, ſi diutius fuiſſet ſuperſtes: denique in iis ipſis, quæ ſuperſunt, innumera iſtis hominibus ignota inviſaque inventa & eruta ſunt a præſtantiſſimis ingeniis, quæ ſi uſurpemus, quid flagitii committatur?* *M. Antonius Muretus orat.* XV. volum. II. *inde extitit enectum quoddam & famelicum, & ut ego interdum vocare ſoleo, dilutum eloquentiæ genus hominum exiſtimantium, bene dicendi laudem in eo poſitam eſſe, ut ne ullum vocabulum ponas, quod non ex Cicerone ſumſeris, quamvis fatue atque inſulſe loquaris, ſine ullo acumine, ſine ullo pondere ſententiarum, dummodo unum illud obſerves, ipſius te Ciceronis fraterculum fore* : adde *Jacobi Thomaſii* præf. præmiſſam *Mureti orationibus* p. 9. ſeqq. Quum & hujusmodi ſuperſtitioſi Ciceronis imitatores, quando de rebus religionis chriſtianæ diſſerunt, voces ac formulas, quæ deorum cultum ac paganam impietatem ſapiunt, uſurpant, ne in ulla re dictionem Tullianam deſerant; caſtigarunt ſpeciatim conſuetudinem hanc viri eruditiſſimi, ac ſcriptione chriſtiana indignam eſſe pronuntiarunt. Laudatus *Jacobus Thomaſius* edidit diſputationem rhetoricam *de ſtili ethnicismo circa jurandi adverbia fugiendo*, Lipſ. MDCLXV. : addantur, qui itidem de Ciceronianis tractant eorumque imitandi Ciceronem ratione, *Jo. Ludovicus Vives* lib. IV. *de corrupt. diſciplin.*, *Franciſcus Floridus Sabinus*

nus lib. 1. cap. 2. *lection. ſubciſ.*, *Chr. Becmannus manuductione ad latin. lingu.* p. 42., *Caſpar Sagittarius* de *imitatione Ciceronis* p. 52., *Daniel Fridericus Janus* in doctiſſima diſſertatione de *nimio latinitatis ſtudio*, quæ primum prodiit Lipſiæ MDCCXII., deinde adjecta eſt illius comment. de *doctoribus umbraticis*, Viremberg. MDCCXX. Id addimus, quod in ipſa Germania agitata fuerit controverſia inter Ciceronianos, ac Philippicos; quoniam hi cum Philippo Melanchthone in verba Ciceronis jurare nolebant, cujus mentionem facit *Frider. Taubmannus* in *diſſert.* de *latina lingua* p. 36., quamvis rationem ſectæ Philippicæ imitatorum aliter declaret: *porro*, inquit, *ſtili aliquot formas, ſive caracteres, vel ut tu adpellas, ideas, & velut auctorum ſectas recenſes, quæ hodie juventutem exerceant, atque in iis primum nominas Philippicam; de qua ego quidem quid dicam, profecto neſcio: fortaſſe & ipſe Philippus, ſi reviviſcat, hic hæreret & miraretur, ſe ut ducem & anteſignanum ad eloquentiam poni, & orationem ſuam pro exemplo citari latinæ orationis, qui olim ex hoc ipſo loco, voce & calamo juventutem ad vetus iſtud Romanorum, nominatim Ciceronis exemplum unice duxiſſet.*

§. V.

Requirit doctrinæ hujus hiſtoria, in qua illuſtranda adhuc verſati ſumus, ut ſcriptores, qui de imitatione ſunt commentati, recenſeamus, quorum duo ſunt genera. Alii generatim ea tradiderunt, quæ ad ipſam imitationis indolem explicandam pertinent, cujuſmodi au-

ctores antiqui ævi ſunt *Ariſtoteles*, *Cicero*, *Quinctilianus*, qui quum de arte rhetorica præceperint, ſimul de imitatione expoſuerunt. Recentior ætas multa tulit ingenia, quæ ſtudia ſua ad hoc ſtili formandi caput illuſtrandum contulerunt, ex quibus laudandi ſunt

Matthæus Dreſſerus in oratione de *libris*, *quos legere & de orationis genere*, *quod imitari ſtudioſos decet*, quæ una cum alia de *modo parandi facultatem ſermonis elegantis & cognoſcendi hiſtorias* prodiit MDXCVI.

Jo. Sturmius, qui ſingulari ac multiplici induſtria in hoc argumento accurate ac ſolide explanando elaboravit, ut veteris elegantiæ exempla, quæ alii imitarentur, commendaret. Edidit libros de *imitatione oratoria* lib. III. MDLXXVI., alios de *amiſſa dicendi ratione*; item *exercitationes rhetoricas* ad Philippum Comitem Lippianum MDLXXVII. quas doctiſſimus *Jo. Henr. Ackerus* novis exſcribendas formis atque animadverſionibus quibusdam illuſtrandas curavit Rudolſtad. MDCCXV.

Franciſcus Floridus Sabinus in *lectionibus ſubciſivis*, quæ extant in *Jani Gruteri theſauro critico* tom. I. p. 996.; ubi auctor exponit inter alia argumenta etiam de auctorum lectione, atque imitatione.

Lilius Gregorius Gyraldus in epiſtola de *imitatione*, quæ addita eſt ejusdem *operibus* conjunctim editis, Lugd. Batav. MDCXCVI.

Caſpar Scioppius de *rhetoricarum exercitationum generibus*, *præcipue de recta Ciceronis imitatione, deque orationis latinæ vitiis ac virtutibus*, Amſtelod. MDCLX.

Ger. Jo. Voſſius, qui edidit librum de *imitatio-*

tatione cum oratoria, tum præcipue poëtica, deque recitatione veterum, Amſtel. MDCXLVII.

Juſtus Lipſius in *inſtitution. epiſt.* I. cap. XI.; *Jo. Schefferus* de *ſtilo atque illius exercitiis* cap. V.; *Jacobus Maſenius* in *palæſtra ſtili romani* lib. I. cap. 8. ſeqq. aliique, qui de ratione ſtili, aut ſpeciatim conſcribendarum epiſtolarum præceperunt, quos ſingulos heic recenſere, ſupervacaneum eſt, quum ſupra illorum inſtituta fuerit enarratio.

Daniel Georgius Morhofius in *polyhiſtore litterario* lib. II. cap. 13. ſeqq.

Jo. Fungerus de *puerorum diſciplina & recta inſtitutione* cap. X.: qui liber extat in tractat., quos inſcriptos de *eruditione comparanda* conjunctim edidit *Th. Crenius* p. 292.; qui & animadverſiones, quæ nonnulla de imitatione capita illuſtrant, adjecit:

Chr. Weiſius, qui Lipſiæ MDCXCVIII. edidit librum teutonice ſcriptum: *curioſæ cogitationes de imitatione*:

Jo. Aug. Krebſius in *inſtitutione brevi de imitatione verborum & rerum*, Coburg. MDCCIX.

Jo. Laur. Moshemius in *diſſertatione de latinæ linguæ cultura & neceſſitate*, quam præmiſit *Fohetæ* libris de *latinæ linguæ uſu & præſtantia*. Præmiſſa quoque eſt ſcriptoribus, qui ſub inſcriptione: *de elegantiori latinitate comparanda ſcriptores ſelecti ſtudio Richardi Keteli* Amſtelod. MDCCXIII. conjunctim prodierunt, præfatio de *ratione imitandi optimos latinæ linguæ ſcriptores*.

Fridericus Andreas Hallbaver, qui edidit *collectionem præſtantiſſimorum opuſculorum de imitatione oratoria*, Eraſmi, Dornmejeri, Jo.

Pici

Pici Mirandulæ, Bembi, Politiani, Corteſii, Preys, Pflugii, & Sturmii, ac præmiſit diſſertationem de *ſectis imitatorum*, Jenæ MDCCXXVI.

§. VI.

Qui ſpeciatim de imitatione Ciceronis egerunt, quamvis diverſo inſtituto, nonnullis ſervilem imitationis Tullianæ conditionem laudantibus, aliis vero libertatem commendantibus; memorandi ſunt

Eraſmus in *Ciceroniano*, de quo, ut & illis, qui adverſus illum pro Cicerone ejusque eloquentia imitanda ſcripſerunt, *Scaligero*, *Deleto*, *Pontano* paullo ante copioſe diximus:

Chriſtophorus Preyſſ in *oratione de imitatione Ciceroniana*, quæ acceſſit ejusdem *vitæ Ciceronis* MDLV.

Variorum epiſtolæ, ab eruditis viris de hoc argumento, quum de Ciceronianis multa diſputarentur, ſcriptæ atque utriusque partis ſententias ac rationes declarantes. Extant epiſtolæ mutuæ *Jo. Fr. Pici*; & *Petri Bembi*; *Angeli Politiani*, & *Paulli Corteſii*: habemus quoque ejusdem argumenti epiſtolam *Paulli Manutii*, quæ legitur lib. I. *epiſtolar.* num. IV.; & *Julii Pflugii* binas, quarum altera ad Menzerum de *dialecticis Græcis ac Ciceroniano Eraſmi* reperitur in *monimentis pietatis ac litterar.*, quæ prodierunt Francof. ad Moen. MDCCI. part. II. p. 34.; altera ad Joachimum Camerarium in *epiſtolis Gothanis* p. 5., quas edidit *Ernſtus Salomon Cyprianus* Lipſiæ MDCCXIV.

Jo-

Jo. Sambucus in *dialogis de imitatione a Cicerone petenda*.

Andreas Schottus, qui edidit libros IV. *Tullianarum quæſtionum de inſtauranda Ciceronis imitatione*, Antwerpiæ MDCX.

Caſpar Saggittarius in *commentatione de lectione atque imitatione Ciceronis, in qua præter alia ſingularia facilis & expedita excerpendi ratio oſtenditur*.

Daniel Georgius Morhoſius in *polyhiſtore litterario* lib. II. cap. 13.

Andreas Julius Dornmejerus in *diſſertatione de vitioſo Ciceronis imitatore*, quæ primum *Voſſii* libro de *latinitate ſelecta* addita prodiit; deinde iſtam adjecit *Hallbaverus collectioni ſcriptorum de imitatione oratoria*.

Jacobus Burckhardus in præfatione de *neceſſitate imitationis*, quam præmiſit *rhetoricæ Ammonis*, Coburg. MDCCXV., ut de nonnullis aliis taceamus.

§. VII.

Poſtquam quæ ad hiſtoriam doctrinæ hujus pertinent, breviter enarravimus, ad ipſius imitationis indolem ac varietatem explanandam accedimus. *Imitatio* eſt ſtudium, quo nos ad ſimilitudinem aliorum conformare adnitimur, quodve in variis humanis rebus, etiam litterarum diſciplinis ſuſcipi poteſt: ſpectat præcipue doctrina de imitatione ad præcepta eloquentiæ ac ſtili, hæcque eſt apta & perpetua rationis dicendi conformatio ad ſimilitudinem aliorum. *Auctor rhetoricorum ad Herennium* 1. 2.: *imitatio eſt, qua impellimur cum di-*

ligenti

ligenti ratione, ut aliquorum ſimiles in dicendo velimus eſſe. *Jo. Sturmius*: *imitatio eſt vehemens & artificioſa animi adplicatio ad eas laudes adipiſcendas, quas in oratore putas excellere: ut ſi non ſuperare, at quam ſimillimus atque par eſſe videaris*. Inter omnes convenit & clariſſimo uſu compertum eſt, ſermonem parari quotidiana imitatione: tantum abeſt, ut ad latinæ, vel cujusvis peregrinæ linguæ cognitionem ſine imitationis ope perveniamus, ut ipſius vernaculæ ſcientiam debeamus imitationi; loqui enim diſcimus, quæ ex aliis audimus. Hinc *Philippus Melanchthon* epi*ſtola* quadam ad Joach. Camerarium: *ego nullius generis artificem ſine imitatione fieri poſſe ſtatuo; tantum abeſt, ut poëtam, aut oratorem futurum eſſe putem, qui nullum ſibi certum exemplar proponit, ad quod quaſi manum dirigat*. At cave, ne plagium litterarium, quod crimen eſt, cum imitatione, quæ eſt laudandæ induſtriæ, confundas: vide *Jacob. Thomaſium* de *plagio litterario* p. 58. 60. 67. 254.; quam in rem *Jo. Sturmius* libro de *exercitationibus rhetoricis*: *te hoc loco oportet tenere ſententiam, verba ſemper & ſententiarum formulas inter ea bona numerari, quæ ſunt univerſitatis & nullius propria; in quorum uſurpatione nemo de furto, aut vi actionem debet metuere: & idem Cicero in ſe fieri pati debet, quod ipſum non puduit in aliis facere*.

§. VIII.

Imitatio eſt vel *rerum*, vel *verborum*: prius genus, quod ſpectat ad ipſas *res*, ad id referr-

fertur,ut aliorum exempla in inventione, argumentis,ſententiis æmulemur, atque uti res poſtulat, dictionem illorum ſequamur ſimul. *Xenophon* medio *Cyri orationis*,quam moribundus habuit p.235. ſic loquitur: *te quoque, mi Cambyſes, ſcire volo, non aureum hoc ſceptrum eſſe, quod regnum tibi conſervet; ſed animi fideles regibus & veriſſimum & tutiſſimum ſceptrum ſunt. Fidi qui ſint, eos abs quovis homine tales effici, neceſſe eſt; parantur autem non vi, ſed potius beneficentia: at vero qui eodem ſemine prognati, qui fieri poſſit, ut non omnium ſint conjunctiſſimi?* Hunc *Salluſtius* de *bello Jugurth.* cap. x. orationis, quam Jugurtha habuiſſe dicitur,quum ſibi finem adeſſe intelligeret, ita imitatus eſt: *non exercitus,neque theſauri præſidia regni ſunt; verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio, & fide pariuntur: quis autem amicior, quam frater fratri?* Imitatio *verborum* duplex eſt, ac commode poteſt dividi in *imitationem ſtili*, & *latinitatis*: illa ſpectat ad orationis formam, modum compoſitionem, vim,elegantiam ipſarum periodorum;hæc ad dictionis caſtitatem, & proprietatem. Hæc diverſa imitatio diverſæ quoque ætati reſervanda eſt; verba, & ſimplices locutiones primæ ætati conveniunt: adoleſcentiam alunt & oblectant elegantia,tropi,figuræ; adulta demum ætas formam,modum,ac vim ſermonis intelligit & imitatur. Quo de nomine nonnulli imitationem verborum dividunt in *puerilem*, & *virilem*: illa verba, ſive ſimplicia, ſive conjuncta; hæc ipſam orationis formam effingere conetur; videatur *Caſpar Sagittarius* de *imitatio-*

tatione Ciceron. §.XXXI. p.63.

§. IX.

Imitatio ſtili eſt ſtudium, quo ipſius orationis formam, ac periodorum & ambitum & indolē compoſitionemque, atque ipſius ſermonis virtutes, ſuavitatem, perſpicuitatem, & caſtitatem ad ſimilitudinem aliorum effingere atque exprimere conamur: qualis eſt indoles ſtili, talis & indoles eſt imitationis. In quovis ſtilo conſiderantur & forma, & virtutes: quod ad ſtili formam, ſive caracterem adtinet, nititur iſta præcipue ratione periodorum, num ſint longiores, an breviores; num exprimant genus ſublime, an humile, an mediocre. Virtutes ſtili ſunt caſtitas, perſpicuitas, & ſuavitas: duæ itaque imitationis ſtili ſpecies oriuntur, altera eſt imitatio caracteris; altera imitatio virtutum ſtili. Imitatio caracteris primum in eo conſiſtit, ut ſermonis noſtri periodos modo longiores, modo breviores, modo medias ad ſimilitudinem aliorum formemus, easque exempli cauſſà ad exemplum Plinii, Taciti, Mureti perficiamus: quod imitationis genus non ad primam, ſed adultam ætatem, & id ingenium pertinet; quod ſui ipſius indolem, & ſcriptorum genus dicendi cognoſcere poteſt, & ejusmodi eligit auctorem, qui ſibi ipſi convenit; recte enim *Chr. Veiſius epiſtol. ſelectior.* LXXXIII. p.184. ait: *ſtilus ex auctorum lectione juvatur quidem, ſed non formatur, quippe qui ſequitur indolem ingenii*; & paucis interiectis: *inde ſufficit, juvenibus inſtillari latinis mos h.e. genuinam phraſium conſtructionem, & connexio-*

xionum indolem; cetera vero cuivis ingenio committenda ſicubi jam in academiis realium fundamento jacto, realibus quæ vocantur elegantiis ſtudere diſcant. Deinde ad hoc imitationis genus pertinet, quando ſermonem modo magnificum, modo mediocrem, modo humilem ad aliorum ſimilitudinem effingimus, ac Livium propter ſtilum ſublimem, Ciceronem in quibusdam propter ſtilum mediocrem, Cæſarem propter ſtilum humilem imitamur. Imitatio virtutum ſtili, & primum *caſtitatis* ad exempla aliorum ſectatur voces puras ac caſtas: *perſpicuitatis* removet omnia, quæ ſermonem reddunt obſcurum, itidem ad exemplum illius, quem quis imitandum ſibi propoſuit: *ſuavitatis* vero aurium judicio, & adſidua lectione probatorum ſcriptorum perficitur: uſus ſane efficit, ut non aliunde adſcitum & coactum videatur, ſed proprium ac ſponte fluens. In imitatione integrarum orationum ridiculum erit, eumdem prorſus numerum & verbum pro verbo retinere; ſuave autem eſt, liberius, nec tam arcte & anxie, ſe ad imitationem conferre. Nec audiendi ſunt, qui exiſtimant, ſeſe Ciceronis, Livii aliosque numeros adſecutos eſſe, quando ſemper ab *etſi*, *ego vero*, a dandi caſu, vel plurium ſyllabarum vocibus exordiuntur, aut hæc, vel alia extremo ponunt, cujusmodi ſunt: *exſpecto, conſequere, eſſe voluerunt, eſſe videantur, poſſimus, arbitrarer, ſummo ſtudio diligenterque curabo mei, tui, nunquam*, quaſi auctores uno tantum exitu delectentur. Sæpius evenit, ut gravitati rei aptior ſit longe alius quidam numerus; requiritur, ut aurium ju-

dicium adhibeas, nec tamen rude ac ſibi relictum; ſed uſu frequenti, multaque lectione ſubactum: maturiori ætati hæc doctrina tantum convenit.

§. X.

Imitatio latinitatis conſiſtit in eo, ut aliorum voces ſimplices, & conjunctas imitemur: vocum conſideratur cum auctoritas, tum proprietas: propter auctoritatem voces & formulæ ſunt vel puræ, vel impuræ; ac propter proprietatem vel propriæ, ſive nativæ, vel translatæ & metaphoricæ. Hinc iterum duplex oritur imitatio latinitatis, quarum altera eſt imitatio *latinitatis puræ*; altera imitatio *latinitatis translatæ*. Primum differendum eſt de *imitatione pura*, qua imitamur & ad uſum noſtrum transferimus aliorum puras phraſes, voces ſimplices, patticulas, quod fit modo *ſimpliciter*, modo *ornate*: *ſimpliciter* hoc fit: quando locutiones & verba ita adhibemus, prout illa in auctore deprehendimus, quamvis fieri nequeat, ut unum argumentum omnia complectatur: quibus de cauſſis hujusmodi voces ac phraſes memoriæ mandandæ ſunt, ut pro dicendi materia, quæ offertur iſtas paratas habeamus. Ad hanc imitandi rationem multum facit, ut varietatem locutionum in uno argumento auctoris cujusdam obſervemus; e. g. *Cicero* de *officiis* III. 5. habet: *tollit* convictum humanum & ſocietatem: *diſrumpi* eam, neceſſe eſt; *debilitari & interire* totum corpus neceſſe eſt; ſocietas hominum & communitas *evertatur* neceſſe eſt; qui conjunctionem homi-

minum *dirimunt*; c.6. *diſſolvetur* omnis humana conſortio:quæ ſententia omnem ſocietatem *diſtrabit* civitatis.In imitatione particularum maxima ſermonis virtus poſita eſt, ex quibus connexio ſpiritum trahit,cujus fons eſt rerum ordo & illuſtris explicatio. Varia genera ſunt harum particularum:aliæ locum habent in rationibus exponendis: aliæ in rebus conjungendis:aliæ in contrariis, aut in ſimilitudinibus; quumve diverſa ratio eſt particularum latinæ linguæ ac vernaculæ,lectione ſcriptorum hoc periculum ſuperandum eſt. Ut autem feliciter in hoc ſtudio & imitatione particularum verſari queas, primum inquire in ſententias propoſiti ſermonis; deinde iis probe cognitis & perceptis, connexionis rationem evolve: ſane in hoc mira veterum induſtria elucet;vel quum variant particulas connectentes;vel quum variare negligunt,(nam ne hoc quidem temere) vel quum caute diſcernunt atque eligunt; vel etiam quum proſpere ſupprimunt & occultum nexum quærunt, uti loquitur *Jo. Lud. Praſchius roſeto ſtili* pag.84. Exemplo illuſtrabimus hanc particularum imitationem. *Cicero* lib.IV. ad *diverſos* epiſt. VII.ita ſcribit ad Marcellum:*qui non idem conſilium,quod tu,ſecuti ſunt, eos video in duo genera eſſe diſtractos; aut enim renovare bellum conati ſunt ii, qui ſe in Africam contulerunt; aut quemadmodum nos victori ſeſe crediderunt: medium quoddam tuum conſilium fuit,qui hoc fortaſſe humilis animi duceres, illud pertinacis.* Simili fere modo in dedicatione *epiſtolarum Jo. Sturmii Jo. Henr. Ackerus* ſcripſit: *amicos ſapientiſſimus vir in duo genera videbat eſſe*

diſtractos; *aut enim utilitate ſua ducebantur ii, qui familiaritates conſtituerant*; *aut diligebantur callidi deliciarum arbitri, ac vinorum erudituli cenſores, interque ſcyphos turpiter illudentes : tertium quoddam genus fuit, qui hoc humilis animi arbitrabantur, illud pecuniæ nimium devoti* : adde *Jo. Aug. Krebſii inſtitut. de imitatione verborum & rerum* cap. VI. p. 32. Hæc locutionum imitatio fit quoque *ornate*, ne illas ſemper ita adhibeamus, ut nihil unquam mutetur; namque ſic res verbis, non verba rei adcommodarentur, quod a vera imitatione eſſet alienum, quæ requirit aptam conformationem, ut res non adcommodentur verbis ſubinde conceptis, ſed verba rebus. Atqui hoc commode perficitur *additione*, *detractione*, ac *permutatione*: in *additione* locum habent epitheta, alia nomina, particulæ, in principio, medio, & extremo orationis, quę non anxie conquirenda ſunt, ſed prout memoria, uſus, & res ipſa ſuppeditat conjungenda & interponenda. *Detractio* removet, quæ ſuperflua videntur, ut his remotis ſtilo & ſcribendi indoli ornatus & elegantia accedant, quod fieri poteſt, quando ſcriptores Aſiaticos legimus, qui verbis abundant; ſic quando *Livius* lib. XXIII. 22. dicit : *id omnium maxime tegendum, occulendum, obliviſcendum, pro non dicto habendum eſſe*; hoc exprimi poteſt brevius : *inprimis illud tacendum, vel oblivioni tradendum*; item quæ habet libr. XXXVI. 4. : *pollicentes ad bellum auxilia, & pecuniam, & frumentum*; ita reddi poſſunt conciſe : *belli ſubſidia pollicentes*. Denique ad *permutationem* ſpectat omnis variatio *nominum* per caſus, numeros, qualitatem, compa-

parationem: nomina permutantur variatione caſuum ac numerorum, quando nomen eadem ſignificatione, pro diverſa conſtructione adjectarum vocum diverſas habet formas. *Aug. Buchnerus* de *exercitat. ſtili* p. 665. libri de *commut. rat. dicendi: poſthac easdem ſententias, aut ebrias, vel alias quoque (ut plures condiſcat) per omnes caſus mutata verborum conſtructione, flectet tyro; hæc enim prima illa janua portaque eſt, per quam ad variandam orationem & expeditam ſermonis copiam aditus patet: ſæpe uſu venire ſolet, quibus dicendum ex tempore eſt, ut ſudent ac hæreant, cum hoc, vel alio caſu exorſi ſermonem, quomodo perducant ad finem atque abſolvant, non habent; niſi turbare conſtructionis ordinem, & in loquendi peccare præcepta velint.* Nomina quoque permutantur, quum adjectivum pro ſubſtantivo, vel ſubſtantivum pro adjectivo; proprium pro adpellativo, adpellativum loco proprii ſumitur; atque in comparatione, quando unus gradus pro altero ponitur. Porro fit permutatio *verborum*, *adverbiorum*, *conjunctionum*. Imitatio *latinitatis translatæ* difficilioris ſtudii eſt: notare decet diligenter diſcrimen inter metaphoras oratorum & poëtarum, ne in omni oratione promiſcue adhibeantur: non ubique figuræ elegantiam efficiunt; namque ſunt quædam dicendi genera, uti epiſtolæ familiares, dialogi, diſputationes, quæ omnino carent hoc ornatu, aut certe ita habent, ut minime ſentiatur: attamen figuræ non frequenter uſurpandæ ſunt, nec tropi ad omnia poſſunt transferri; ſed in eodem, vel ſimili genere locum habent: ſic dicere poſſum *forma caduca*, *fragilis*: minime vero

ro *aurum caducum, fragile*: item *ingenium divinum* notum eſt; at *veſtis divina* haud convenit: confer *Aug. Buchnerum* de *commutata ratione dicendi* lib.1. cap.2.

§. XI.

Hactenus de indole ac varietate imitationis: reſtat, ut oſtendamus, quomodo exercitatio in imitatione ſit inſtituenda, ubi primum diſpicere debemus: *qui ſint imitandi?* Non eadem ſunt ſententia, qui de hoc ſtili capite præceperunt: nonnulli exiſtimare videntur, heic non opus eſſe doctore quodam, uti *Angelus Politianus epiſt. ad Corteſium* lib. IX. epiſt. 16., *Eraſmus* in *Ciceron.*, & *Juſtus Lipſius* cent. IV. *miſcell. epiſt.* 52. dicit: *ubi ſola imitatio eſt & huic adhæremus: quid fit? perſona ſcenica: & ut quidam magnorum virorum habitum, atque inceſſum, aut geſtus imitantur, cetera & interna diſpares; ſic dictiunculas, aut clauſulas aliquas Tullii ſi forte referimus, ad vim & venerem ejus non adſpiramus*. Omnino negotium ſtili exemplar ſibi depoſcit, præcipue quum latinus ſermo tantum ex veterum monimentis perdiſcendus & cognoſcendus eſt: fluctuans, vagum, incertum, & diſſolutum eſt eorum dicendi genus, qui non habent certum magiſtrum, quem ſequi ſtudeant. Sed quos potiſſimum ſequamur in tanta veterum, & recentiorum multitudine? num unum, an multos duces eligamus? ſunt, qui unum, præcipue Ciceronem ſibi elegerunt: id conſtat de Chriſtophoro Longolio, Petro Bembo, Jacobo Sadoleto, Mario Nizolio, Lazaro Bonamico atque

aliis

aliis Ciceronianis, de quibus paullo ante copioſe diximus. *Joachimus Camerarius comment. in Ciceronis Tuſculanam primam* lib. 1. p. 22. ſcribit; *uni certo propoſito, conſtitutoque exemplo & formæ mens oculique intendentur. Hoc ego exemplum, formam hanc & ideam eſſe volo, Ciceronianos libros: hos ego veteres, hos optimos adpello: ab his in hac voluntate ac inſtituto diſcedi turpe; ad alios diverſos concedi flagitioſum eſſe exiſtimo.* *Jo. Sturmius* lib. 1. cap. 4. de *imitatione oratoria: quæri ſolet, qui imitandi ſint? neque dubium eſt, quin optimum exemplum potiſſimum deligendum ſit. Ex quo conſtat, optimum oratorem in primis æmulandum eſſe: & inter optimos apud latinos; etiamſi reliquorum exſtarent litterarum monimenta; tamen nemo Cicerone eſſet præſtantior, cui omnium judicio primæ ſemper datæ ſunt partes:* adde *epiſtolas Gothanas* cura celeberrimi *Erneſti Saloman. Cypriani* editas *epiſt.* v. p. 5. Alii Ciceronis imitationem, ſervilem præcipue haud probarunt, uti Angelus Politianus, Jo. Franciſcus Picus, Eraſmus aliique, quorum & paullo ante fecimus mentionem: plurimi ea ſunt opinione, quod unus aliquis præ ceteris perpetuo infixus eſſe debeat oculis & animo, quem alii comitentur. *M. A. Muretus* in *variis lect.* lib. xv. cap. 1. p. 390.: *diu & ipſe in eo errore verſatus ſum, ut niſi qui aut Ciceronis ætate, aut paullo ante vixiſſent, aut certe illi ætati ſuppares fuiſſent, non ſatis dignos eſſe arbitrarer, quorum exemplo, qui latine aut ſcribere, aut loqui vellent, niterentur. Sed poſtea, re tota mecum accuratius conſiderata, viſus ipſe mihi ſum,*

nimio plus mihi ſumere, qui de Seneca, Livio, Valerio, Celſo, Quinctiliano, Columella, utroque Plinio, Tacito, Svetonio, Vellejo, Q. Curtio, Lactantio, aliisque ejusmodi ſcriptoribus, quos & iis ipſis temporibus, quibus latina lingua floruiſſe diceretur, propius adſuiſſe, & ſuo quemque ſeculo diſertiſſimos habitos eſſe conſtaret, temere pronuntiare auderem, &c.

§. XII.

Æmulemur optima quæque & imitemur ea, quæ maxime excellunt in eo, quem ſequimur; quis autem ſit ille optimus? adhuc diſputatur: miſſis aliorum ſententiis, rem, ut ipſi cognovimus, brevibus exponamus. Pro diverſo imitationis genere diverſi erunt optimi: datur imitatio formarum ſtili, virtutum illius, & latinitatis: dantur quoque ſcriptores, qui in hoc genere excellunt, in alio vero ſunt inferiores; hinc ſi quis imitari ſtudet exemplar ſtili conciſi, rectius ſibi Tacitum, Plinium eligit, quam Ciceronem; & qui in hiſtoricis magnificum ſcribendi genus exprimere conatur, ille in Livio clarius & ſplendidius exemplar, quam in Cicerone, aut alio ſcriptorum quodam deprehendere poteſt. Diſtinguamus itaque iterum imitationem ſtili & latinitatis, & hanc primæ ætati reſervemus, quæ ſimplices locutiones & phraſes, inprimis quod ad earum auctoritatem caſtitatemque adtinet, imitatur: in imitatione latinitatis varii perlegendi, evolvendi, excerpendi, diſcrimine ac delectu adhibito, quem & in lectione horum ſcriptorum adhibendũ eſſe ſupra monuimus: præcipue ex Cicerone haurien-

rienda eſt copia dictionis ad imitationem, cum quo conjungendi ſunt Cæſar, & Nepos, qui ſua caſtitate & nuda elegantia multum ad culturam ſtili conferent: deinde alii adiici poſſunt, quos capite de lectione commendavimus, in quorum monimentis ita verſari decet, ut quæ ſint illuſtriora, nec in Cicerone reperiantur maximamque vim habeant, eligantur; quæ vero in Cicerone habes meliora, non opus eſt, ex aliis colligere; namque rerum diverſitas interdum exigit, ut alium quemdam Ciceroni adjungamus, qui non potuit de omnibus rerum argumentis ſcribere. Excerpamus autem ea, quę excellunt in eo, quē ſequimur; neque tantū ea quæ facilia ſunt, aut pæne vitioſa: *nihil eſt facilius*, teſte *Cicerone* lib. 11. cap. 22. de orat. *quam amictum imitari alicujus, aut ſtatum, aut motum; ſi vero etiam vitioſi aliquid eſt, id ſumere & in eo vitioſum eſſe, non magnum eſt*. Non amplectamur inaudita & rara vocabula, quæ ſcriptoribus fortaſſe exciderunt, aut temporum vitio in libros illorum introducta; nec captemus exilia & tenuia. Quod ad eam imitationem ſtili adtinet, quæ continetur in quadam periodorum menſura, ſcriptor eligendus erit, qui ingenio noſtro & indoli illius reſpondet, quoniam hæc ſcribendi forma a natura dependet; hinc *Cicero* de Sulpicio dicto loco de oratore: *omnino in illud genus eum Craſsi magnificum atque præclarum natura ipſa ducebat; ſed ea non ſatis proficere potuiſſet, niſi eodem ſtudio atque imitatione incidiſſet, atque ita dicere conſueſſet, ut tota mente Craſſum atque omni animo intueretur*. Qui amat Aſiaticum dicendi genus amplum copioſum, longiores pe-

rio-

riodos, longiora commata & cola habens, ille legat Ciceronem: quem delectat Atticum, quod preſſius quodammodo, nec vero conciſum, illius ingenio reſpondebit etiam Cicero in quibusdam; generi autem Laconico, quod breve eſt & conciſum, Tacitus & Plinius junior ſatisfacere poſſunt: quodſi ſtili virtutes, caſtitatem, perſpicuitatem, atque elegantiam adſequi velimus, unus eſto M. Tullius Cicero, qui imitandus eſt, quippe qui eo majorem fructum adfert, quo magis ad genus copioſum & amplum proclives ſumus.

§. XIII.

Speciatim nunc de *imitatione Ciceronis* dicamus: qualis indoles eſt ſtili Ciceronis; talis indoles eſt imitationis illius. Stilus Ciceronis in ſuo caractere multum eſt diverſus, quum in quibusdam mentis ſenſa explicat copioſe, in aliis conciſe; aut ſervat, quod eſt medium inter longum ac breve: neque non forma interdum eſt ſublimis; in aliis mediocris, aut humilis. Sic exemplum ſtili circumducti & ſublimis reperies lib. 1. *ep.* 1. ad *Quintum fratr.*; ſtilus maxime conciſus eſt lib. XVI. *ep.* 5. ad *diverſos*: mediocris ſtili exempla, ratione habita cum periodorum, tum dictionis, habes lib. 1. *ep.* 8. 6. ad *diverſ.* Verum quum Ciceronis ſermo plerumque copioſus eſt, in hoc genere ſit præclariſſimum exemplum, quod ad imitandum nobis debeat proponi: accedunt eminentes & illuſtres illius virtutes, caſtitas, perſpicuitas, & ſuavitas, quæ in illo ita conſpicuæ ſunt, uti in nullo alio hujuscemodi ſcriptorum: quibus

de

de cauſſis Ciceronis imitatio in eo conſiſtit, ut orationem copioſam & elegantem, gravem, caſtam, perſpicuam ad Ciceronis exemplum formemus. Quemadmodum artifices omnes proponunt ſibi præſtantiſſimum exemplum, inepte plane ſermonis latini cultores agunt, qui non optimum atque eminentiſſimum exemplum ſequi inſtituunt: quum viri graviſſimi multorum ſeculorum una conſenſione teſtantur & re ipſa exploratum eſt, Ciceronem aliis Romanis ſcriptoribus longe præſtare, *horum conſentiens judicium contemnere & inferiorum ætatum auctores imitandos potius arbitrari, hominis eſſe, cui vel pudor omnis perierit, vel minime ſanum ſinciput ſit, atque helleboro indigeat*, judicavit *Caſpar Scioppius conſultatione* 11. *de ſcholarum & ſtudiorum ratione*. *Plinius* major *volumina Tullii ediſcenda, non modo in manibus quotidie habenda eſſe*, ſcribit præfatione *hiſtoriæ natur*. *Quinctilianus X.* 1. dicit: *ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit*: quo loco idem auctor eſt, Livium epiſtola ad filium ſcripſiſſe, *legendos Demoſthenem atque Ciceronem*. *Seneca epiſt.* CI.: *lege Ciceronem: compoſitio ejus una eſt, pedem ſervat, curata, lenta, & ſine infamia mollis*. Sed tamen alia Ciceronis imitatio eſt ætatis primæ, qua pueri obſervant Ciceronis voces ac phraſes, & ad uſum ſuum transferunt: alia eſt ætatis firmatæ, qua adultiores reſpiciunt ad ornatum, elegantiam, & ſuavitatem periodorum exemplo Ciceronis, & ſermonem ſuum in diverſis rerum argumentis rite formare condiſcunt, præeunte duce Cicerone. Obſervant hujuſcemodi imitatores, quid præclari inſit in epiſtolis Tullii ejuſ-

ejuſdemque orationibus, & ſubnotant diſcrimen ſtili, quo conſcriptæ ſunt: legunt Tullii ſcripta philoſophica, quumve in eodem argumento verſantur, in dialogis quippe & diſputationibus, ad normam illorum quoque orationem ſuam conformant. *Quinctilianus* lib. x. cap. II. dicit: *quapropter exactiſſimo judicio circa hanc partem ſtudiorum examinanda ſunt omnia: primum quos imitemur; nam ſunt plurimi, qui ſimilitudinem peſſimi cujusque & corruptiſſimi concupierint: tum in ipſis, quos elegerimus, quid ſit, ad quod nos efficiendum comparemus; nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitioſa, & a doctis inter ipſos etiam mutuo reprehenſa, atque utinam tam bona imitantes dicerent melius, quam mala pejus dicant.* Fugiamus itaque in Cicerone, quæ ab orationis virtute aliena, uti ſunt rariora vocabula, verſus in ſoluta oratione, profanæ jurandi formulæ & alia, quæ paganorum religionem ſapiunt.

§. XIV.

Quodſi habeamus, quem in oratione formanda ducem ſequi debeamus, porro genuina imitationis indoles requirit, ſervilem imitandi rationem devitare ac libertatem pro argumenti, de quo exponendum eſt, conditione conſervare. Ita enim auctorem imitari, ut haud aliud quidquam, niſi quod illius ſit, uſurpetur, ſervile eſt ac vitioſum; namque primum haud omnia, quæ veterum ſunt, poſſumus imitari, quia ætas noſtra varia minime admittit, cujuscemodi ſunt: *dicere ad clepſydram: deſcen-*

dere

dere de roſtris:curiam in roſtris defendere : patres conſcripti, pro ſenatu minoris oppidi; *depontanus* pro ſene ; *mehercule* , *mecaſtor* , *edepol* , *pol* , & alia : vide *Chriſt.Becmannum manud. ad ling. latin.* cap.x. p.59. Deinde de veteribus , iisque optimis ſcriptoribus dici poteſt : bonus Homerus nonnunquam dormitat , prout ſupra copioſe exempla protulimus , quæ ſi quis imitari inſtitueret , illum plane inepte agere , exiſtimaremus . Tertium neceſſe eſt , nova quoque interdum recipere vocabula , prout ſunt Chriſtianorum *fides* , *baptiſmus* , *ſacramentum* , *ſpiritus ſanctus* , *eccleſia catholica* , *apoſtolus* , *paradiſus* , *purgatorium*, *monachus*, *diaconus*; jure conſultorum *vaſallus* , *hypotheca*, *reſcriptum* , *cancellarius*,*parlamentum*, *allodium*; medicorum *ſirupum*,*electuarium* & alia.Quum autem nobis in præſens occaſio offertur, de jure augendi latinam linguam diſſerendi , paucis argumentum hoc explanare , nobis eſt animus : duo ſunt, quæ in hac controverſia diſtincte conſideranda eſſe putamus, quorum alterum eſt *uſus* ; alterum *auctoritas* horum vocabulorum. Quod ad *uſum* adtinet novorum vocabulorum , inſtituunt quæſtionem:num hujusmodi novas voces uſurpare in latina lingua liceat? quam adfimare cum aliis haud dubitamus,ita ut in linguæ hujus integritatem caſtitatemque haud injurioſi ſimus . Noſtra ætate multæ novæ res inventæ ac productæ ſunt,antiquitus incognitæ, quod conſtat cum de ſcientiis eruditis,tum de rebus ſpectantibus ad vitæ humanæ uſum, quas & novis vocabulis,quum antiqua deſint, efferre & declarare , omnino neceſſe eſt ; hinc

ipſe *Cicero* libri III. pr. *de fin.* : *Stoicorum autem non ignoras, quam ſit ſubtile, vel ſpinoſum potius diſſerendi genus; idque cum Græcis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda ſunt imponendaque nova novis rebus nomina : quod quidem nemo mediociter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cujus uſus vulgaris communiſque non ſit, multam novitatem nominum eſſe, quum conſtituantur earum rerum vocabula, quæ in quaque arte verſentur. Horatius art. poëtic.* v. 48.

Si forte neceſſe eſt,
Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum, &
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget : dabiturque licentia ſumta prudenter.

M. A. Muretus vol. I. *orat.* 10. judicat, *ſtultam eſſe quandam & ineptam religionem, non audere, in philoſophia uti vocabulis, quæ poſtea cuſa ſunt, ubi nempe vetera romana vocabula, quibus iſtas res exprimamus, non habeamus. Scaliger exercit.* I. *ad Cardan.*: *non verſamur in foro, aut in romano comitio; ſed in communi theatro ſapientum, ſub oculis veritatis, cujus ſuppellectilem atque apparatum non tam nitidum, quam opulentum eſſe decet*: adde *Jo. Sturmium* de *linguæ latinæ reſolvendæ ratione* cap. IV. & X. *Jo. Vorſtium* de *lat. merito ſuſpect.* cap. I. p. 10, *Joach. Langium* præf. libri de *ſtilo latino*, *Thom. Crenium not. ad tractat. de philolog.* p. 137. Ipſi veteres Romani exemplo ſuo præire videntur, quum vel peregrinas integras voces in latinam linguam receperunt; quod de ipſo Cicerone notum eſt, eum uſurpaſſe græca vocabula:

bula: vel flexione ita eas formarunt,ut aliquid latinitatis ſapere videantur. *Curtius* uſurpavit Perſarum vocabula, *gazam*, *acinacem*, *ſatrapam*, *Bagoam* & alia. *Julius Cæſar* habet voces gallicas, quibus interdum flexiones latinas addidit. *Seneca epiſt.* CXXIII. de græco vocabulo latinæ orationi inſerendo ſic judicavit: *utor illo, non tanquam recepto, ſed tanquam uſitato*. *Fr. Taubmannus diſſert. de latina lingua* p.40.: *quum tamen nemo ſanus dubitaverit, ſi idem ille Cicero cum tanta eloquentia chriſtianus fuiſſet, & pari ſtudio in religionem noſtram & majeſtatem nominis chriſtiani,quo in urbem orbis dominam Romam flagraſſet, ipſum non minus elegans in oratione judicaturum nomen* ſervatoris *noſtri,quam* patris *ſui* patrati: apoſtolorum,*quam* patrum & conſcriptorum: eccleſiam chriſtianam,*quam* rempublicam romanam: cœtum fidelium, *quam* concilium plebis, *aut* deorum: fidem Chriſti ſalvificam, *quam* fidem Flacci ſpectatiſſimam: peccata morituro remittere,*quam* deos ſuperos maneſque illi placare. Adhæc ipſi veteres finxerunt nova vocabula, prout plurima invenit Cicero;ſed excuſat illorum ipſemet novitatem: vide *Andream Borrichium* de *ætat.latinæ linguæ* p.39.: habuerunt quoque voces ſcientiarum & diſciplinarum proprias, quæ communi loquendi uſu haud notæ erant. Qui autem novarum vocum uſum permittunt, recte duo poſtulant,quæ in hiſce verbis ineſſe debeant:quorum alterum eſt, ut ſatis valeant ad exprimendam rem,quam ſignificare debent;alterum ut ἀναλόγως, ſive congruenter ad latine loquentium conſuetudinem fiant: vide *Ca-*

ſpar Sagittarium de *imitat. Ciceron.* §. LIII. p.83. Nec decet cultores purioris ſtili, hujusmodi nova vocabula promiſcue ac ſine neceſſitate uſurpare : ubi habemus vocabula vetuſta ac vere latina, iſta merito novis præferre debemus,ſi & de argumento quodam ſacro,aut philoſophico exponamus. Sane nec omnes elegantiæ a ſacris rebus removendæ ſunt, & omnino exempli gratia eleganter dicere poſſumus *ſacro fonte abluere*, pro *baptizare*; pro *corpore dominico*, *cæleſtes epulæ*;pro *excommunicare*, *piorum communione interdicere*; pro *homo carnalis*, *homo pravis deditus propenſionibus*.Quando autem hujusmodi priores voces non adſunt, latinitatem eccleſiaſticam imitemur,& voces *martyres*,*peccatorum*,*reſurrectionem* & alias uſurpemus: obſcurum eſſet plane, ſi vellemus dicere cum *Bembo* : *deos ſuperos manesque placare* pro *peccata morituro remittere* : *divinæ mentis auram ſuppliciter precari* pro *ſpiritum ſanctum orare*. In ſtilo philoſophico licet quidem ὀνοματοποιεῖν.*Jo.Clericus art. crit.*part.II. ſ.I.c.I. §.9. p.108. : *lectores meminerint hujusmodi notiones,quemadmodum a nobis conſiderantur*, *nunquam fortaſſe animo ullius ſcriptoris romani obverſatas,ac proinde novis rebus nova imponenda fuiſſe vocabula* : *ſic certe fecerunt olim latini,quum primum lingua ſua philoſophari cœperunt*; *quod cur nobis hodie non liceat,nova proferentibus,nulla ratio adſerri poteſt* : adde ejusdem *præfation. ad logicam*. Attamen videndum eſt,ne majori,quam decet, licentia utamur; namque multa in doctrinis philoſophiæ pure, eleganter, & perſpicue poſſunt declarari, quæ a pleriſque ſolent efferri bar-

barbare atque obſcure. Legas *Ciceronis* libros de *officiis*, videbis, quam caſte atque eleganter Cicero philoſophus de multis rebus diſſeruerit, quas noſtra ætas pronuntiat barbare, etiam quando orationis ſectanda eſt caſtitas atque elegantia, deſerit ſuaviſſimam Ciceronis dictionem. Exhibeamus exempla, ac latinitatem philoſophicam, quæ hodieque a ſcholaſticis præcipue ad noſtram ætatem propagata in uſu eſt, cum Tulliana contendamus, ut quale ſit diſcrimen adpareat, eorumque perſuaſio, qui philoſophiam haud elegantiam latinam admittere putant, confutetur: ſic pro homo rationalis *Cicero* dicit de *offic.* 1. 2. 4. *homo, qui particeps rationis*: pro hypotheſis, principium, præſuppoſitum, 1. 9. 7. *eas res ante conſtituimus*; pro ars rabuliſtica 1. 1. 9. *calumnia & nimis callida, ſed malitioſa juris interpretatio*; pro irrationabilis 1. 16. 5. *rationis expers*; pro effectiva poteſtas 1. 21. 15. *efficiendi facultas*; pro abſtractum, abſtractio 1. 17. 12. *cogitatione magis, quam re poteſt ſeparari*; pro genus & ſpecies 1. 27. 14. *generale & alterum huic ſubjectum*; pro harmoria 1. 28. 5. *apta compoſitio membrorum*; inde proveniunt malæ conſequentiæ 1. 39. 9. *multum mali in exemplo eſt*; pro cauſſa efficiens II. 5. 8. *ex quo quid gignitur*; pro ad captum vulgi II. 10. 2. *ad opinionem communem*; pro verum eſt prius, ergo & poſterius III. 6. 5. *verum autem primum, verum igitur & extremum*; pro diſputat pro & contra III. 23. 1. *in utramque partem diſputat*. Ex his exemplis evidenter patet, quam caſte ac pure de rebus philoſophicis diſſeruerit; hinc falſa eſt multorum perſuaſio, quod in hujusmodi argumentis

 eſſi-

caſtitas atque elegantia haud poſſit cuſtodiri. Recte *Olaus Borrichius* orat. III. de *uſu logices* p.125, tom.1. ait: *quam provide Tullius in topicis ſuorum temporum ſcopulos declinat? quam non docte tantum philoſophatur in naturæ quæſt. Seneca, ſed & caſtigate, præfatus etiam veniam, ſi quandoque ad vocem agreſtibus philoſophis uſurpatam ipſi deſcedendum. Ipſe Stagirites non erudite modo philoſophatur; ſed & loquitur emendatiſſime. Quid cultius Plinio: & is tamen totam rerum naturam explicat: quid politius dictione Celſi, qua medendi hiſtoriam omnem complectitur? per hos ductores circumferendi initiati noſtri, ut oris barbari vitia dediſcant, ne dum e cerebro ſtuporem & ſtribliginem philoſophando meditantur abſtergere, eundem linguæ imprimant:* conferri poteſt *Mar. Nizolii* liber de *veris principiis vera ratione philoſophandi*, Parmæ MDLIII., & Francof. MDCLXX. cura G.G. *Leibnitzii*. In adhibendis prorſus peregrinis vocibus formulæ uſurpandæ ſunt, quibus duriter dicta aliquantum lenire poſſumus, cujusmodi ſunt: *ut nunc loquimur, ut ita dicam, ſi ita licet dicere*, quibus & ipſi veteres auctores uſi ſunt.

§. XV.

Hactenus de ipſo uſu novorum vocabulorum: quod autem ad illorum *auctoritatem* adtinet, illa in cenſu latinitatis minime habenda eſſe, in ſe patet; omnis enim auctoritas linguæ cujusdam dependet ex confirmato uſu. Omnium linguarum eadem eſt indoles, quod ſint ſigna, quibus mentis ſenſa exponantur: linguæ di-

diſtinguuntur per gentes, quibus illæ ſunt vernaculæ, utque exempli cauſa ponatur aliquid, dicitur latina lingua *latina*, quia populo veteris Latii fuit vernacula, ab ipſo inventa, aucta & uſurpata; ex quibus conſequitur, ut gens quædam alterius gentis linguam non poſſit augere. Quodſi Germani linguam græcam, aut ebraicam augere ſuſtinerent, nova ab ipſis inventa vocabula eſſent germanica, minus greca, aut ebraica, quamvis ad formam aliarum græcarum, aut ebraicarum vocum eſſent conformata; namque in cenſu aliorum vocabulorum non haberi poſſunt, quum ab ipſa gente græca, aut ebraica neque inventa, neque uſu confirmata ſunt, quod ad auctoritatem vocabulorum omnino neceſſarium eſt. Analogia haud ſufficit fingendis & formandis novis vocabulis: quilibet, qui ingenio non obtuſo eſſet, aliquid adderet, quod ſibi videretur conforme & analogum, atque ita brevi in aliam formam ac plane novam converteretur lingua: vide *Chr. Cellarium proleg. cur. poſter.* p. 9. Ad hæc veriſſime dicit *Olaus Borrichius* orat. de *ſtudio latinitatis puræ* p. 149. tom. 11.: *in nullius hodie manu eſt, etiam diſertiſſimi, ut creditum fruſtra* Mario Corrado, *quidquam innovare, aut huic admiſcere purpuræ, ne paulatim a ſe ipſa degeneret, & a tot gentium nationumque vernaculo ſermone infuſcata tandem ſecundum illud* Horatii:

Turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Cadunt, agnoſco, & renaſcuntur vocabula, ita jubente uſu, in linguis popularibus, hoc eſt toti regioni alicui & vulgo communibus: ſed alia longe

ge ratio eſt latinæ linguæ, quæ nuſquam hodie popularis eſt, nuſquam plebejæ conſuetudinis; ſed vivit duntaxat in ſcriptis antiquorum, in ore ſapientum, quorum non eſt more torrentis cum vulgo abripi, & viciſſitudines ejusmodi moliri. Plura de hoc argumento vide apud *G. J. Voſſium inſtit. orat.* lib. IV. p. 6., *Caſpar. Sagittarium* de *imitat. Ciceron.* p. 61. 84. ſeq., *Aug. Buchnerum* de *commutata ratione dicendi* lib. I. p. 185., *Ad. Rechenbergium* diſſ. de *novitate in republica noxia & innoxia* p. 11. diſſ. 11. faſcic. *diſſert. hiſtorico-politicarum*, *Sam. Groſſerum iſagog. ſtili* cap. 11. p. 14., *D. F. Janum* diſſ. de *nimio latinitatis ſtudio* §. XV. p. 16., *Chr. Aug. Heumannum epiſtola critica de jure augendi latinam linguam* cum reſponſione *M. Wilhelmi* MDCCXIV., quæ & additæ ſunt *Quinctiliani dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ*, quem laudatus *Heumannus* MDCCXIX. recenſuit; *Jo. Jenſium* in *ferculo litterario* p. 10. 11., *Philippi Caroli obſervat. in Gellium* p. 98. 163. 452.

§. XVI.

Equidem in explicanda vera imitationis indole adhuc monſtravimus, quomodo devitanda ſit in hoc litterario negotio ſervitus, ſed nunc porro imitationis cultores admonendi ſunt, ne devitando ſervilem conditionem, ad alterum idque licentiæ atque audaciæ vitium delabantur. Varii ſunt modi vitii hujus, quibus ſtilo labes quædam adſpergi poteſt: nimirum, quando quis conſtituit, ſcriptores promiſcue imitari, immo interdum deſcribere. quan-

de

do nonnunquam graviter & eximie loquitur atque auctoris propoſiti ſenſa excellentia exprimit; interdum autem remiſſius imitatur, ſplendorem & elegantiam omnem deſerit ac nimis humiliter ac demiſſe ſcribit: quando ea, quæ de ſummis rebus dicta, mediocribus, levioribus, aut infimis quibusdam tribuit, adeoque ab uno ad aliud tranſcendit genus: porro quando imitatur rariora, aut quæ inter criticos nondum conveniunt, aut ab analogia & uſitata conſtructione diſcedunt. Denique conſtanter ac ſedulo exercitatio in imitando eſt inſtituenda: quem imitaris, non prius ex animo atque oculis dimittendus, quam ejus vim ac modum dictionis uſu & exercitatione fueris conſecutus: uſus & adſiduus exercitationis labor omnia impedimenta removet, obſcuritatem depellit, & difficultates maximas tandem aliquando ſuperat, niſi te omnino vires animi deficiant.

CA-

CAPUT XV.

De variis ſtili cultioris exercitiis atque argumentis.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Summa capitis hujus §.I.
Primum agitur de variis ſtili exercitiis, ſpeciatimque de variatione §. II.
De verſione §.III.
Carminis ſolutione §. IV.
Stili mutatione §.V.
Stili emendatione §. VI.
Propria elaboratione §. VII.
Deinde diſſeritur de diverſis orationis generibus atque argumentis; de conſcribendis quippe hiſtoriis §.VIII.IX.
Epiſtolis §.X. *ad* XIV.
Orationibus §.XV. *ad* XIX.
Dialogis §.XX.XXI.
Inſcriptionibus XXII. XXIII.
Programmatibus §. XXIV.
Diſputationibus §. XXV.
Libris cum generatim §.XXVI.
Tum ſpeciatim theologorum §.XXVII.
Juriſconſultorum §. XXIIX.
Medicorum & philoſophorum, ubi oſtenditur, quale ſermonis latini genus in quavis horum ſcriptorum ſpecie ineſſe debeat §.XXIX.
Finis totius operis §. XXX.

Poſtquam omnia capita declaravimus, quæ cum ad indolem, tum ad facultatem ſtili cultioris romani comparandam pertinent, reſtat,

ſtat, ut oſtendamus, quomodo ipſa exercitatio ſit inſtituenda hæcque in variis ſcriptionum generibus collocanda, ut harum litterarum cultores ad ſuam metam tuto ac feliciter poſſint pervenire. Primum igitur præcipere animus eſt de ipſis variis ſtili exercitiis: deinde de diverſis orationis generibus atque argumentis, in quibus virtutes ſtili ſe commendare debent, cujuscumque tamen caracteris proprio ac nativo decore feliciter ac bene expreſſo. Id quod quum tradere ſit propoſitum, res ipſa poſtulat, ut dicamus de conſcribendis hiſtoriis, epiſtolis, orationibus, dialogis, inſcriptionibus, ac diverſis ſcriptorum ſpeciebus.

§. II.

De variis ſtili exercitiis præcipiunt, qui cum de arte oratoria generatim, tum de ſtilo ſpeciatim exponunt, quorum ſupra fecimus mentionem: præ aliis in hoc argumento illuſtrando diligens fuit *Jo. Schefferus* de *ſtilo* cap. XIII. XIV. & in *gymnaſio ſtili*, *ſeu de vario ſcribendi exercitio ad exemplum veterum libro*, ubi hac de re agit ex inſtituto, ex quo nonnulla decerpere, placuit *Jo. Gottlieb. Heineccio* in *ſtili cultioris fundamentis* part. III. cap. 3. Nobis diverſa exercitationis hujus genera breviter recenſere atque illuſtrare, tantum propoſitum eſt. Primum genus, in quo puerorum ingenia exercenda ſunt, adpellare ſolent *variationem*, qua ſententiam autoris cujuſdam permutant: dividitur in *grammaticam*, & *rhetoricam*; illa ita inſtituitur, ut ſententiæ verba pro diver-

verſa grammatica nominum ratione per-mutentur, id quod fieri ſolet, ſi pro adjectivo nomine adhibetur ſubſtantivum: pro nomine verbum: pro verbo paſſivo activum: ſi caſus unus ponitur pro altero, ac quæ ſunt alia grammaticæ capita, quorum in hac variatione ratio haberi poteſt. *Rhetorica* fit, quando ſententia aliqua aliis phraſibus, figuris, tropis alioque ornatu oratorio permutatur, quæ non ſolum auctior atque ornatior, verum etiam difficilior priore eſt, hocque nomine iis committenda ingeniis, quæ in his ſtudiis jam quaſdam fecerunt progreſſiones. Ad id poſterius hocce genus præcipue comparatum eſt, ut per illius exercitationem quis pervenire poſſit ad latini ſermonis elegantem atque ornatam copiam, ſibique adquirat facultatem de una eademque re diſſerendi vario ac multiplici modo, ac ſententiam aliquam diverſa efferendi ratione. Sed tamen in utraque cum grammatica, tum rhetorica variatione cavendum eſt diligenter, ne quid fiat contra veram ac nativam latinæ linguæ indolem; id quod interdum evenit, ſi quis modum quendam variationis, quem linguæ indoles haud admittit, nimio ſtudio ac ſine judicio adhibere velit: deinde ne ſententia, quæ in ſe eſt perſpicua, per hujuſmodi mutationem reddatur obſcura; neve quum eſt elegans ac pura, fiat barbara ac minus latina: id quod ut linguæ latinæ cultores atque elegantiæ romanæ cupidi devitent, recte ſibi ſuiſque ſtudiis proſpiciunt, quando præcipue in veterum auctorum lectione varias multiplicesque unius ſententiæ formulas

lo-

locutioneſque obſervant, atque ex ipſo limpido fonte copiam hujus ſermonis hauſtam ſibi comparant.

§. III.

Hujuſmodi exercitatio ſtili quoque eſt *verſio*, quæ duplici modo inſtitui ac ſuſcipi poteſt, ita ut vel e vernacula aliquid transferatur in latinū ſermonem, vel e latino in germanicum pro noſtrarum quippe ſcholarum ratione. Prior modus haud plane reiiciendus eſt, ubi rite adhibetur: nimirum ad tirones præcipue ſpectat, quibus hanc adfert utilitatem, ut grammaticam latinæ linguæ rationem diſcant, ſibique vocabulorum phraſiumque romanarum copiam comparent. Sed tamen quum hæc exercitatio facilem viam ad idiotiſmos germanicos ordinemque ac modum connectendi, qui noſtræ linguæ ſunt proprii, poſſit parare; cavendum eſt, ne diutius, quam par eſt, diſcentium ingenia in hujuſmodi verſionibus exerceantur. Recte quoque magiſtri ſuis alumnis hac in cauſſa proſpiciunt, ſi iſtos diligenter admoneant de diverſitate linguæ romanæ ac vernaculæ, nec ſolum in illorum ſpeciminibus ea emendent, quæ præceptionibus grammaticis repugnant; ſed etiam quæ a genuina ac propria linguæ romanæ indole diſcedunt, ubi ingenia diſcentium hujuſmodi obſervationes atque emendationes capere poſſunt: horum enim ingeniorum ratio omnino habenda eſt; nec conſilia, licet in ſe ſint ſaluberrima atque uſu confirmata, ſuos fructus ferunt, niſi rite ac pruden-

ter adplicentur. Quodſi per tempus quoddam pueri haſce exercitationes inſtituerint atque ita profecerint, ut grammatice ſcribere poſſint, ad habitum quoque romane ſcribendi ſunt adducendi: ad hunc comparandum multum facit alter modus vertendi, quo latina transferuntur in vernacula, ita ut interjecto quodam tempore, teutonica denuo reddantur latina. Eligendi autem ſunt ad hujusmodi verſionem optimi auctores, quorum ſtilus eſt facilis, planus, purus atque elegans, quibus dicendi virtutibus maxime nitent Nepos, Cæſar, Cicero; atque ipſa verſio accommodanda eſt ad genium linguæ teutonicæ, ut utriusque linguæ adpareat diverſitas, ſine cujus cognitione haud videndum eſt, quid cujusque ſit proprium. Quodſi igitur interjecto tempore quæ in vernaculam erant translata, denuo reddita fuerunt latina, verſio hæc latina conferenda eſt cum ipſo auctore, ut adpareat, ubi ſit erratum, quid ſit recte, quid male poſitum, quidve debeat emendari: ſed heic opus eſt accurata diligentia, ut ſingula capita diverſitatis ſtili & in verſione & in ipſo auctore ſtudioſe obſerventur. Non ſufficit ea tantum notare, quæ ad vocabula ac phraſes earumque auctoritatem pertinent, quod quidem in ſe utile eſt ac neceſſarium; ſed animum quoque advertere decet ad periodorum rationem, magnitudinem, nexumque, qui fit per particulas, cujusque plane alia eſt ratio ac in noſtra lingua teutonica: neque non ad numerum, ac quæ ex eo oritur, ſuavitatem, etiam perſpicuitatem, aliasque ſtili virtutes. Nemo autem hæc feliciter obſervare atque expendere poterit, niſi debita cognitione de-

doctrinæ de ſtilo ejusque indole, virtutibus ac vitiis præditus: quo nomine hæc exercitatio requirit ingenia firmiora ac maturiora. Quam utilis illa ſit, res ipſa loquitur; ita enim magiſtro, qui munus emendationis obeat, haud opus eſt, ac quisquis ipſe ſibi conſulere ſuaque, quæ in ſtilo admiſit, vitia videre poteſt ac perſpicere: ſic facili negotio ad facultatem latine loquendi pervenit, eaque obſervandi uberiorem habet materiam, quæ ad genuinam latinæ linguæ indolem pertinent; nec præceptis grammaticis, ſed ſolo uſu atque exercitatione diſcenda ſunt. Ipſi veteres Romani ſuo exemplo hanc in ſtilo proficiendi rationem confirmant ac commendant. *Plinius* lib. VII. *epiſt.* 9. fatetur, utile inprimis, *ex græco in latinum & ex latino vertere in græcum. Quinctilianus inſtitut. orator.* lib. X. cap. 5. dicit: *vertere græca in latinum, veteres noſtri oratores optimum judicabant*; ac paullo poſt: *ſed & illa ex latinis converſio multum & ipſa contulerit.* Hæc veterum effata omnino ad argumentum noſtrum ſunt adplicanda, ſi pro græcis latina, & pro latinis vernacula ſubſtituamus.

§. IV.

Merito ad ſtilum bene atque accurate formandum commendatur *carminis ſolutio*, quando quæ oratione ligata ſunt ſcripta, in ſermonem ſolutum mutantur. Hæc converſio ut rite adhibeatur, neceſſe eſt, ea quæ poëtarum ſunt propria, negligere; contra quæ orationem ſolutam ornant, ſectari atque exprimere: quocirca non ſufficit, a menſura ac ſtructura nexu-

que vocabulorum, prout ſunt in verſibus, abſtinere; ſed & dictio poëtica devitari debet. Equidem hoc exercitationis genus aliis, quæ ante memoravimus, difficilius eſt, hocque nomine ad puerorum ingenia haud ſpectat: adfert tamen ſingularem utilitatem ad perpolienda ſtili romani ſtudia; ex hoc enim facillime cognoſci poteſt differentia ſtili poëtici ac proſaici, ac videri, quid poëtarum, quid oratorum ſit proprium, ac quid utraque oratio & ſoluta & ligata pro ſua indole & propria elegantia requirat. Poetæ multum faciunt ad culturam latinæ linguæ, quoniam ſolliciti ſunt de epithetis aptis, deſcriptionibus, de veris ſynonymis, unde copia verborum hauritur: hinc & hæc per carminum ſolutionem ſunt diſcenda, ac quæ latinitatis cognitio ex ſcriptoribus ſolutæ orationis comparata eſt, magis ornari poteſt atque augeri. Sed magnam eſſe poëtarum diverſitatem conſtat, ſive ad dicendi caracterem, quem exprimunt; ſive ad ipſam latinitatem; ſive ad ſermonis perſpicuitatem atque elegantiam reſpiciamus; quare ut delectus inſtituatur, noſque ubi a facilioribus inceperimus, ad difficiliores progrediamur, ordinis ratio poſtulat: præ aliis huic exercitationi inſerviant Ovidius, Virgilius, Horatius, Silius Italicus. Quam utilis ſit carminis ſolutio, ipſi veteres viderunt, iſtaque non ſine fructu uſi ſunt: nimirum ſolebant non ſolum poëtarum loca menſura ac dictione poëtica ſolvere; verum etiam oratorum dicta in ſua poëmata transferre, quod exemplis comprobat *Jo. Gottl. Heineccius* in *fundamentis ſtili cultioris* part. III. cap. 3. §. 4. Recentiori

æta-

ætate feliciter in hoc ſtudii genere verſatus eſt *Nicodemus Friſchlinus*, qui confecit *paraphraſin* in *Virgilii eclogas*, & *georgica*, librosque II. *æneidos*; item in *Horatii epiſtolas*, atque *Auli Perſii ſatiras*, quæ non ſolum ſeorſim, ſed etiam conjunctim prodierunt, anno quippe MDCII. & iterum MDCVII. ita inſcriptæ: *operum clar. viri Nicodemi Friſchlini, Balingenſis D. oratoris & poëtæ coronati aulæque Cæſareæ Comitis palatini pars paraphraſtica, qua continentur P. Virgilii Maronis bucolica ex Plauto & Terentio, georgica ex Catone, Varrone, Columella & Plinio, Æneidos libri duo priores ex Livio, Cæſare, & Cicerone; Q. item Horatii Flacci Venuſini epiſtolarum libri II.; tum & A. Perſii Flacci Volaterani ſatiræ ſex erudita & eleganti maximeque perſpicua paraphraſi, quæ lectoribus commentarii vice eſſe poterit, luculenter expoſita & enucleata, Francofurti ad Mœnum*: opus hoc eo nomine memoramus, ut qui exempla ad imitationem propoſita deſiderant, ſciant, ubi iſta debeant quærere. Idem tentavit in Horatio, & Juvenale *Eilh. Lubinus* in *periphraſi Horatii*, & *ecphraſi Juvenalis*: vide *Caſp. Sagittarium* de *imitatione Ciceronis* p. 140.

§. V.

Nec ſine fructu a ſtili cultioris ſtudioſis inſtitui poteſt *ſtili mutatio*, qua præcipue quæ ab auctore quodam dicta ſunt copioſe per ſtilum circumductum, aut preſſius per ſtilum conciſum, ita mutantur, ut per coarctationem

quæ ſint longiora, fiant breviora; per amplificationem vero quæ ſint breviora, reddantur longiora. Ita alterius ſtilus circumductus mutatur in conciſum, & conciſus in circumductum: quemadmodum & tertium dicendi genus idque medium eſt, cujus itidem fieri poteſt mutatio, quum aut convertatur in copioſum, aut conciſum. Hocce exercitationis genus qui feliciter adhibere vult, ſcire debet, quid ſit ſtilus circumductus, medius, & conciſus: quid proprium quodvis illorum genus habeat: quæ ſint eorum virtutes quæve vitia. Hæcce ubi per præcepta, quæ ſtili indolem ac diverſitatem docent, cognoverit ſuamque ſcientiam per exempla, quæ legendo auctorum monimenta vidit, confirmaverit; facili negotio poterit judicare, quid in hac exercitatione aut abiicere ac reſecare, aut addere debeat. In hoc autem præcipue converſio hæc continetur, atque aut detractione, aut additione efficitur, pro ſtili mutandi ratione, quæ triplex eſt. Primum converti poteſt *ſtilus circumductus* in ſtilum conciſum, aut medium; quod fit per coarctationem, quando quæ ab auctore copioſe atque cum ambitu quodam dicta ſunt, in breviorem atque diſtrictiorem orationem mutantur. Facile hæc mutatio ab illis ſuſcipi poteſt, qui cauſſam & rationem ſciunt, quæ auctoris ſtilum efficit uberiorem: nimirum ut longiores periodi exiſtant, varia amplificationis genera adhibentur, quum modo ipſius principis propoſitionis, quæ in periodo exprimitur, capita deſcribuntur atque illuſtrantur; modo ornatus atque elegantiæ cauſſa vocabula, epitheta, longioresque phraſes adiiciuntur. Igitur in hac

con-

converſione, quæ amplificationis cauſſa addita ſunt, detrahi debent, atque ea tantum retineri, quæ ad ipſam rem pertinent: exempla ſtili uberioris commutandi in ſtilum concilum ac medium ſuppeditant ex veteribus Cicero in variis ſcriptis, præſertim in orationibus; ex recentioribus vero Muretus, Cellarius atque alii. Deinde converti poteſt *ſtilus medius* in ſtilum circumductum, & conciſum: ille efficitur per amplificationem, ſi quædam ad periodos amplificandas, ſive ſint ſententiæ, ſive tantum verba, epitheta, ac longiores formulæ adiiciantur; hic vero, quando adhibetur adſtricta eorum expoſitio, quæ cum quadam ubertate ſunt dicta ab auctore, eaque ſola retinentur, quæ ad exprimendam ſcriptoris ſententiam maximopere ſunt neceſſaria. In hoc quoque mutationis genere ex antiquioribus Cicero in variis monimentis, in quibus ſtilum medium ſectatus eſt, multa exempla, quæ ita poſſunt converti, exhibet; ejusmodi quoque in recentiorum auctorum, qui laude ſtili romani florent, ſcriptis multa deprehendimus. Denique idem fieri poteſt in *ſtilo conciſo*, qui convertitur in ſtilum copioſiorem, aut medium: quod qua ratione effici debeat, facile ex illis, quæ jam diximus, eſt intelligendum. Namque quum ea ſtili conciſi indoles eſt hocque habet proprium, ut haud quidquam adhibeat, quod ſalvo eodem ſenſu poſſit removeri, ac rerum ſententias adſtrictis brevibusque verbis exponat; converſio illius requirit, ut quæ preſſius ſint dicta ab auctore, per amplificandi fontes & in ipſis ſententiis & in verbis, quæ & ornatus atque elegantiæ cauſſa adiici ſolent, dilatemus: quod

quum

quum varia menſura fieri poſſit, patet, quomodo per hanc converſionem ſtilum cum circumductum, tum medium queamus formare. Exempla, quæ ad hanc mutationis ſpeciem ſunt apta, habemus in Plinio, ac Tacito. Equidē alia ſtili ſunt genera, ſublime quippe, medium, ac humile; ad quæ autem hæc exercitatio non commode adplicanda eſt, ea de cauſſa, quoniam illorum indoles ab ipſis argumentis, de quibus diſſeritur, ſimul dependet.

§. VI.

Præter hanc ſtili mutationem, quæ ad periodorum ambitum ſpectat, inſtitui poteſt *ſtili emendatio*, qua ea, quæ alii habent minus latina nec elegantia, ſed barbara atque inculta, ita emendantur, ut ſtilo caſtitatis atque elegantiæ dignitas concilietur. Requirit hæc exercitatio ſcientiam latinitatis puræ ac barbaræ copiamque latini ſermonis, ut qui iſti ſe tradere velit, judicare poſſit, quid in aliorum ſcriptis male nec latine ſit poſitum, ac quomodo id debeat emendari. Sed tamen non neceſſarium eſt, ad ipſam ſcriptionem accedere, quæ ſint vitioſa delere, novaque ela'ꝛ ..ione ſtilum efficere puriorem atque elegātiorem, quod ſane magis eſſet moleſtum ac laborioſum, quam utile: ſufficit, pro occaſionis ratione, qua aliorum commentationes evolvimus easque legendo quædam deprehendimus, quæ diſcedunt a latinitate atque elegantia, cogitatione tantum vitioſa hæc notare, expendere ac meditari, qua ratione ſint emendanda. Pro vitiorum, quibus alii neglecta latini ſermonis caſtitate, ſtilo labem

ad-

adſpergunt, diverſitate emendatio hæc varia ratione inſtitui poteſt; etenim quum differunt de rebus, de quibus veteres quoque probati auctores expoſuerunt, & nihilominus barbare nec latine loquuntur, emendatio fit ex ipſis antiquioribus ſcriptoribus, quorum vocabula, voces ac phraſes ſubſtituuntur, rejectis barbaris ac quæ minus latine ſunt dicta. Quodſi autem verſantur in enarrandis rebus, quas antiquitas ignoravit, ac de rebus novis nova quoque vocabula uſurpant, quæ latinitatis probatæ auctoritatem minus habent, hoc quidem in ſe haud vitioſum eſſe putamus; artifex tamen cultioris ſtili experiri ac tentare debet emendationem, num res novæ per deſcriptionem, quæ ad antiquiorem cultum ac caſtitatem accedit, ſint exprimendæ. Suo tamen loco ſubſidium hoc rite adhibendum eſt: inſervit præcipue eloquentiæ romanæ, ubi illius vim adſequi atque explicare volumus: quodſi autem tantum docemus, docendi ratio reſpuit ornatum, ac retinemus merito ejusmodi novas voces atque artis vocabula, quæ cum antiquis iisque melioribus haud poſſunt commutari.

§. VII.

Denique ſtilo cultiori egregia ſubſidia parare ſolet *propria elaboratio*, quando iſta ita inſtituitur, ut argumentum quoddam ex proprio ingenio promatur idque abjecta omni verſione, ſtatim latine exponatur: in principio breviora ſpecimina ſufficiunt, quibus ſucceſſu temporis, ſi per conſuetudinem ingenium majores vires ſibi adquiſiverit, longiora addi poſſunt,

ſunt. Pro diverſis orationis generibus atque argumentis variæ ſunt hæ exercitationes, in quibus juſtus ordo ſervari debet, ita ut a facili incipiamus atque ad difficilius progrediamur: proinde primam induſtriæ hujus partem conferre decet ad deſcriptionem rei cujusdam;quo exercitio per tempus quoddam inſtituto, progreſſio ſit ad hiſtorias enarrandas, tum ad epiſtolas,orationes,dialogos aliaque genera.Opera hæc,quæ in his exercitiis collocanda eſt, ut facilior fiat ac feliciorem ſucceſſum habeat,egregio adjumento eſſe poſſunt exempla optimorum auctorum,ſive ſint antiquioris,ſive recentioris ætatis,ubi proponantur ad imitationem. Nimirum exempla hæc ita ad uſum ſuum transferenda:quod si argumentū quoddam latine exponendum eſt, in optimis auctoribus exempla illi ſimilia, ſi quæ inveniantur, legi debent ac relegi eaque in illis diligenter obſervari, quæ ad imitationem cum ipſarum rerum, tum verborum trahi poſſunt. In hoc imitationis ſtudio recentiores auctores majorem interdum præſtant utilitatem, quam vetuſtiores, ubi illorum quoque latinitas probata eſt atque elegans: ſententiæ hujus ratio haud difficulter intelligenda eſt; etenim recentiorum ſcriptorum argumenta magis ad conditionem temporis, in quo vivimus, ac cauſſarum noſtrarum, in quibus noſtra eloquentia verſari debet,ſunt accommodata,quam antiquiorum.

§. VIII.

Sed quæ jam attigimus, nunc uberius ex-

explanare animus eſt; poſtquam enim de variis ſtili cultioris romani exercitiis expoſuimus, dicendorum ratio poſtulat, ut de diverſis quoque orationis generibus atque argumentis, hiſtoriis quippe, epiſtolis, orationibus, dialogis, inſcriptionibus aliiſque quædam ſubiiciamus. Primum igitur dicamus de *hiſtoriis* conſcribendis: ſtili latini prima exercitatio ſuſcipi poteſt in narratione, quæ nihil aliud eſt, quam rei geſtæ ſecundum illius circumſtantias expoſitio. Partes illius tres artis rhetoricæ magiſtri conſtituere ſolent, ita ut res geſta referatur ſecundum antecedentia, media, & conſequentia: circumſtantiæ conſiderandæ vulgo numerantur ſeptem, perſona tum principalis, tum ſocia, factum, cauſſa, modus, locus, & tempus. Sed nemo ſibi perſuadeat, quod hæc præcepta ſemper atque unice in enarrandis rebus ſequi debeamus, quæ ſane non tam arcta atque adſtricta ſunt, ut iſta quum velimus, laxare nequeamus. Rei quidem indoles gignit præcepta; ſed hæc rem ipſam ejuſque ordinem haud conſtituunt, multo minus mutare poſſunt: quocirca ubi rei cujuſdam geſtæ ratio ita fert, ut ſecundum circumſtantias, quas vulgo numerant, recenſeatur, poſſunt iſtę omnes commemorari; alias vero facti expoſitio, ſive narratio inſtituenda eſt, prout evenit, aut cognitum eſt. Requiritur hic character ſtili apertus, humilis, ſimplex, a quo abſint ſuperbi tropi, illuſtres figuræ, atque alia rhetorum ornamenta: ſtilus ſane oratorius maxime perniciosus eſt veritati, quam ſermonis lumina atque orationis pompa magis interdum obſcuram efficiunt, quam illuſtrant; hinc minus probari poteſt ſententia Attici,

quæ

quæ eſt apud *Ciceronem* in *Bruto* cap. 11. *conceſſum eſt rhetoribus, ementiri in hiſtoriis, ut aliquid dicere poſſint argutius*: nec hiſtorico convenit ſtilus poëticus, qui itidem per fictiones, metaphoras, allegorias facile gignit obſcuritatem & a veritatis ſimplicitate, quæ in hiſtoriis maxime requiritur, nimis alienus. Patet id ex exemplo Curtii, qui quum ſectatus eſt dicendi genus, quod magis ad poëtas, quam hiſtoricos accedit, obſcuram non ſolum, ſed etiam dubiam narrationem ſuam reddidit: attamen non negligenda ſunt, quæ monet *Jo. Schefferus* in *gymnaſio ſtili* p. 37. *character ſtili hic requiritur apertus & brevis, ut nihil deſit, nihil abundet; etiam facilis & æqualis, præſertim in vulgarioris alicujus facti commemoratione, & in univerſa narratione hiſtorica; grandior vero in oratoria, in qua pro qualitate facti attollere & augere cuncta figuris, præſertim hypotypoſeos, lecebit*. Quodſi enim enarratio in oratione quadam adhibetur, ſimplicitas illius gravitate quadam ita temperanda eſt, ut ſtilus aliquid oratorium ſapiat; modus tamen teneri debet, ne quod caracteris hiſtorici proprium eſt, penitus pereat. Imitandi ſunt ex veteribus Cornelius Nepos, & Julius Cæſar, & ſi narrationi dignitas oratoria eſt concilianda, Livius; Tacitus autem ob nimiam in dicendo brevitatem, ac Salluſtius propter ſingularia ac idiotiſmos, quos habet, haud commendandi. Velleii elegantis hiſtorici ſtilus oratoris ingenium ſapere videtur; ars tamen caracteris formandi ex eo diſci poteſt per exempla, quæ uberiora habet, quamvis in aliis laudandis nimius interdum fuerit nec vix quemquam ſine laude

præ-

prætermiſerit, id quod vitioſum eſt. Inter recentiores ſtili hiſtorici laude clariſſimi ſunt *Petrus Bembus* in *hiſtoria Veneta*: *Jo. Sleidanus* de *quatuor monarchiis*: *Conrad. Samuel Schurzfleiſchius* in *operibus hiſtoricis politicis*: *Chriſtophorus Cellarius* in *compendio hiſtoriæ univerſalis*, quod præ aliis propter ſtilum hiſtoricum maxime perſpicuum, elegantem ac purum diligenter eſt legendum. Hiſce ſcriptoribus, qui exempla imitanda exhibent, addi poſſunt, qui de ipſa arte hiſtoriæ ſcribendæ ſunt commentati ac de ſtilo illius proprio expoſuerunt, ex quibus nominamus *Ger. Jo-Voſſium* de *arte hiſtorica*, & *Caſparem Scioppium* de *ſtilo hiſtorico*, *ſive de ſtili hiſtorici virtutibus & vitiis*, quæ commentatio addita *fuit infamiæ Famiani*, MDCLVIII.

§. IX.

Exercitia hæc narrationis pro ingeniorum ratione ſunt diſtribuenda: ſuademus harum litterarum magiſtris, ut auſpicium faciant ab hiſtoriis ſacris, quæ quum pueris chriſtianis magis cognitæ ſint, quam profanæ, illarum quoque narrationes hiſce faciliores ſunt, ac ſuaviores: hanc in cauſſam legant ſectionem quandam codicis ſanctiſſimi, ſive ſit prioris, ſive poſterioris fœderis, in qua hiſtoria quædam commemoratur; legendo autem præcipua illius capita diſcernant, ac diſtincte atque accurate tradant memoriæ. Ingenio notitia rerum, quæ enarrandę ſunt, ſatis inſtructo, convertat ſe ad ſcriptionem ipſumque formet ſtilum hiſtoricum: quodſi tempus quoddam in

hoc hiſtoriarum genere bene eſt poſitum, conjungendum eſt id, quod res geſtas ſcriptorum profanorum in ſe continet. Ex multiplici ac varia illarum copia præſertim eligi debent, quę familiares ſunt uſuque ſcholaſtico cognitæ; hinc depromi poſſunt ex Cornelio Nepote, Cæſare, Salluſtio, Vellejo Paterculo, Curtio, qui in ſcholis litterarum alumnis explicantur, ad quorum exempla ac ductum ubi hujusmodi narrationes componunt, materiam habent, in utraque imitatione & rerum & verborum ſe exercendi. Denique ut major ſtudii hujus fiat progreſſio, argumenta longiora ex aliis ſcriptoribus, atque ex ipſo uſu experientiaque huic exercitationi proponi debent. In hoc ultimo narrationis formandæ curſu opera inprimis in caractere exprimendo collocanda eſt, quo animorum ratio per externas notas expreſſa declaratur: ornant enim caracteres, quando ſunt accurati, nec juſto frequentiores, non ſolum ipſam hiſtoriam, eamque ſplendidam atque amœnam reddunt; verum etiam maximam vim ad orationis, ſi alii laudandi, aut vituperandi ſunt, pulcritudinem adſerunt. Quum vero ad animorum caracteres recte exprimendos neceſſaria eſt ſcientia philoſophiæ, quæ de hominum moribus præcipit, nemo feliciter in hac ſcriptione verſabitur, niſi qui diſciplinæ hujus philoſophiæ ſit peritus.

§. X.

Nunc dicendum eſt de *conſcribendis epiſtolis*, in quibus etiam vis atque elegantia latinæ

næ

næ linguæ monſtranda eſt:quid de illis ſit obſervandum, antequam breviter oſtendamus, ſcriptores argumenti hujus recenſere, conſtituimus, quorum duplex eſt genus: alterum, quod de ratione epiſtolas ſcribendi præcipit: alterum, quod exempla epiſtolarum exhibet. Libri,qui præcepta tradunt,fere ſunt innumeri: quocirca quosdam tantum commemoraſſe, ſufficiat. Ex veteribus quædam de arte ac ratione conſcribendi epiſtolas commentati ſunt *Demetrius Phalereus* in opere, quo de *elocutione* ſcripſit, ac *Gregorius Nazianzenus* in epiſtola ſingulari. Recentiori ævo quam multi ad hoc argumentum explanandum acceſſerunt ac de conſcribendis epiſtolis præceperunt, quorum libros ſi vellemus ſingulos recenſere, difficile eſſet exitum enarrationis invenire: præ ceteris laudari debent *Jo. Ludovici Vivis*, & *Eraſmi* libri de *conſcribendis epiſtolis*, qui ſæpe & ſeparatim & conjunctim cum aliis hujusmodi libellis prodierunt; *Melchioris Junii ſcholæ rhetoricæ de contexendarum epiſtolarum ratione*, Argentor. MDLXXXVII.; *Juſti Lipſii inſtitutio epiſtolica*, quæ & ſæpe prodiit ac quorumdam eruditorum animadverſionibus illuſtrata fuit; *Chr. Schraderi diſpoſitiones epiſtolicæ*, qui præ aliis vetuſtæ eloquentiæ atque artis oratoriæ peritus fuit; *Jo. Starckius* in *iſagoge brevi & methodica de ratione & artificio ſcribendi epiſtolas* & *in theſauro epiſtolico*, Hamburg. MDCCV.; *Daniel Georgius Morhofius* de *ratione conſcribendarum epiſtolarum*, cum obſervationibus atque additamentis *Jo. Burc. Maii*, Lubec. MDCCXVI.; *Jo. Henricus Ackerus* in *methodo ſcribendarum*

epiſtolarum, Rudolſtad. MDCCX. ut de aliis taceamus, quorum copioſum indicem confecit *Morhofius* in laudato libro cap. III. Quod autem ad alterum genus librorum, qui ad hoc argumentum ſpectant, adtinet; ſive ad ipſos epiſtolarum ſcriptores, quorum exempla, quæ in epiſtolis dederunt, ubi ſunt pulcra atque elegantia, imitari debent eloquentiæ ſtudioſi, itidem magnus illorum eſt numerus. Inter veteres epiſtolarum auctores ſunt ſuo jure ac merito principes *Cicero*, & *Plinius*, quorum ſtilus quamvis ſit diverſus, quum Cicero, ſi exceperis *epiſtolas ad Atticum*, caracterem Atticum; in quibusdam etiam Aſiaticum expreſſerit; Plinii autem ſtilus brevis ſit ac conciſus: utriusque tamen dictio caſta atque elegans. Ex recentioribus commendantur epiſtolæ *Jo. Pici Mirandulæ*, *Paulli Manutii*, *M. A. Mureti*, *Jacobi Sadoleti*, *Aonii Palearii*, *Petri Bembi*, *Aug. Buchneri*, *Jo. Georgii Grævii*, *Conrad. Samuel. Schurzfleiſchii*, quorum libros epiſtolarum ſingulos diſtincte recenſere, atque quo quisque exiit in lucem, annum memorare, ſupervacaneum nunc eſt, poſtquam ſupra de optimis latinæ linguæ auctoribus ævi recentioris atque illorum libris diſſeruimus. In omnibus hiſce epiſtolis dictio caſta, pura, ſuavis atque elegans eſt, licet in ipſo orationis habitu atque argumento differant: aliæ enim quum elegantes atque amœnæ ſint ſua latinitate; carent nervis omnique oratoria vi, quæ ubi rite temperata adferatur, epiſtolæ dignitatem conciliat: nonnullæ magis ubertate ac copia dictionis, quam rerum ac ſententiarum nitent: aliæ denique commendant ſe

& ſua

& ſua dictione, & ſtilo, & quæ declarant, argumentis. Atqui hoc diſcrimen facile adparet, ſi quis epiſtolas *Manutii* cum illis velit conferre, quas ſcripſit *Muretus*, aut *Grævius*, item *Schurzfleiſchius*: nec hæc diverſitas impedit, quo minus ſingulæ, ſi ratio temporis ac ſtudiorum ita ferat, ſint legendæ; quod enim in quibusdam deeſt, habemus in aliis; ac quando nonnullas, quæ diverſam formam præ ſe habent, legendo inter ſe contendamus, videmus, ubi quid vitioſum, ubi quid pulcrum, ac quomodo illud debeat emendari, cognoſcimus facili ratione.

§. XI.

Ad rem ipſam accedimus, in qua diſtincte explananda duo capita a nobis ſunt illuſtranda, quorum alterum pertinet ad indolem epiſtolæ, alterum ad rationem conſcribendi iſtam atque ad exercitationem rite inſtituendam. Quod ad prius momentum adtinet, iterum tria capita debemus explicare, quid ſit epiſtola, quot ſint illius genera, quot partes? ſi indolem ejus accurate velimus cognoſcere. Epiſtola quid ſit, non eſt, quod ſollicite inveſtigemus, res in ſe nota eſt: eſt inter abſentes colloquium: eſt nuntia earum rerum, quarum abſentes certiores facere, vel noſtra, vel ipſorum intereſt. Diverſitas epiſtolarum vario modo conſtitui poteſt, quum & argumentis, & forma, & ſcopo inter ſe differant; hincque commode dividi poſſint in *familiares*, ac *graviores*, ſive *ſelectiores*: illæ plerumque varias res ac ſæpe vulgares ac domeſticas complectuntur: non admittunt ſingu-

larem ſtili ac connexionis artem elegantiamque, atque ad amicos ſcribuntur; hæ autem, quæ de uno argumento exponunt, in lucem publicam exeunt, aut ad illuſtrioris dignitatis homines exarantur, majorem diligentiam atque exquiſitiorem cultum poſtulant. Plerumque quatuor epiſtolæ partes conſtituuntur, exordium, propoſitio, illius explanatio, ac clauſula: ſed notandum, quod non quævis epiſtola ex hiſce partibus debeat eſſe compoſita: quod hæ partes, ubi & adhibeantur, varias poſſint recipere formas nec una ſemper compareant facie, hincque diſpoſitionis varietas locum omnino habeat. Exordium poteſt omitti, atque in explanatione perinde eſt, ſive propoſitionem explanationi, quæ rationes atque illuſtrationes continet ac declarat, ſive hanc illi præmittas. Familiares epiſtolæ in ſe reſpuunt leges rhetoricas, ſuamque amant libertatem, in quibus conſcribendis ſi quis verſatur, poteſt libere exordiri, libere diſponere ac connectere, libere finire. Selectiores, quum opus habeant majori induſtria atque arte, admittunt leges; tales autem, quæ in ſcribendo ac connectendo libertatem haud tollunt, ſed diverſas formas præſcribunt, ex quibus, ut cuique pro rei indole viſum fuerit, quædam præ aliis eligi poteſt: ita diſpoſitionis ratio pro cujusque arbitrio eſt inſtituenda. Quid autem de quavis parte epiſtolæ ſit obſervandum ſpeciatim, de exordio, propoſitione, explanatione, ac clauſula non eſt, quod doceamus; quoniam nobis haud conſtitutum eſt, ipſam conſcribendarum epiſtolarum rationem accurate ac copioſe exponere: immo exiſtimamus, quod exempla atque exer-

cita-

citatio heic plus valeant, quam præcepta.

§. XII.

Quodſi declarandum eſt, qua ratione facultas epiſtolam elegantem eamque latinam exarandi comparanda ſit, duo adminicula a plerisque ad hanc rem commendari ſcimus, præcepta quippe, ſive inſtitutionem, atque exercitationem. Præceptis, iis præcipue, quæ in vulgaribus libellis de conſcribendis epiſtolis inveniuntur, non multum tribuimus. Veteres ſane Romani, quum diligenter de arte eloquentiæ præciperent, non ſolliciti fuerunt de ratione epiſtolas ſcribendi explicanda, in eam inducti ſententiam, quod in epiſtolis ejuſmodi rerum, quæ ſunt memorandæ, ordo debeat ſervari, qui cum ipſarum indole conveniat. Hinc & veterum epiſtolæ a regulis, quas recentiores libri præſcribunt, diſcedunt ac diverſas formas pro ſcriptorum libertate atque argumentorum ratione adhibitas præ ſe habent; ex quo id conſequitur, ut aut epiſtolæ Ciceronis, Plinii atque aliorum, aut præcepta, quæ de litteris exarandis multi recentioris ævi tradiderunt, parvi debeant æſtimari. Sed exempla, quæ antiqua ætate præſtantiſſimi epiſtolarum auctores habent, non eſt, quod præceptis cedant; regulæ enim, quæ artem latinas epiſtolas exarandi docere debent, merito petendæ ſunt a probatiſſimis veterum exemplis, adeo ut quod exempli auctoritate careat, haud probandum ſit, licet illud magiſtri artis hujus præſcripſerint. Ac quis negaret,

quod

quod in epiſtola exaranda opus ſit maxima prudentia, quæ docet, quid per loci, temporis atque illorum, ad quos ſcribimus, rationem ſit obſervandum; atque hæc prudentiæ capita non ex certis regulis, ſed præcipue ex uſu atque experientia ſunt addiſcenda. Recte ac ſimul ornate hac de re judicat *Janus Nicius Erythræus* in *pinacoth*.111.27.p.657.: *non levis res eſt neque vulgaris, epiſtolas, quibus arduæ res contineantur, ſcribere; ſed longe maxima ac difficillima. Multis eſt opus virtutibus illi, qui hoc ſe facere poſſe profiteatur: mitto fidem, & taciturnitatem, ſine quibus munus illud conſtare non poteſt; mitto eloquentiam, cujus prima laus eſt, ſermonis puritas ac perſpicuitas, qua ſenſa mentis explicantur, quaque ſi careat oratio, quid ille, qui ſcribit, velit, vel non velit, percipi intelligentia non poteſt; mitto inquam, hæc atque alia multa: illi, qui præſtare in hoc laudis genere poſtulet, neceſſarium eſt ſummum ingenii acumen, cum ſingulari prudentia, ac rerum maximarum uſu conjunctum.* Idem num.31. p.67. poſtquam obſervavit, quod ardua ac difficiiis ſit res, ſcite atque eleganter epiſtolas ſcribere, addit *multis enim & multigeneribus opus eſt illi virtutibus, qui hanc tantum ſpe laudem animoque complectitur. Primum dum eſt opus ingenio, opus judicio, multis opus litteris, opus eloquentia, opus rerum maximarum uſu, opus inprimis acerrimo exquiſitoque judicio*: adde *Jo.Burc. Maii* obſervationes in *Morhofii libellum de ratione conſcribendarum epiſtolarum* p.94. Si & præcepta præſertim in epiſto-

ſtolis gravioribus, quæ orationum ſpeciem præ ſe habent, ſunt obſervanda; communia tamen ſunt, quæ in omni oratione eleganti locum ſuum habent.

§. XIII.

Igitur maxima vis, quæ ad comparandam facultatem epiſtolas ſcite atque eleganter ſcribendi valet, in exercitatione poſita eſt. Abſolvitur autem hæc exercitatio, quam unice commendamus, & lectione & imitatione, cui utrique ſi quis conſtanti ſtudio ſe ſe tradiderit, non exiguum induſtriæ fructum capiet ac quam facilior hæc diſcendi ratio ſit, videbit; inprimis quando uſu rerum ſubactum judicium accedit, cujus munus eſt, ut oſtendat, quomodo imitatio prudenter ſit inſtituenda. Lectionis eam inire rationem decet, qua veteres conjunguntur cum recentioribus, iis ille cauſſis, ut in antiquis epiſtolarum monimentis inveniamus exempla caſtæ atque exquiſitæ dictionis ac compoſitionis elegantis imitanda; in recentioribus vero videamus modum, quo per imitationem ad exempla antiquorum de rebus noſtræ ætatis ornate ſit ſcribendum. Primum ergo veteres, tanquam limpidos fontes caſtæ ac politæ orationis adire decet, in quibus merito *Ciceroni* tribuitur principatus. Quidquid enim epiſtolas ornat, quidquid illas propter ſtili ac dictionis cultum ac prudentiæ laudem commendat, id in iſtis, quas hic romanæ eloquentiæ parens ſcripſit, conſpicuum atque illuſtre eſt. In omni epiſtolarum genere

re excellit, ac præclara ſtili prudentiæque exempla exhibet, propter quæ libri ejus non ſolum a pueris, ſed illis quoque, qui jam multum in ſtudiis eloquentiæ profeciſſe videntur, diligenter ſunt evolvendi: habent quoque difficilia, in quibus ſummorum criticorum ingenia ſe exercere poſſunt. Præter Ciceronem legendæ ſunt epiſtolæ *Plinii*: ſtilus eſt conciſus brevis, acutus, ſententiis concinnis diſtinctus, cujus ſimilitudinem non quisque imitando adſequi poteſt, niſi ingenio, quod ad hoc dicendi genus naturali ſua vi aptum eſt, præditus: tamen dictio illius eſt caſta atque habet multas elegantias: hi ex vetuſtiori ævo ſufficiant. Ævo recentiori plures munus hoc feliciter præſtiterunt, ut ſcite eleganterque epiſtolas ſcriberent, qui licet propter utilitatem ſint commendandi, ad unum tamen ſcopum haud ſpectant. Hinc & neceſſe eſt, lectionem illorum atque imitationem ita diſtinguere, ut quod pulcrum atque utile in quovis eſt, videamus ac capiamus. In aliis habemus caſtam ac nitidam dictionem, copiam verborum, atque elegantem compoſitionem;nulla autem in illis ineſt ubertas rerum, nullo vigore, nulla majeſtate Ciceronis ſe tuentur: atqui hæc eſt forma epiſtolarum *Paulli Manutii*. Aliæ ſplendent & dictione, & majeſtate, ac copia utiliſſimarum rerum: ad quam laudem accedunt epiſtolæ *Mureti*, *Palearii*, *Jani Nicii Erythræi*, præcipue *Schurzfleiſchii*. Addunt alii, quas ſcripſerunt *Bembus*, *Sadoletus*, qui exempla quidem habent caſtiſſimæ atque exquiſitæ dictionis; per ſervilem autem Ciceronis imita-

tationem epiſtolis ſuis aliquid intulerunt, quod cum languore quodam conjunctum eſt: item *Juſtus Lipſius*, *Aug. Bucknerus*, quorum autem imitationem haud ſimpliciter poſſumus commendare, quod ſingulare quoddam ſcribendi genus adfectaſſe videntur; nec quæ in epiſtolis eorum ſeſe prodit, dictio ubique caſtitate atque auctoritate ſe tuetur. Quodſi dedicationes ac præfationes librorum ſunt conſcribendæ, imitationis cauſſa evolvi poſſunt epiſtolæ ac præfationes *Jo. Georgii Grævii*, ac *Chriſtophori Cellarii*: illæ a *Jo. Alberto Fabricio*; hæ a nobis collectæ atque editæ.

§. XIV.

Cum lectione conjungenda eſt imitatio, cujus quam rationem inire deceat, in capite, quod de imitatione exponit, copioſe declaravimus. Imitari poſſumus & dictionem ac formam ſtili, voces quippe, formulas dicendi, compoſitionem, rationem periodorum, argumentorum ac ſententiarum: ſedulo autem videndum eſt ne aliquid adfectemus, aut frigidam formemus orationem; quam in rem opus eſt facultate judicii ac prudentia, ut dijudicetur, quid cuique, ad quem ſcribimus, conveniat: quid pro temporis, loci, argumenti ratione deceat. Nec ſane epiſtola, quæ in conſpectum ſapientum atque eruditorum hominum prodire poteſt, ab alio, niſi ab eo, qui pollet judicio atque uſu rerum, exſpectanda eſt. Ut autem imitationem hanc efficiamus facilem atque expeditam, conſul-

tum

tum eſt, indices epiſtolarum diverſorum auctorum ſecundum ordinem argumentorum conficere atque habere paratos, ut ſi ſcribenda eſt epiſtola, ſine labore inveniamus exempla, quæ ſcriptioni noſtræ conveniunt hincque ad imitationem proponenda, quemadmodum *Melchior Junius*, & *Daniel Georgius Morhoſius* nonnullorum epiſtolas ad certas claſſes retulerunt, ad quorum exempla idem cum aliis fieri poteſt. De ſtilo, quo in conſcribendis epiſtolis uti debeamus, haud certi quidquam definiri poteſt; pro diverſitate enim ipſarum epiſtolarum diverſus quoque caracter locum habet: familiares plerumque poſtulant genus ſcribendi tenue atque humile; ſelectiores vero ac graviores vel medium, vel ſublime: in quovis autem dictio caſta ineſſe, atque ubique decorum adparere debet.

§. XV.

Orationes quoque conſcribendæ ſunt, ac monſtrandum, qua vi eloquentiæ valeat ingenium. Qualis earum ſit ratio quidve obſervare deceat, ſi quis declamare velit, docent artis rhetoricæ magiſtri, quorum utriuſque ætatis innumeros fere libros, qui præcepta oratoria tradunt, habemus. Qui enim ævo antiquo de arte hac præceperunt, ac quorum doctrinæ poſteritati ſunt conſervatæ, græce ac latine ſcriptæ, inter illos & nominis ſui celebritate & præceptorum, quæ tradiderunt, dignitate eminent *Ariſtoteles*, *Dionyſius Halicarnaſſ.*, *Hermogenes*, *Longinus*,

Ci-

Cicero, *Quinctilianus*, quorum veſtigia recentiori ætate ſecuti ſunt *Joan. Sturmius*, *Melchior Junius*, *Gerardus Joan. Voſſius*, *Auguſtinus Buchnerus*, atque alii, quorum ſcripta diſtincte ac ſigillatim non eſt, quod recenſeamus, quum labore hoc perfuncti ſint *D. Geor. Morhofius* in *polyhiſtore litterario* lib. 17. cap. 1., & *Balthaſar Gibertus* in *judiciis de auctoribus rhetoricis*, quem librum gallice edere cœpit Pariſ. MDCCXIII. Sed & recentiori ævo fuerunt, qui in ſententiam inducti, quod præcepta artis rhetoricæ ab antiquis magiſtris commendata in noſtris ſcholis haud explicanda ſint, quoniam alia ſit forma noſtrarum rerum publicarum, artem oratoriam emendare, novas regulas præſcribere atque ea quæ antiqua ſunt, e ſcholis eiicere tentarunt: qua nova facie quum prodierit rhetorica, non omnibus ſe probavit, qui exiſtimarunt, antiquos eloquentiæ magiſtros, quorum præcepta ſint ſolida atque optima, haud deſerendos, multo minus contemnendos eſſe. Hinc diſputatum fuit de utriusque ætatis oratorum præceptis: num antiquiores, an recentiores ſolidiorem eloquentiæ rationem doceant? ſunt, qui illis; ſunt, qui his maxime favent: nonnullis antiqua tantum, aliis nova placent: plerique non ratione, quæ rem ipſam expendit; ſed mentis ſuæ cupiditate ad ſententiam quamdam ſe trahi patiuntur ac licet ſibi perſuadeant, ſe amplexos eſſe veritatem, ab illa tamen longe ſunt remoti. Utrique generi oratorum veterum, ac recentiorum ſuus honor eſt tribuendus, ſuum pretium eſt tribuendum; hinc in exiſtimatione, quæ utrique eſt decernenda,

medium ſervare decet. Peccant ſane, qui veteres nimis venerantur, atque ex illorum fonte unice ſolidæ eloquentiæ ſcientiam hauriendam eſſe credunt, ac nefas eſſe putant, ſi ab eorum regulis diſſiderent; hujusmodi enim ſtudia eſſe nimia nec carere vitio, ex iis cauſſis patet, quoniam veteres homines fuerunt, qui pro humana ſorte non quodvis ingenii opus poterant efficere perfectum: obnoxii fuerunt errandi periculo: ac re ipſa errarunt, quod nemini ignotum eſſe poteſt, qui illorum ſcripta inſpexit accurate; hinc quædam aliorum induſtriæ, quæ emendanda erant, reliquerunt. Accedit, quod veteres pro ſuæ eloquentiæ ratione, quæ ad Græcæ ac Romanæ rerumpublicarum formam præcipue reſpiciebat, varia capita oratori præſcripſerint, quæ pro noſtrarum rerum conditione haud neceſſaria ſunt nec poſſunt obſervari: ut taceamus, quantum incrementum ars rhetorica ceperit ex emendata ſtudiis ingeniorum recentium philoſophia. Verumtamen veteres, quamvis interdum ſint lapſi ac regulas habeant, quarum in noſtris orationibus nullus locus eſſe poteſt; haud contemnendi, aut a ſcholarum uſu removendi; ſed libros, quos ſcripſerunt, ſtudioſe legendos ac magni æſtimandos eſſe arbitramur. Maxima eſſe merita, quibus eloquentiam ſuis præceptis atque exemplis ornarunt, nemo negaverit, niſi ipſius artis hujus plane imperitus, aut odio erga eos occupatus; atqui meritis hiſce debitam exiſtimationem adtribuere, ingenuam decet mentem: multa præcipiunt veteres, quæ præclara ſunt; quæ viam parant ad virilem eloquentiam illa, quæ argute loquitur, vocibus

in-

inter ſe pugnantibus,multis variisque imaginibus ludit,a nonnullis noſtro tempore commendata, multo meliorem ac graviorem. Sane in dictione,quam orator latinus ſectari debet,unice regulæ atque exempla a veteribus ſunt petenda, qui rite docent, quid caſtum, quid elegans, quid decorum, quid vires moveat in oratione:qualis ſit ratio oratoriæ compoſitionis: qualis nexus periodorum: qualis uſus troporum ac ſchematum inſtituendus. Uno conſenſu Cicero conſummatiſſimus eſt orator atque omnem principatum eloquentiæ tenet, ad cujus exemplar quo propius quis in formanda oratione accedit, eo majorem oratoris laudem tenet: quis igitur dubitaret, optime conſuli ſtudiis eloquentiæ latinæ, ubi iſta ad veterum præcepta atque exempla componantur, atque alumni illius ad ipſos fontes adducantur. Neque tamen recentiores ſunt contemnendi, aut reiiciendi; ſed propter obſervationes, quibus veterum præcepta vel illuſtrarunt, vel ad formam noſtrarum rerum publicarum magis adcommodarunt, itidem legendi ſunt; ita tamen ut pro recta ſentiendi libertate,omnia accurate expendamus atque ea tantum, quæ bona ſunt ac vera,amplectamur. Non omnium,qui noſtro ævo in eloquentiæ arte emendanda ac perpolienda elaborarunt, eadem laus eſt ac dignitas. Nonnulli nimio emendandi ſtudio occupati,novam plane eloquentiam commendare voluerunt ac præſcribere; quumque veteres per novitatis amorē plane contemnerent,multa illorum præcepta, quæ maxime ſunt neceſſaria, fructuoſa ac ſalubria, veluti inutile quid rejecerunt: ita autem, ſe haud formare poſſe ora-

torem, qui ad veterum laudem accedat, haud obſcure declararunt. Hujusmodi novi artis oratoriæ magiſtri multorum ſtudia corruperunt, qui ingenioſis illorum præceptis, novis orationum ornamentis, argutiis quippe, imaginibus, emblematibus capti, veterem diſciplinam deſerere, Ariſtotelem, Ciceronem atque alios antiquioris ætatis plane contemnere cœperunt.

§. XVI.

Pro noſtrarum rerum facie omnes orationes, quæ recitari ſolent, ad duplex genus commode poſſunt revocari. Aliæ minus ſolemnes ſunt quarum uſus eſt in ſcholis atque academiis exercitationis, aut eruditionis oſtentandæ cauſſa; hinc illarum argumenta ad diſciplinas litterarias ſpectant: aliæ vero ſunt ſolemnes, quæ in ſplendida magnorum virorum concione ac rebus feſtis atque anguſtis, ſive ſint felices, ſive triſtes, recitantur, cujus generis inprimis ſunt ſermones panegyrici. Ratio conſcribendarum orationum non multa nec copioſa poſtulat præcepta, quæ quo breviora ſunt, eo magis ſtudia eloquentiæ promovent: viam quidem parant, ipſum autem oratorem haud formant: natura, atque exercitatio heic rem præcipue conficiunt. Ut autem diſtincte pateat, quid ad eloquentiæ ſtudia feliciter tractanda ſit neceſſarium, primum requiritur facultas quædam naturalis: non quodvis ingenium ſua indole ad eloquentiam, quæ naturali ſua pulcritudine ſe commendat, aptum eſt: quod autem natura dedit, perpoliendum eſt inſtitutione,

ne, atque artis præceptis. Quæ per artem atque adquiſitam virtutem in oratore ineſſe debent, ſunt *meditatio*, *elocutio*, *prudentia*: per meditationem excogitat cum ipſum argumentum, ſive uti dicunt, thema, tum res, quæ ad thema explicandum, probandum atque illuſtrandum pertinent, quæ pars meditationis a rethoribus adpellatur *inventio*: hiſce excogitatis, orator meditando porro ſollicitus eſt de ordine harum rerum, quas invenit, diſponendo atque orationis partes, exordium, propoſitionem, tractationem, epilogum rite conſtituit, id quod in libellis rhetoricis dicitur *diſpoſitio*. Ubi ſatis rerum, quæ ſunt ad iſſerendæ, adparatu inſtructus eſt, ad ipſam ſcriptionem accedit, in hoc negotio *elocutionis* maxime ſtudioſus, ut & caracterem, qui argumento convenit, exprimat & in dictione caſtitatem atque elegantiam ſuavitatemque cuſtodiat. Sed tamen non minus neceſſaria eſt in oratore *prudentia*, cujus beneficio orator auditorum benevolentiam atque exiſtimationem ſibi conciliat: varium idque illuſtre illius munus eſt: monſtrat, quid in eligendo themate per rationem temporis, loci, auditorum atque ipſius oratoris ſit obſervandum, ac quam caute in ſententiis argumentiſque adhibendis ſit agendum: oſtendit, num brevior, an longior oratio ſit recitanda atque ubique, præſertim in ipſa declamatione decorum commendat. Atqui hæc eſt ſumma illorum, quæ de arte oratoria poſſunt præcipi: patet vero ex his, ſola regularum rhetoricarum ſcientia non effici oratorem: adjumentis opus habet variarum diſciplinarum, præſertim illius philoſophiæ, quæ artem recte cogitandi ac bene vi-

vendi tradit. Eloquentiæ parens *Cicero* fatetur *ſe oratorem non ex rhetorum officinis, ſed ex academiæ ſpatiis exſtitiſſe*, atque adfirmat, *ſine philoſophia non poſſe effici eloquentem*; quod effatum in ſe verum ac rectum eſt atque oſtendit, quod in hoc capite veteres melius ſenſerint, quam recentiores, qui ſuis eloquentiæ alumnis ſtudium quidem excercendi, non autem philoſophandi commendant. Quomodo orator rite probet, rite diſponat, niſi virtute bene cogitandi valeat? quomodo animos auditorum moveat, niſi humanorum adfectuum rationem ſciat? quodſi eloquentiæ moderatrix prudentia eſt nec ullus orator iſta carere poteſt, & facile intelligitur, quemodo ad illam requiratur ingenium politicis litteris excultum uſuque rerum atque experientia confirmatum: igitur nemo ſibi perſuadeat, quod eloquentiæ ſtudia tantum ad ſcholas inferiores pertineant, quodque in illis formari poſſit orator. Nec tamen ſola ingenii litteris atque experientia exculti facultas ſufficit: requiritur quoque in oratore bona mens, qua ubi caret, dicendi virtutem malitiæ inſtrumentum adhibet, ac per verborum lenocinia multitudinis auribus inſidiatur ac ſeditiones efficere poteſt, quam in rem hiſtoriarum monimenta produnt exempla. Veteres iis de cauſſis judicarunt, nullum cenſendum eſſe oratorem nec futurum, niſi virum bonum, in quibus præclarum ac lectu dignum eſt effatum *Quinctiliani inſtitut. orator.* XII. 1. *Sit ergo nobis orator, quem inſtituimus, is qui a M. Catone finitus, vir bonus, dicendi peritus. Verum id quod & ille poſuit prius, & ipſa natura potius*

tius ac majus eſt: utique vir bonus, id non eo tantum, ut ſi vis illa dicendi malitiam inſtruxerit, nihil ſit publicis privatiſque rebus perniciosius eloquentia, noſque ipſi qui pro virili parte aliquid conferre ad facultatem dicendi conati ſumus, peſſime mereamur de rebus humanis, ſi latroni comparemus hæc arma, non militi. Quid de nobis loquor? rerum ipſa natura in eo, quod præcipue indulſiſſe homini videtur, quoque nos a ceteris animalibus ſeparaſſe, non parens, ſed noverca fuerit, ſi facultatem dicendi, ſociam ſcelerum, adverſam innocentiæ, hoſtem veritatis invenit; mutos enim naſci, & egere omni ratione ſatius fuiſſet, quam providentiæ munera in mutuam perniciem convertere. Longius tendit hoc judicium meum: neque enim tantum id dico, eum, qui ſit orator, virum bonum eſſe oportere; ſed ne futurum quidem oratorem, niſi virum bonum. Ex quibus patet, quod pagani rhetores de vero oratore melius ſenſerint, quam plurimi chriſtianorum, qui in præceptis ſuis eloquentiæ bonam mentem haud commendant, ne illi quidem, qui de eloquentia ſacra præceperunt. Plura eſſent dicenda de ſolida oratoris inſtitutione ac de vera illius laude; nimis autem longum eſſet, quum ſectamur brevitatem, omnia iſta diſſerere atque explanare: legenda tamen ſunt ſcripta doctiſſimorum virorum, qui recentiori ævo varia eloquentiæ vitia, quæ & in libris & ipſo uſu ſe prodant, notarunt, emendarunt atque egregia de genuina oratoris indole monuerunt, cujuſmodi ſunt *Renatus Rapinus* in *conſiderationibus ſuper eloquentiam*

tiam tom.II.*oper*. p.23. ſeqq. , *Io. Clericus* in *Parrhaſ*. tom.I. pag.72. ſeqq. , *Samuel Werenfelſius* in elegantiſſima oratione de *meteoris orationis*, quæ addita eſt ipſius libro de *logomachiis eruditorum*, quum prodierit ſeparatim Amſtelod. MDCCII., extat quoque tom. I. p.271. *diſſertationum*, quæ conjunctim in publicam lucem exierunt Amſtelod. MDCCXVI., *Andreas Rudiger* de *ſenſu veri & falſi* lib.IV. cap.4. , *Nicol. Hieron.Gundlingius* in *obſervat. Hallenſib*. tom.I. obſ.17. p.231. qui ſpeciatim monſtravit, quomodo per abuſum locorum dialecticorum , ſive topicorum corrupta fuerit eloquentia. ; *Jo.David Leonhard* in doctiſſima diſſertatione de *præjudiciis oratoriis* , Jenæ MDCCXXI.

§. XVII.

Monſtravimus adhuc , quod & naturalis quædam vis ingenii & inſtitutio per præcepta brevia ac ſolida ad futurum oratorem ſint neceſſariæ : ſed adſidua accedat exercitatio , itidem eſt neceſſe , cujus ea eſt dignitas, ut ſine iſta nec natura , nec regulæ aliquid ad comparandam dicendi facultatem valeant. Abſolvitur autem hæc exercitatio & *lectione* , & *imitatione*,& *declamatione*:quod ad *lectionem* adtinet , optime ſibi conſulunt eloquentiæ ſtudioſi , qui monimenta diſertiſſimorum oratorum diligenter evolvunt , atque orationes illorum perlegendo accurate obſervant , ubi vis eloquentiæ adpareat : qualis ſit dictionis caſtitas ; compoſitionis elegantia ; numeri oratorii ſuavitas ; troporum ac ſchematum

uſus;

uſus; ſententiarum ſplendor; argumentorum gravitas ac pondus. Inter veteres *Ciceroni* primas eloquentiæ deferendas eſſe, nemo dubitabit, qui & communi utriuſque ætatis conſenſione parens ac princeps oratorum omni jure laudatur. *Quinctilianus inſtitut. orat.* lib.x.cap.1. dicit: *nam mihi videtur M. Tullius quum ſe totum ad imitationem græcorum contuliſſet, effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, ſtudio conſecutus eſt tantum, ſed plurimas vel potius omnes ex ſe ipſo virtutes extulit immortalis ingenii beatiſſima ubertas: non enim pluvias, ut ait Pindarus, aquas colligit; ſed vivo gurgite exundat, dono quodam providentiæ genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur; nam quis docere diligentius, movere vehementius poteſt? cui tanta unquam jucunditas adfuit? ut ipſa illa, quæ extorquet, impetrare eum credas, & cum transverſum vi ſua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, ſed ſequi: jam in omnibus, quæ dicit, tanta auctoritas ineſt, ut diſſentire pudeat, nec advocati ſtudium, ſed teſtis, aut judicis adferat fidem. Quum interim hæc omnia, quæ vix ſingula quiſquam intentiſſima cura conſequi poſſet, fluunt illaborata: & illa, qua nihil pulchrius auditu eſt oratio, præ ſe fert tamen feliciſſimam facilitatem: quare non immerito ab hominibus ſuæ ætatis regnare in judiciis dictus eſt; apud poſteros vero id eſt conſecutus, ut Cicero jam non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur.* Ex quibus patet, quam egregius fuerit Cice-

ro ſua exiſtimatione, atque eloquentiæ laude jam ævo antiquo. Quodſi per tempus quoddam futurus orator Ciceronis orationes, præcipue ſelectiores atque elegantiores perlegerit atque ex illis præſertim oratoriæ dictionis indolem cognoverit, accedat ad recentiores eosque, quorum argumentum ac ſcribendi genus idoneum eſt ad imitandum. Multi sunt, qui recentiori ævo laudem ſummorum oratorum ſunt conſecuti atque exempla, quæ ſequi decet, præclara reliquerunt; ſed diverſi ſunt & argumentis, & dicendi forma: igitur opus eſt delectu, atque ordine in illorum æque lectione ac imitatione. Alii præ reliquis facem præferre poſſunt in orationibus ſcholaſticis, quæ præcipue de rebus ad eruditionem ſpectantibus tractant, in quo genere primas partes deferendas eſſe putamus *Petro Cunæo*, cujus orationes ſtilo Attico ſunt conſcriptæ, dictione ac naturali pulcritudine ſunt conſpicuæ eamque dicendi formam habent, ad cujus imitationem id quoque ingenium, quod ſublimia capere atque adſequi haud poteſt, aptum eſt. Illis conjungendi ſunt alii: merito in illis laudatur *Muretus*, cujus orationes quamvis plurimæ ad Pontificis Romani curiam magis, quam ad ſtatum noſtræ reipublicæ, aut rem litterariam ſint adplicatæ; ſtilus tamen eſt egregius, in quo non ſolum caſtitas atque elegantia, ſed quoque vis ac gravitas, qua multis aliis ſuperior eſt, adparet. Accedunt *Maioragius*, *Palearius*, *Ferrarius*, *Facciolatus*, qui magnam eloquentiæ laudem ſibi compararunt, ſuaque in-

induſtria veteres oratores tam feliciter ſunt æmulati, ut ad illorum laudem proxime accedant. In orationum genere, quæ feſtæ ſunt ac ſolemnes, quæ laudes principum, ac ſublimia rerum argumenta magnifico caractere ediſſerunt, inter recentiores excellunt *Scurzfleiſchius*, *Grævius*, *Cellarius*; quamvis orationes *Cellarii* vigore ac nervis interdum careant, quarum ſumma per dictionem ac compoſitionem elegantia ſi cum eadem vi oratoria ubique eſſet conjuncta, nihil in illis poſſet deſiderari, noſque haud videremus, qui ei in hoc uſu deberet præferri.

§. XVIII.

Oratores hos eam ob cauſſam legendos commendamus, ut illorum dicendi vim, quam orationibus ſuis declararunt, cognoſcamus atque exemplum ab eis ſumamus, quod imitemur, ad quod dicendo ſcribendoque nos componamus. Igitur ea accedat exercitatio, quæ cernitur in *imitatione*: hujus munus eſt ut ſcribendo exemplum quoddam ante oculos habeamus atque illius pulcritudine cognita, ad ſimilitudinem ejus pervenire adnitamur. Pulcritudo, cujus ſimilitudinem imitator adſequi contendit, ſpectat vel ad ipſam dicendi formam, periodorum rationem ac compoſitionem; vel ad dictionem, vocum caſtitatem, earum nexum elegantem, numeri, quem oratorium adpellant, ſuavitatem. Quocirca ad utrumque referri poteſt imitandi ſtudium, ita ut imitemur & caracterem & dictionem: ex quo ſimul patet, quod diverſos oratores

ad

ad imitationem nobis proponere, atque ex altero exemplum caracteris; ex altero vero, licet formam ejus dicendi haud æmulemur, voces tamen ac phraſes, quæ in ſe ſunt caſtæ atque elegantes, ſumere queamus. Nec ſolum imitatio pertinet ad ſtilum, caracterem quippe ac dictionem; verum etiam ad ipſas res, ita ut imitari poſſimus oratores cum in inventione, ſive ad thema, ſive argumenta atque illuſtrationem ſpectet; tum in diſpoſitione. Verumtamen ut parata habeamus exempla imitationis, ſi nobis occaſio dicendi offertur, recte agimus, ſi indicem orationum, quæ in multis variiſque libris extant, ſecundum argumentorum ordinem conficiamus: etiam themata, quæ præter meditationem in mentem veniunt, notemus, ne ſi differere debeamus, inventio thematis multũ negotii nobis faceſſat. Vt copioſũ oratoriarum rerum adparatum quis colligat atque ex aliis libris excerpat, haud ei auctores ſumus ac ſuaſores, licet ſtudium hoc excerpendi veluti princeps adjumentum ſtudioſis eloquentiæ a multis commendetur. Excerpta illa, uti plerique rhetores iſta præſcribunt ac commendant, exigunt multum ac moleſtum laborem; adferunt autem exiguam utilitatem. Jam plures libros habemus, qui hujuſmodi excerpta oratoria in ſe continent, quamvis & horum librorum uſus haud magni æſtimandus ſit. Nimia ornamenta, quæ multi ad orationes ſuas per exempla, teſtimonia, ſimilia, emblemata, inſcriptiones adferre ſolent, tantum abeſt, ut veram ac virilem pulcritudinem efficiant; ut iſtam aufe-

fe-

ferant, atque orationem vi ſua naturali privent. Quodſi orator argumenti, de quo declamare conſtituit, ſatis eſt peritus, amplam dicendorum materiam habebit; ſique eſt ingenioſus, ipſemet excogitare poteſt ſententias, quæ lumen adferunt atque delectant. Tamen ſi excerpendi negotium in eloquentiæ ſtudiis non ea ratione, quæ in vulgaribus libellis rhetoricis commendatur; ſed cum judicio, quod & delectum rerum, quæ notandæ ſunt, & modum brevitate laudabilem præſcribit, inſtituitur; illud haud penitus reiiciendum eſſe putamus, quamvis & credamus, rationem, qua id commode fieri poſſit, haud ſpeciatim atque accurate eſſe determinandam, ſed cujusvis arbitrio relinquendam.

§. XIX.

Duplex eſt oratorum genus: alii vim ſuam oratoriam ſcribendo declarant, nihil autem, aut parum præſtant declamando: alii utraque facultate pollent, ſeque & in ſcribendo & in dicendo eloquentes eſſe produnt. Neceſſe igitur eſt, ut exercitatio accedat, quæ *declamatione* abſolvitur: per iſtam orator futurus ad virtutem actionis & pronuntiationis, quæ & ipſi orationi & decoro oratorio convenit, pervenire adnititur. Quomodo id fieri debeat, quidque heic ſit obſervandum, regulis haud doceri poteſt: natura plus valet, quam inſtitutio, meritoque pronuntiari poteſt, heic oratorem non fieri, ſed naſci. Peccant igitur rhetores, qui quum de hac eloquentiæ parte exponant, multa ac copioſa tradunt præcepta: pru-

dentiorem docendi rationem ineunt,qui & in hoc capite brevitatem ſectantur, atque inprimis oſtendunt, quæ in actione ac pronuntiatione ſint devitanda; in reliquis vero ſuos alumnos per frequentem uſum atque exempla vivorum oratorum, ut iſta ſtudioſe atque accurate inſpiciant, docent. Duo ſunt genera actionis vitioſæ: alterum eſt anxium, contra naturam adſumtum, nec ſatis temperatum; alterum nimis liberum atque effrenatius, quam par eſt: atque ex hoc patet, quod illorum inſtitutum haud probandum ſit, qui veterum actionem revocare, atque ad illorum exempla juventutem anxie formare voluerunt, id quod tentavit *Petrus Francius* in *ſpecimine eloquentiæ exterioris ad orationem Ciceronis pro Archia accomodato*, Amſtelod. MDCXCVII.

§. XX.

Inter varias ſcriptiones locum quoque habet *dialogus*, de quo pauca dicenda eſſe exiſtimamus, quoniam illius noſtra ætate rarior eſt uſus;eſt autem dialogus nihil aliud, quam fictum colloquium, quo nonnulli de argumento quodam ſententias ſuas diverſas declarant atque expendunt. Variæ ſunt dialogorum ſpecies,quoniam differunt primum in ipſis argumentis,de quibus exponunt,quæ modo erudita ex omni litterarum genere depromta;modo vulgaria & ad communem vitæ humanæ uſum ſpectantia eſſe poſſunt: quemadmodum enim homines eruditi vera colloquia de diverſis rebus inſtituunt,nec ſemper de materiis

lit-

litterariis loquuntur; ita & fingunt ſcriptione hujuſmodi diſputationes promiſcuas, quod ipſa dialogorum, quos habemus, exempla teſtantur. Deinde differentia eſt dialogorum in forma, ſive ſcribendi ratione, propter quam a quibusdam dividuntur in *hiſtoricos*, & *comicos*: *illi* dicuntur, in quibus tantum refeſeratur, quid nonnulli inter ſe collocuti; hi autem, ubi ipſæ perſonæ inter ſe colloquentes ſine narratione inducantur ac repræſententur. Utriusque dialogorum generis tres partes numerantur, παρασκευή, quod eſt ſermonis ficti initium, & in hiſtoricis ſimul narrationem complectitur: ἀγών, ſive ipſum colloquium; & ἐπίλογος, ſive colloquii finis, qui in hiſtoricis enarrat, quomodo illud fuerit abruptum; in comicis vero ipſum ſermoni finem conſtituit. Virtus, quæ in dialogo ineſſe debet, eſt triplex: prima reſpicit ad perſonas colloquentes, in quarum delectu ratio habenda eſt ingenii, mentis, ætatis, ſtatus, doctrinæ, ac principiorum: ſecunda ad ipſas materias, ubi varietas ita temperanda eſt, ut animi legentium atque audientium ſemper exſiſtant attenti ac cupidi cognoſcendi, qualis futurus ſit colloquii exitus: tertia ad ipſam ſermonis formam, ſive caracterem. Quamvis enim *Gerardus Jo. Voſſius* in *inſtitution. orat.* lib. XI. cap 5. pag. 462. recte moneat, quod dialogi, qui ſcribantur, ſermonis familiaris ſimilitudinem habeant, hocque nomine illis maxime conveniat caracter tenuis; pro diverſitate tamen perſonarum loquentium diverſas quoque formas hic caracter ſibi aſſumit; hinc alius iterum eſt caracter viri eruditi, alius in-

docti; alius hominis politici ac civilis, alius ruſtici, propter quam diverſitatem perſonarum, quæ loquentes introducuntur, maxime habenda eſt ratio. Legendi ſunt de indole, partibus, ſtilo dialogi, ac ratione iſtum conſcribendi *Carolus Sigonius* in libro *de dialogo ad Jo. Moronum Cardinalem*, Venet. MDLXII. & Lipſiæ MDXCVI., quamvis ubique fere ſit criticus atque hiſtoricus; *Gerardus Jo. Voſſius* in *inſtitut. orator.* lib. VI. cap. 5. pag. 462., *Jo. Schefferus* in *gymnaſio ſtili* p. 98., *Jo. Gottlieb Heineccius* in *ſtili cultioris fundamentis* part. II. cap. 4.: adde quæ ipſimet diximus in *lexico philoſophico* p. 498.

§. XXI.

Nec heic multum præcepta ad virtutem dialogum conſcribendi ſibi comparandam valent: requirit hæc ſcriptio propriam ingenii indolem, eam præcipue, quæ eſt ingenioſa atque apta ad excogitandas ſimilitudines comparationesque atque ad eas res, quæ in ſe ſunt diverſæ, apte connectendas. Attamen opus quoque eſt judicio, ut quid cuique perſonæ colloquenti conveniat, rite diiudicetur; etenim quum in dialogo diverſæ perſonæ de variis rebus differentes introducuntur, auctor illius merito de eo ſollicitus eſſe debet, ut omnia apte quidem cohæreãt, per varietatem tamen delectent atque caracteribus perſonarum, quæ loquuntur, conveniant. Ingenii indole, quam ſcriptio dialogi poſtulat, ſi quis præditus eſt, recte ſibi ad illam in hoc ſcribendi genere excitandam ac perpoliendam conſulit, ubi ad le-

ctio-

ctionem optimorum dialogorum ſtudioſam accedit atque accurate obſervat, de quo argumento perſonæ loquantur: quomodo quæque ſuam ſententiam exprimat: qualis ſit nexus inter diverſas ſententias: quomodo dicendi forma pro diverſo perſonarum caractere differat: num ubique decorum ſit obſervatum, nec ne? ac quæ alia hujusmodi obſervationum ſunt capita. Inter veteres latinos dialogos varios ſcripſit *Cicero*, qui pleraque ſcripta philoſophica atque rhetorica hac ratione compoſuit, ex quibus *Cato major*, & *Lælius* ſunt ſimpliciores ac caracterem tenuem, dialogorum proprium habent; reliqui vero accedunt ad ſtilum nimis artificioſum atque elegantem, qui colloquiis minus convenit. Comicorum dialogorum notiſſimi auctores ſunt *Terentius*, ac *Plautus*. Extat quoque dialogus de *cauſſis corruptæ eloquentiæ*, cujus auctor incertus, qui ve ab aliis Tacito, ab aliis Quinctiliano adtribuitur. Ex ſcriptoribus chriſtianis elegans dialogi exemplum poſteritati reliquit *Minucius Felix* inſcripti *Octavius*, quo veritatem atque excellentiam religionis chriſtianæ a paganis calumnis defendit. Recentioris ævi ingeniis hæc ſcribendi ratio ſe haud multum commendaſſe videtur, quoniam pauci ſunt, qui in iſta latine aliquid tentarunt: habemus tamen quosdam non invenuſtos recentiorum dialogos, *M. Antonii Majoragii*, *Jani Nicii Erythræi*, *Juſti Lipſii*, *Erasmi* Roterodami, *Sebaſt. Caſtalionis*, quorum exempla cum antiquis ad imitationem ſunt proponenda.

§. XXII.

Latino quoque ſermone componuntur *inſcriptiones*, quarum conficiendarum duplex eſt ratio, vel vetuſtior, vel recentior. Veteres quomodo quave occaſione ſuas fecerint inſcriptiones, tot illarum exempla declarant, ab eruditiſſimis viris ſingulari atque interdum incredibili induſtria deſcripta, collecta atque illuſtrata, *Jano Grutero*, principe horum auctorum, *Thoma Reineſio*, *Jacobo Sponio*, *Henrico Noriſio*, *Raphaele Fabretto*, *Sertorio Urſato*, aliisque, quos recenſet *Jo. Albertus Fabricius* in *bibliotheca latina* lib. IV. cap. 5., quorum nonnullos & nos ſupra cap. IV. §. 24. laudavimus atque ad orthographiæ ſtudia commendavimus. Ad horum exempla & noſtra ætate inſcriptiones confici ſolent in portis, pontibus, ædificiis publicis ac privatis, aliisque operibus; itemque in epitaphiis, cenotaphiis, hujusque generis monimentis. Qui hujusmodi inſcriptionem conficere inſtituit, ad tria momenta animum advertere debet, ad materiam quippe, ad elocutionem, atque ad orthographiam. Quod ad materiam adtinet, notantur tantum principes circumſtantiæ illius rei, propter quam inſcriptio componitur: longior enim oratio heic nullum locum habet, ac quo brevior inſcriptio eſt, eo majorem habet gratiam. Elocutio convenire debet ſtilo lapidari, qui multa habet ſingularia, quæ ab uſitata ſcribendi ratione recedunt: in ſtili hujus lapidaris uſu ea cautio adhibenda eſt, ne quæ aperte ſint vitioſa, ſive per ignorantiam lapicidarum,

ſive

ſive per culpam illorum, qui inſcriptiones deſcripſerunt, ſive per aliam cauſſam, imitemur. Orthographia requirit ſcripturam majuſculam, ac ſigna diſtinctionis, quum ipſa antiquitas heic varia eſt, diverſa ratione poni ſolent: in pleriſque veterum inſcriptionibus voces ſingulæ punctis ſingulis ſeparatæ videntur, præter finales verſuum, ubi veteres nullam diſtinctionis notam addiderunt; tamen extant inſcriptiones apud *Gruterum*, & plures apud *Sponium*, quæ punctis ſunt deſtitutæ: utraque diſtinctionis ratio recentiori ætate uſurpari ſolet; alii ſingulis vocibus præter finales puncta addunt; alii vero iſta omittunt, aut finales tantum voces illis notant.

§. XXIII.

Recentior inſcriptionum ratio proxime accedit ad poëſin, aut medium locum tenet inter orationem ſolutam, ac ligatam. Carminis ſimilitudinem habet partim in ipſa re, quæ proponitur, adeo ut utrique, carmini quippe atque inſcriptioni eadem ſit inventio, hæcque idem ſuppeditet argumentum; partim in dictione, quæ, ubi inſcriptioni gratiam adferat, allegorica atque arguta eſſe debet, adeo ut non temere linea quædam ſit ponenda, in qua non acutum quid adpareat. Atqui ex hoc haud obſcure patet, quod in conficienda inſcriptione, quæ gratiam habet animoſque legentium delectat, opus ſit ingenio poëtico, ſive ea intelligendi facultate, quæ naturali vi ſua ad inventionem ſi-

ni-

militudinis, comparationis, connexionis, imaginum apta eſt; qua ſi quis deſtitutus nihilominus in hoc ſcriptionis genere aliquid tentare audet, nihil efficiet, quod veram inſcriptionis laudem tuetur: namque inventio erit vulgaris, imperita, languida; dictio autem jejuna, ac ſi quid acuti adfectat, ubique adparebit frigidum. Verum & hoc demonſtrat, quod heic præcepta non multum valeant: quodve in naturali vi atque exercitatione omne rei hujus momentum ſit poſitum. Extant tamen, qui præceptis ſuis rationem inſcriptiones componendi monſtrare, atque præcipue argutæ dictionis indolem atque uſum explicare voluerunt, cujuſmodi ſunt *Octavius Boldonus* in *epigraphia*, *ſive elogia inſcriptioneſque pangendi ratione*: *Jacobus Maſenius* in *arte argutiarum*; *Emmanuel Theſaurus* de *ingenioſa dictione*: *Daniel Georgius Morhofius* in *diſciplina argutiarum*: *Chriſtianus Weiſius* in *poeſi politicorum*: *Bohusl. Balbinus* in *quæſitis oratoriis* part. II. aliique, quorum jam ſupra fecimus mentionem, quum de ſtilo arguto diſſerendi nobis eſſet occaſio. Neque deſunt, qui ipſas inſcriptiones ediderunt, *Emmanuel Theſaurus* in *inſcriptionibus*: *Jo. Baptiſta Maſculus* in *elogiis ſacris*, *philoſophicis*, *regiis*, in quibus, ut de multis aliis hujuſmodi libris taceamus, principem locum tenet *Jo. Philippi Slevogtii inſcriptiones varii generis publico privatoque editæ nomine*, Jenæ MDCCXXIV.

Sunt

§. XXIV.

Sunt alia ſcriptionis genera, in quibus itidem latinæ linguæ facultas monſtranda eſt. Pertinent enim ad iſta primum *programmata*, quæ publico privatoque nomine edita ſolemnia, funera, actus oratorios, recitationes indicunt, quorum pro varietate argumentorum, diverſa eſt ratio: etenim vel ipſa res tantum, propter quam concio advocanda eſt, pertractari; vel argumenti cujuſdam, quod iſti convenit, explanatio præmitti poteſt, qui diverſus ſcribendi modus locum quoque habet in illis, quæ funera ſignificant, in quibus defuncti curriculum vitæ eſt enarrandum. Dictio in his diſſertationibus debet eſſe caſta, profluens, elegans ac nativa; forma autem ipſius ſtili varia eſt, modo tenuis, modo cum gravitate quadam atque ornatu rhetorico conjuncta, id quod ex conditione ipſius rei, quæ indicenda eſt, prout eſt vel humilis & vulgaris, vel ſublimis ac magnifica, debet dijudicari. Nec heic deſunt exempla imitanda clariſſimorum virorum, qui programmata ſua in ſummam collecta unoque juncta faſciculo ediderunt: habemus enim *Chriſtophori Cellarii programmata varii argumenti oratoriis exercitiis in Citicenſi lyceo præmiſſa*, Lipſiæ MDCLXXXIX.; *Conradi Samuelis Schurzfleiſchii diſſertationes academicas varii generis, publico nomine conſcriptas, & nunc primum conjunctim editas*, Vitembergæ MDCXCIX.; *Gothofredi Vockerodt conſultationes de litterarum ſtudiis recte & religioſe inſtituendis nec non de publicarum ſcholarum uſu*,

uſu, pretio & diſciplina ſanctiore, Gothæ MDCCV.; *Jo. Caſparis Poſneri eloquentiam academicam, hoc eſt ſcriptorum palam propoſitorum, nec non orationum allocutionumque & inſcriptionum quarundam ſpecimina*, Jenæ MDCCXVIII.; *Jo. Guilielmi Bergeri diſſertationes academicas varii argumenti ex auctoritate publica ante hoc tempus ſcriptas*, Guelferbyt. MDCCXVII. Nonnulli diſcrimen conſtituunt inter *programmata*, ac *proluſiones*, haſque referunt ad eas ſcriptiones, quibus in academiis recitationes, aut diſceptationes eruditæ ſignificantur; verum diſcrimen illud harum vocum haud conſtanti uſu confirmatum eſſe conſtat. Habemus alia programmatum exempla, quæ omnia non eſt, quod recenſeamus: ſufficit, ea commendaſſe, quorum ſtilo ac dictione ſingularis eſt laus.

§. XXV.

Porro ab eruditis conſcribuntur *diſputationes*, in academiis præcipue, quæ inter ſe maxime differunt, ſive ad argumenta, de quibus exponunt, quæve vel ex ſacra, vel juriſprudentiæ, vel medicinæ, vel philoſophiæ atque humanioris doctrinæ diſciplina depromta ſunt; ſive ad formam reſpiciamus: etenim quod ad formam, qua conſcribuntur, pertinet, triplex illarum genus eſt. Primum verſatur in enarratione, quo pertinent diſputationes hiſtoricæ, quæ requirunt ſtilum hiſtoricum; ſive ſcribendi genus, quod perſpicuum, purum, ſimplex ſimulque concinnum eſt: ita ut quamvis plerumque formet

pe-

periodos breviores; interdum tamen hiſtorici pro rerum, quæ referendæ ſunt, conditione inciſim ac membratim ſcribant: præclara harum diſputationum exempla habemus in *Chriſtophori Cellarii diſſertationibus academicis* Lipſ. MDCCXI. a nobis conjunctim editis,& in *Conradi Samuel. Scurzfleiſchii operibus hiſtoricis politicis*, Berolin MDCXCIX. Secundum diſputationum genus cernitur in doctrina, ſi argumentum quoddam explicatur ſimpliciter illiusque veritates probantur: in quibus ſtilus idem eſt, ac in aliis libris didacticis, purus quippe; nativus ac perſpicuus, nullam adfectans elegantiam. Tertium eſt in diſceptatione, quod veritatem confirmat, in quo præcipue abſtinere decet a barbaris ac ſcholaſticis diſputandi, contradicendi, reſpondendi formulis ac ſyllogiſmorum uſu, cujuſmodi ſunt, *nego*, *diſtinguo*, *limito*, *propoſitio major*, *minor*, *inverto* ac quæ alia hujus ſunt generis: quamvis enim pro conſuetudine, quæ adhuc valet, formulis hiſce ac ſyllogiſmis in diſputationibus, quæ voce inſtituantur, ſit locus; minime tamen ſcriptioni, quæ libera eſſe debet, conveniunt. Hac ſane ætate ſapit pædantiſmum, ut hac voce barbara utamur, ſi quis in ſcriptis eam diſputandi rationem tenet, quæ in cathedra uſurpatur: in hoc genere eoque philoſophico elegantia documenta dederunt *Samuel Puſendorfius* in iis ſcriptis, quibus adverſariis obviam ivit;& *Jo.Franciſcus Buddeus* in *analectis hiſtoriæ philoſophicæ*, in *ſelectis juris naturæ & gentium*.

De-

§. XXVI.

Denique conſcribuntur *libri* latino ſermone, in quibus itidem ſtilum curare, iſtumque formare purum, ſimplicem, nativum ac perſpicuum decet. Prima ſtili latini, quo libri iique didactici ornandi ſunt, *caſtitas* eſt, quam docens neutiquam negligere ac barbarum ſermonem uſurpare debet, uti multorum eſt perſuaſio ac conſuetudo, qui credunt, docentem ſollicitum eſſe de rebus, non de verbis; atque idem eſſe, ſive loquatur ac ſcribat latine, ſive barbare. Sed quam falſa ſit hæc perſuaſio ac quam depravatus multorum mos, res ipſa loquitur; quis enim dubitaret, majorem eſſe doctrinæ gratiam ac dignitatem, quæ & ſententiis & verbis ſe commendat: hocque fieri poſſe, ut docentes ſententias ſuas & accurate & eleganter latineque declarent, exempla eruditiſſimorum virorum comprobant. Verum caſtitatem ſtili docentibus commendando, neutiquam ab illis poſtulamus, ut ubique loquantur romane, nec alia voce niſi caſta ac probata utantur: hanc ſcribendi rationē in rebus præcipue novis, quas antiquitas ignoravit, ſervilem ac ſuperſtitioſam hincque vitioſam eſſe, ſupra pronuntiavimus. Sane ſi velimus expendere, quomodo recentiores doctores de multis rebus, quæ antiquo ævo fuerunt minus cognitæ exponant; quomodo quævis diſciplina habeat propria ſua vocabula; ſine difficultate poſſumus colligere, quod non ubique romane ſit loquendum ac docentibus interdum impoſita neceſſitas, a caſtitate latinæ

lin-

linguæ diſcedendi, niſi romanæ ac puræ dictioni unice addictus, orationem efficere vellet obſcuram atque ſcribendi genus formare adfectatum. Porro ſtilus in ſcriptis didacticis debet eſſe *ſimplex*, id eſt ab ornatu rhetorico, allegoriis quippe, tropis, figuris patheticis remotus, quæ ſcribendi forma eam ob cauſſam neceſſaria eſt, ut veritas clare ac diſtincte doceri eaque rite probari queat: ubi enim docentes ab hac ſtili ſimplicitate recedunt atque oratoriā adfectant elegantiam, obſcuritatis vitio orationem ſuam contaminant ac magis perſuaſionem, quam ſolidam demonſtrationem cōſectantur. Eamdem ob cauſſam neceſſe eſt, ut ſtilus hic ſit *nativus* ac proprius: etenim quum deceat doctorem, omnia, ſi per ipſarum rerum indolem fieri poteſt, clare ac diſtincte tradere, merito ſe a translationibus, ſive metaphoris, inprimis ubi longe ſunt petitæ, abſtinet; ea enim dictionis metaphoricæ ratio eſt, ut quum menti notionem cum imagine quadam conjunctam exhibeat, impediat, quo minus mens rem clare nec diſtincte intelligat. Quocirca minime laudanda eſt docendi ratio, quam ſequutus fuit Pythagoras; ſymbola enim, quæ commendabat, ſententiæ erant metaphoricæ eæque maxime obſcuræ: philoſophi autem ſumma virtus poſita eſt in perſpicuitate. Denique merito ſcripta didactica ornat ſtilus *perſpicuus*: quam in rem enim docemus, ſi intelligi nolimus? quo faciliori negotio liber quidam poteſt intelligi, eo eſt utilior, eo majori cum voluptate legitur: ſi nonnulli in obſcuritate ac

difficultate quærunt ſubtile atque acutum quid, plane imperitum eſt atque abſonum; nulla enim veritas tam abſtruſa ac ſublimis eſt, quin verbis dilucidis declarari poſſit. Quodſi enim mente concipi poteſt clare, nullam videmus cauſſam, cur non clare ſit enuntianda: quocirca merito ſuſpecta videntur ſcripta, quæ ſunt obſcura; nec ſine ratione colligimus, quod auctor ſententias ſuas aut noluerit, aut non potuerit perſpicue declarare.

§. XXVII.

Extant ſcripta didactica in omni litterarum genere, quæ puro, ſimplici ac perſpicuo ſtilo ſunt compoſita, hincque ad lectionem atque imitationem commendanda. Quod adtinet ad diſciplinam ſanctiorem, ſive *theologiam*, antiquo ævo de myſteriorum ac religionis chriſtianæ capitibus ſtilo perſpicuo, proprio ac terſo præter ceteros expoſuerunt *Minucius Felix*, atque inprimis *Lactantius*, Tullius ille chriſtianus, magis tamen cultoribus divinioris doctrinæ propter caſtitatem atque elegantiam dictionis, quam ſtili formam commendandus: namque quum oratorium dicendi genus fuerit ſectatus, neglecta ſimplici docendi ratione, ei, quod multis aliis antiquioris eccleſiæ doctoribus, evenit: nimirum interdum magis declamat, quam docet: magis pro rhetorum atque oratorum more perſuadet, quam quod doctorem & philoſophum decet, ſolide probat ac confirmat. Tempore ſcholaſticorum

Lenæ

bonæ litteræ atque in illis præcipue romana lingua exſulabant, tantaque erat ignorantia tamque miſera eruditionis facies, ut ſi quid ſcriberent ac loquerentur, omne eſſet barbarum ac vitioſum: ſed poſtea politiores muſæ ad priſtinam lucem ac dignitatem ſunt revocatæ atque exſtiterunt graviſſimi viri, qui cultiori latinæ linguæ operam dederunt ac quam præclarus quoque in argumentis ſacris illius uſus ſit, ſuo demonſtrarunt exemplo.

§. XXVIII.

Nec alia litterarum genera reſpuunt latinitatem: *juriſpudentiæ* æque ac aliarum diſciplinarum capita explanari poſſunt latino ſermonis genere, quod purum, elegans, ac perſpicuum eſt; quod non ſolum res ipſa docet, verum etiam præclara exempla juris conſultorum, qui cum diſciplina juris elegantiores litteras conjunxerunt, comprobant. Teſtes ſunt jurium antiſtites antiquiores *Papinianus*, *Paullus*, *Ulpianus* aliique, ex quorum ſententiis compoſita ſunt *digeſta*, in quibus qualis ſit latinitas, multum quidem idque in utramque partem fuit diſputatum; digna tamen eſt exiſtimatione, ſuaſque habet elegantias, ſuoque nitet cultu, quamvis ad caſtitatem ac dignitatem Tullianam haud accedat. Quum poſthæc barbaries adverſus quodvis litterarum decus graſſaretur, cultus quidem latini ſermonis ab illis, qui juris diſciplinas docebant, plane neglectus fuit, quod videmus ex ſtilo *Baldi*, ac *Bartoli*;

depulſis tamen tenebris, recuperavit ſibi priſtinam dignitatem, poſtquam extiterant in luce bonarum litterarum doctiſſimi juris auctores, qui juriſprudentiæ ſtudia cum humaniori doctrina conjungenda eſſe, recte intelligerent. Hi iterum ſuo exemplo comprobarunt, quod & in jure conſultorum ſcholis caſta atque elegans latinitas florere poſſit: monſtrarunt id *Cujacius*, *Briſſonius*, *Hotomannus*, ac qui ad noſtram ætatem pertinent, *Janus Vincentius Gravina*, *Georg. Schubartus*, *Jo: Philippus Slevogtius*, *Jo: Gottlieb Heineccius* & plures alii, qui præcipue Belgium ornant, nutricem illam omnis politioris doctrinæ benigniſſimam, atque illis ingeniis felicem, quæ elegantioris juriſprudentiæ ſtudia promovent.

§. XXIX.

Medicæ artis cultoribus latini ſtili cauſſa ex antiquo ævo commendamus *Cornelium Celſum*, qui libros de *re medica* reliquit, tanta dictionis elegantia conſpicuos, ut non immerito medentes eum adpellent Tullium ſuum ac latinum Hippocratem. Recentiori ætate multi ex medicorum ordine otium humanitatis doctrinæ conſecrarunt, nec exiguam harum litterarum laudem ſunt conſecuti: clariſſima ſunt nomina *Theodori Janſonii Ab almeloveen*, *Bartholinorum*, *Olai Borrichii*, *Abraami Berkelii*, *Hermanni Conringii*, *Antonii Vandalen*, *Caſparis Hoffmanni*, *Meibomiorum*, *Patinorum*, *Thomæ Reineſii*, *Jacobi Sponii*, *Jacobi Tollii*, *Georgii Wolfgangi*

gangi Wedelii atque aliorum, quorum ſtudia meritaque, quibus politiores muſas ornarunt, commendat *Jacobus Burckardt* in *medico humanitatis ſtudiorum vindice*, MDCCXVI.: inter hos nonnulli eleganter ac nitide ſcripſerunt, ad quam laudem præter cæteros noſtra ætate acceſſit *Jo: Gothofredus Bergerus* cujus *phyſiologiæ medicæ* propter ſtili cultum magnum pretium ſtatuitur. Denique quod ad *philoſophiam* adtinet, iſta quoque pura & terſa oratione doceri poteſt. Confirmant hoc inter veteres exemplis ſuis *Columella*, ſcriptor *rei ruſticæ* cultus, diſertus & quantum patitur argumentum, purus, hincque dignus, qui frequenter veniat in manus latinæ linguæ ſtudioſorum: *Cicero* præcipue in libris de *officiis*, quoniam in reliquis ſcriptis philoſophicis dicendi genus non ſatis eſt ſimplex; ſed ad caracterem accedit, qui vel in dialogis, vel in orationibus locum habet: *Seneca*, cujus dictio incitata, acuta, ſententiæ crebræ, copia locuples, unde eamdem ſententiam aliis atque aliis verbis exprimit; plura igitur dicit ſententioſe, quam ſolide hincque non tam doctorem, quam rhetorem agit. Recentius ævum multa quidem tulit philoſophorum ingenia; pauca tamen in illis ſunt, quæ in tradendis philoſophiæ præceptis ſimul ſollicita fuerunt de latini ſermonis genere, quod planum, perſpicuum, ac quantum argumenta philoſophica patiuntur, caſtum ſit: inter illos tamen, qui cultiorem philoſophiam docuerunt, merito locum ſuum habent *Carteſius*, *Samuel Puſendorfius*, *Jo: Clericus*, *Jo:*

Franciſcus Buddeus, *Jo: Jacob. Syrbius*, *Nicolaus Hieronymus Gundlingius*: qui ſpeciatim præcepta antiquioris logicæ latine atque emendate conſcripta legere volunt, illis commendamus *Jacobi Facciolati logicæ diſciplinæ rudimenta ex optimis fontibus ducta & latine explicata*, quæ ſuperiori anno Venet. MDCCXXVIII. prodierunt.

§. XXX.

Hæc ſunt capita hiſtoriæ criticæ latinæ linguæ, a nobis breviter explanata in illorum gratiam, qui romanæ linguæ ac terſioris ſtili ſunt ſtudioſi: ſumma illorum his fere verbis *Plinii* lib. VI. *epiſt.* 29. continetur: *multum lege, ſcribe, meditare ut poſſis, quum voles, dicere; velis, quum velle debebis*: igitur omne fere refert ad exercitationem adſiduam nec multum præceptis tribuit, quæ & ſola ad laudem ſtili emendati atque elegantis comparandam haud ſufficiunt; immo ſi nimis ſunt longiora ac copioſa, veram diſcendi rationem perturbant, atque impediunt. Quocirca recte *Cicero* lib. I. cap. 4. de *orator. uſus frequens omnium magiſtrorum præcepta ſuperat*; & *Seneca epiſt.* VI. *longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla*, quæ effata in ſe vera ſunt atque uſu ſatis confirmata: quamobrem & nos in hoc libro breviora commendavimus præcepta; quæ enim ibi copioſe dicta ſunt, ad hiſtoriam linguæ latinæ ſpectant.

DIATRIBE
PHILOSOPHICA
DE
LITTERIS
HUMANIORIBUS.

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

Quum de litteris humanioribus in præſentia ſumus diſputaturi, nomina autem illarum a Latii veteris gente accepimus; non alienum eſſe a diſputatione videtur, ſi diſpiciamus, quæ litterarum genera ab illa culta fuerunt, quasve doctrinarum diſciplinas *litterarum humaniorum* nomine intellexerit. Sero litterarum ſtudia in urbe Roma exerceri cœperunt, & omnis doctrina antiquitus philoſophia, hiſtoria, poëſi, & oratoria arte continebatur, cui quidam civile jus addebant; politiores vero litteræ poëſi maxime, ac oratoria facultate concludebantur. Juris ſcientiam nec priſci Romani neglexerunt, quod clariſſima nomina a *Pomponio* lege II. de *orig. juris* laudata, Æliorum, Scævolarum, Semproniorum aliorumque teſtantur: confer *Georgium Schubartum* de *fatis jurispr. romanæ* Jen. MDCXCVI. opere elegantiſſimo; I. V. *Gravinam* de *origine & progreſſu juris civilis* & plures alios. Sub Ciceronis temporibus ſtudia ſplendidius poliri cœperunt, nitidioremque induerunt faciem: inprimis eloquentiæ arte ingenia animosque exercebant Romani, quam philoſophiæ & juris prudentiæ anteferebant. Tamen philoſophia quoque, quæ adhuc nullum ha-

habuerat lumen litterarum latinarum, poſthæc illuſtrata atque excitata eſt, & jus civile ipſius philoſophiæ luce factum illuſtrius, quum Servius Sulpicius facem præferens, viam monſtraret ad conſequendam juris & æqui ſcientiam. Præter philoſophiæ, eloquentiæ,& juris civilis magiſtros erant adhuc alii, qui *grammatici*, *critici*, *litterati* dicebantur, ac philologiam præcipuæ curæ ſibi habebant: conſule *diatrib.* noſtram *de dedic. librorum veterum Rom.*p.9.;ac qui de litterarum ſtudiis veterum Romanorum plura deſiderat,adeat ille *Wowerum* de *polymath.* Lipſ. MDCLXVIII cura *Thomaſii* & tom.x.p.985.*theſ. antiquit.græc.Gronovii*, *Herm. Conringii diatrib.de ſtudiis liberalibus urbis Romæ*, *Cellarium diſſ. de ſtudiis Roman. litterariis in urbe & provinciis* Hal. MDCXCVIII.

§. II.

Quæ ex his doctrinarum ſtudiis nomine *litterarum humaniorum* concluſerint, nunc diſpiciamus.Quod ad vocem *humanitatis* adtinet, illa ſæpe litteris adſignatur, quæ homines diſtinguant a brutis & vere reddant homines. *A. Gellius* XIII.16. *noct. Atticar.qui verba latina fecerunt,quique his probe uſi ſunt*, humanitatem *non id eſſe voluerunt, quod vulgus exiſtimat, quodque a Græcis φιλανθρωπία dicitur, & ſignificat dexteritatem quamdam benevolentiamque erga omnes homines promiſcuam; ſed* humanitatem *adpellaverunt id propemodum, quod Græci παιδείαν vocant, nos eru-*

eruditionem inſtitutionemque in bonas artes dicimus : quas qui ſinceriter cupiunt appetuntque, hi ſunt vel maxime humaniſſimi: hujus enim ſcientiæ cura & diſciplina ex univerſis animantibus uni homini data eſt, idcircoque humanitas adpellata eſt : ad quem Gellii locum illuſtrandum *Paullus Manutius comment. ad orat. pro Archia* p.44.ed.*Grævii* quædam obſervavit. *Cicero pro Archia* n.3. *patiamini de ſtudiis humanitatis ac litterarum paullo loqui liberius*, & n. 4. *ut primum ex pueris exceſſit Archias atque ab illis artibus quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe ad ſcribendi ſtudium contulit*, hoc eſt poëticen, quæ cum hiſtoria res geſtas clarorum virorum deſcribit. Ex quibus *Ciceronis* verbis id elucere videtur, quod ſtudia humanitatis hujusmodi litterarum genus indicent, quo pueri in primis informantur, grammatica quippe, eloquentia, poëſi, atque hiſtoria. Nimirum Romani primum linguam græcam diſcebant & auſpicabantur a poëtis: tum pergebant ad hiſtoricos & exiſtimabant, hiſtoriam philoſophiæ præmittendam eſſe, cujus hiſtoriæ ſtudium præcipue ſibi curæ habebant : porro in rhetorica operam ſuam collocabant,& quoniam poëta eſt oratori finitimus, artem quoque poëticam ſibi habebant commendatam, quam ipſe Tullius dicit, ad eloquentiam ſibi profuiſſe: philoſophia poſt rhetoricam a multis cognita, quamvis etiam prius ſe philoſophis dederint. Quod ſi alia veterum monimenta perluſtramus, patebit nobis adhuc clarius, quod per ſtudia *humanitatis* præcipue id genus litterarum intelle-

xerint, quod & nos adpellamus *philologicum*. *Cicero* ad *diverſos* IX. 6. 10. ad Varronem: *quum enim te ſemper magnum hominem duxi, tum, quod his tempeſtatibus es prope ſolus in portu, fructusque doctrinæ percipis eos, qui maximi ſunt, ut ea conſideres, eaque tractes, quorum & uſus & delectatio eſt omnibus iſtorum & actis & voluptatibus anteponenda*; de Varrone autem conſtat, quod in cultu philologiæ omne ſtudium, omnem laborem mentisque operam poſuerit, cujus ingenii dotes ipſe quoque *Cicero* extollit mire lib. I. *quæſt. acad.* confer. *diſſertationes Weitzii & Dilherri* de *philolog.* lib. II. *appar. phil.*, & *Philippi Caroli animadv. in A. Gellium* XIII. 15. In aliis quoque locis Cicero *humanitatis* voce de litteris elegantioribus utitur, exempli gratia pro *Marco Cælio*: *qui cum doctrinæ ſtudio atque humanitatis, tum etiam hoſpitio Dionis tenebantur*: *pro Archia* dicit: *omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur*, ut de aliis teſtimoniis taceamus. Præter hæc deprehendimus alia nomina, *litterarum* quippe *ingenuarum*, item *liberalium*. *Cicero ad diverſos* IV. 4. 15. *nam etſi a prima ætate me omnis ars & doctrina liberalis & maxime philoſophia delectavit: tamen hoc ſtudium quotidie ingraveſcit, credo & ætatis maturitate ad prudentiam, & his temporum vitiis, ut nulla res alia levare animum moleſtiis poſſit*, quibus verbis Ciceero a doctrina liberali philoſophicum ſegregare videtur. *Vellei. Paterculus* I. 13. 3. *Scipio tam elegans liberalium ſtudiorum omnisque do-*

doctrinæ & auctor & admirator fuit; lib. II. 59., 4. de Auguſto: *& pacatis bellis civilibus ad erudiendum liberalibus diſciplinis ſingularis juvenem indolis, Apolloniam eum in ſtudia miſerat*: adde *Ciceronem* ad *diverſos* XIII. I., *Senecam epiſt.* 88., & *G. J. Voſſium* de *philologia* cap. I. §. 7. De *ingenuarum* litterarum adpellatione vide *Ciceronem* de *finibus bonorum & malorum* V. 18., *Naſonem epiſt. ex Ponto* I. 6., 7. II., 7. 47., 9. 47. Quanquam profiteri neceſſe eſt hæc teſtimonia obſcure interdum ſignificare, quæ ſtudiorum genera nomine humaniorum, liberalium, ingenuarum artium veniant: tamen a veritate non plane alienum eſt, quod præcipue ſub cognomine hoc diſciplinas philologiæ & hiſtoriarum comprehenderint. Latiori interdum ſententia utitur inprimis Cicero *humanitatis* voce pro eruditione omnis litteraturæ, philoſophiæ quoque, ac juris atque æqui cognitionis: alibi tamen ſtrictiorem ſignificationem ponit.

§. III.

Litteras humanitatis, quas & elegantiores ac politiores adpellamus, Romanorum genti debemus, cujus exemplum ſecuti colimus illas, iiſdemque humanitatis nomen adſignare, neceſſe eſt. Concludimus itaque litterarum humaniorum voce partim philologiam, quæ grammaticam, rhetoricam, poeſin, philologiam ſtrictius dictam, & criticam artem complectitur: partim hiſtoriarum, etiam antiquitatum ſtudia: huc ſpectant verba celeberrimi *J. A. Fabricii biblio-*

graphia antiqu. p. 122. *philologia atque humanior eruditio, de qua præclaræ Jo: Wowveri de polymathia, & Gerh. Jo: Voſſii de philologia commentationes exſtant, præter grammaticam, linguarum cognitionem, etiam alias diſciplinas humaniores, ut artem dicendi, & poeticen; inprimis vero criticen, ſive facultatem judicandi de omnis generis ſcriptis, veterum præcipue, genuina a ſuppoſititiis, lectu digna ab ineptis diſcernendi, eaque emendandi & interpretandi, ambitu ſuo complectitur. Quæ poſtrema ut accurate fiant, opus eſt non mediocri ſcientia antiquitatis, qua deſtitutos nihil in priſcorum ſcriptis videre, & e noſtris moribus veteres ætates judicando paſſim hallucinari certum eſt. Antiquitatis autem cognitionem ille demum ſibi comparaſſe intelligitur, qui præter hiſtoriam veterem, tum fabularem illam, tum veram hujuſque partes civilem, eccleſiaſticam, litterariam & naturalem, perſpectos habuerit ritus moreſque veteres, ſacros, politicos, militares & privatos ſive æconomicos; quique in monimentis antiquis probe ſit verſatus, ac præter libros editos conſulverit etiam & cum judicio conſulere poſſit codices MSS., tractaverit numiſmata antiqua & inſcriptiones, diligenterque contemplatus ſit ædificia, ſive rudera antiqua & inſtrumentum priſcum omnis generis, quantum temporum hominumque injuriæ reliqui nobis fecerunt, aquæductus, amphitheatra, arcus, ſtatuas, columnas, obeliſcos, pondera ac menſuras, toreumata, ſive tabulas exſculptas, opera muſiva, gemmas, lucernas, vaſa, & quicquid ſupellectilis antiquę ad nos pervenit*

nit

nit & ætatem tulit : Quum philologia in diſciplinis linguarum verſatur, diſquiri poteſt, quarum linguarum cognitio in humanioris litteraturæ cenſu poſſit haberi? Sequamur Romanorum morem, qui quum ſtudia humanitatis colere cœpiſſent, græcum quoque ſermonem diſcebant, idque minimo ſane negotio, quoniam vel in Græciam ſe conferebant, vel domi audiebant quotidie græce loquentes plurimos. Cicero ad præturam uſque græce declamavit, ut habet *Suetonius* de *claris rhet.* I. Atticus ſic græce loquutus, ut Athenis natus viſus fuerit, quod teſtatur *Nepos vit. ejus* cap. IV. M. Cato ingraveſcente ætate litteris græcis invigilavit, auctore *Valerio Maximo* VIII. 7. Auguſtus in græcis ſtudiis præſtitit largiter, teſte *Suetonio vit.* cap. LXXXIV. LXXXIX. Nero pro Bononienſibus latine, pro Rhodiis atque Ilienſibus græce verba fecit, eodem teſte in *vit.* cap. VII. De Adriano *Ælius Spartianus vit.* cap. I.: de Alexandro Severo *Lampridius vit.* cap. 27. idem teſtantur. Culturam ergo ſermonis græci & romani conjunxerunt, ad quorum morem, quum ab illis adpellationem *ſtudiorum humanitatis* acceperimus, accommodare nos, non ab re erit. Quodſi latiori ſententia intelligamus litteras humanitatis, ad illas, & alias linguas referri poſſe, non dubitamus: qui colit autem Græciæ & veteris Latii linguam, partem litterarum illarum colit, quæ amœniſſimum illud ab humanitate nomen proprie trahunt. Hiſtoriarum ſtudia inter elegantiores litteras locum ſuum habere, veterum Romanorum ſtudia comprobant,

qui non ſolum multum tempus in cultu illarum conſumſerunt; ſed illas quoque ſuaviſſimo humanitatis nomine exornarunt, quod oratio *Ciceronis pro Archia* clarum reddit. Sunt, qui humanitatis ſtudia finibus amplioribus contineri dicunt, eaque philoſophiæ quoque litteras complecti adfirmant: quorum ſententia a veritate quidem non plane remota eſt, quum ipſa erudita antiquitas *humanitatis* vocem pro omni doctrina interdum uſurpat, & philoſophia ea eſt medicina, quæ hominem animi morbis levare poſſit & vere faciat hominem; impenſius tamen ad conſuetudinem dicendi & antiquam & recentiorem nos adcommodamus, quum philoſophiam ab elegantiæ litteris ſejungamus.

CAPUT I.

De Indole Litterarum Humaniorum.

Quod ad genuinam litterarum humaniorum indolem adtinet, de iſta tam generatim, quam ſpeciatim ediſſerere animus eſt, ita ut ſingularum, quas complectantur, partium habeamus rationem. Generatim duas regulas obſervatas eſſe volumus, quarum altera eſt: *litteræ humaniores in cenſu veræ eruditionis non habendæ ſunt*; altera vero: *litteræ humaniores ad eruditionem generalem debent referri*; quæ duo momenta ne contraria ſibi ipſis videantur, quædam de ipſa eruditionis noſtræ indole præfa-

ri, † non ab re eſſe opinamur. Eruditio noſtra generatim conſiderata eſt ſcientia & cognitio multarum veritatum & variarum rerum, quæ duplici lumine nititur & Dei gloriam & hominum commoda promovet. Vario modo iſta dividi poteſt. I) ratione *finis*, propter quem ſtudemus litteris, eruditio eſt vel *vera*, ſive *principalis*; vel *inſtrumentalis*. Eruditio *vera*, ſive *principalis* eſt hujusmodi cognitio veritatum, quæ ſequitur voluntatem Dei, id eſt qua adſequimur uſum eorum bonorum, quæ Deus ad hominum felicitatem deſtinavit. Quod ut rite intelligamus, obſervandum eſt, quod primum homo originē ſuam debeat Deo, Deusve, a quo ortum habeat mortalis, veluti ſummum, ſapientiſſimum, & optimum ens ex lumine naturæ cognoſcatur; hincque ab eo perfectiones debeant proficiſci, quas & homo acceperit. Deinde conſtat, quod homo laboret imbecillitatibus, quumque intellectu, voluntate, corpore præditus eſt & fruitur aliis bonis, quæ dicuntur relativa, honore, di-

† *Quod ad vocem* eruditionis *adtinet, conſiderari poteſt cum illius uſus, tum origo. Nos ponimus illam generaliori ſignificatione; alii ſpeciatim per iſtam veram & ſolidam rerum utilium & neceſſariarum notitiam intelligunt. Sic vox γνώσεως a veteribus accipitur pro cognitione ac ſcientia omnium hominum, ut habet Clemens* Alexandr. *lib.* VI. ſtromat. *p.* 617.; *& pro ea, quæ piorum eſt propria, id. lib.* VII. ſtrom. *p.* 731.: *legantur I. F. Buddeus* theol. moral. *l.* 1. 2. 56, *& Langius in* protheoria erudit. humanæ univerſæ.

vitiis, voluptate, laboret imbecillitatibus ratione intellectus, voluntatis, corporis & aliorum bonorum, quas non a Deo habeat. Hinc homo amiſit perfectiones; ſublatis autem perfectionibus, ſubſequuntur imbecillitates, quod quomodo factum ſit, ratio humana haud capit. † Itaque homo laborat imbecillitatibus, quas removendi, ſentit magnum deſiderium, hocque eſt divinæ originis,

† *Quod homo lapſus ſit, ex ſanioris rationis lumine cognoſcitur; ſed modus & origo lapſus ex eo intelligi non poteſt. Ariſtoteles ad τὸ συγγενὲς provocat lib.* III. ethic. *c. ultim. quomodo ſere loquitur Metrodorus apud Stobæum* ſerm. XIV. *Stoici culpam in materiam conferebant, vide Juſt. Lipſium* phyſiol. Stoic. *diſſ.* XIV. XV., *Jacob. Thomaſium diſſ.* XII. *de* materia, malo principio Stoicorum: *alii philoſophi ejusdem fuerunt ſententiæ. Epicuræi mala ſponte ſua oriri opinati ſunt: alii duplex aliquod principium, alterum boni, alterum mali originem adfirmarunt, quæ doctrina a Manichæis propagata fuit. Qui plura deſiderat, ille conſerre poteſt Jacob. Thomaſium de* exuſtione mundi Stoica *diſſ.* III. IV., *Omeiſii* diſſert. de ethnico amiſſionis divinæ imaginis convicto *Altd.* MDCCI., *Tob. Pfannerum* ſyſtem. theol. gentil. purioris *cap.* IX. §. 6., *Jo. Franc. Buddeum* diſſ. de religione naturali contra Chavvinum *cap.* I. §. 10. *diſſ.* III. *de* præcipuis Stoicorum in philoſophia morali erroribus §. v. inſtit. theol. moral. *l.* I. 4. 78. *p.* 175., *Jo. Chr. Wolfii* Manichæiſmum ante Manichæos, *Guil. King de* origine mali.

nis. Dei ergo voluntas eſt, ut felicitatis noſtræ promovendæ ſimus ſtudioſi: ſi Dei voluntas eſt, ut promoveamus felicitatem noſtram, ſubſidia quoque, ſive media ad hunc finem oſtendit: ſi hoc fecit, exhibuit nobis ejusmodi media, quæ huic felicitati conſequendæ natura ſua ſufficiant. Atqui inter hæc media locum ſuum habet eruditio; quodſi ita eſt, eruditio hæc ſequitur voluntatem Dei: eruditio autem, quæ ſequitur voluntatem Dei & natura ſua promovet felicitatem, ſive uſum bonorum, quæ Deus ad hominis felicitatem deſtinavit, eſt vera eruditio; igitur quot ſunt ſpecies bonorum, tot ſunt ſpecies veræ eruditionis, quas ſi velimus cognoſcere bonorum diverſitatem diſtincte explicare debemus. Bona hominum ſunt vel abſoluta, vel relativa: ſcilicet bonum abſolutum † eſt, quod per ſe efficit felicitatem, id quod triplex eſt, *veritas* ratione intellectus, *amor rectus* ratione voluntatis, *ſanitas* ratione corporis: relativa ſunt honor, divitiæ, voluptas, veritatem & verum amorem, qui ſequitur. Veritatem; atque emendatum intellectum, adſequimur per

† *Intelliguntur bona hominis propria: quod ex his eminet, eſt ſummum bonum hominis proprium, id quod eſt verus amor erga Deum; Deus autem ipſe eſt ſummum bonum generale. Ipſa hæc bona patent ex fine Dei: homini dedit corpus, ut ſerviat animæ; ſi debet ſervire, debet eſſe ſanum: dedit intellectum, ut cognoſcat veritates & ſerviat voluntati; & in voluntate ſedes eſt ſummi boni hominis proprii.*

per philoſophiam, & theologiam; ſanitatem per medicinam: ad relativa bona, inprimis eorum verum, juſtum & tranquillum uſum ſpectat jurisprudentia. Ex his ſequitur, ut diverſæ diſciplinæ naturali ſuo ordine ita ſint collocandæ: philoſophia, theologia, medicina, jurisprudentia. Philoſophiam ante theologiam, iſtam quippe, quæ revelatione innititur, ponimus, quia eſt antiquior theologia iſta: ac ſi per ſimilitudinem loqui velimus, philoſophia & theologia ſunt ſorores; ſoror vero natu major præfertur natu minori, licet hæc majori virtutum copia niteat. Immo theologia revelata eſt ſupplementum philoſophiæ; illud autem quod ſuppletur, debet poni ante id, quod ſupplet: nec ulla theologica concluſio ſine ratione, ſive philoſophia fieri poteſt. Huic eruditioni, quam adpellamus veram, ſive principalem opponitur ratione finis eruditio *inſtrumentalis*, quæ natura ſua & per ſe ad veram felicitatem conſequendam nihil confert; ſed ipſi eruditioni veræ in cultura illius inſervit & ejus inſtrumentum eſt. II.) eruditio dividi poteſt ratione *objecti* in eruditionem *generalem*, & *ſpecialem*. Eruditio *generalis* verſatur in ejusmodi objecto, cujus cognitio ad rectam ac feliciorem diſciplinæ cujusdam ſpecialis culturam utilis eſt ac neceſſaria: atqui hæc eruditio generalis iterum eſt vel *vera*, sive *principalis*; vel *inſtrumentalis*, ubi ad finem quoque illius reſpicere velimus. Eruditio *generalis* eaque *vera* eſt philoſophia, quæ dicitur generalis eruditio, quia inſervit ſpecialiori eruditioni, theologiæ quippe, medicinæ, jurisprudentiæ: etenim

nim generatim theologiæ, medicinæ, juriſprudentiæ utilis & neceſſaria eſt logica & ethica; ſpeciatim theologiæ revelatæ inſervit naturalis theologia, medicinæ phyſica, jurisprudentiæ jus naturæ & politica: at vero & dicitur *vera*, quia per ſe & natura ſua promovet veram felicitatem, id eſt intellectus & voluntatis emendationem. Ex his, quæ de indole eruditionis philoſophicæ diximus, ſequitur, ut philoſophia non ſpecies ſit eruditionis ſpecialis, quæ habet ſpeciale objectum, aliis diſciplinis non commune, ut aliis diſciplinis non poſſit opponi; quum ſpecies continetur quidem ſub ſuo genere, minus vero illi opponitur: porro patet, quod philoſophia in diſciplinis primum locum debeat obtinere, ac quæſtio: num philoſophia ſit ſerva theologiæ? num philoſophia contradicat theologiæ? ſit nullius momenti. Eruditio *generalis* eaque *inſtrumentalis* habet quidem generale objectum, quod ſpeciali eruditioni, theologiæ, medicinæ, juriſprudentiæ inſervit: ſed inſervit ratione culturæ, ut ſpeciales diſciplinæ melius colantur; non ratione finis eruditionis veræ, quia per ſe & natura ſua nihil ad felicitatem veram obtinendam poteſt adferre: hinc dicitur *inſtrumentalis*, non vera, quo pertinent litteræ humaniores, ut infra declarabimus. III.) eruditio poteſt dividi ratione *principii*, ſive medii cognoſcendi in eruditionem *humanam*, & *divinam*. Duplex datur cognitionis lumen; alterum eſt naturæ, alterum gratiæ, ſive revelationis: eruditio humana utitur ſolum lumine naturæ; divina vero lumine revelationis. Ex his

ſe-

ſequitur, ut lumen rationis & revelationis non poſſint ſibi ipſis opponi;namque duo lumina, veluti lumina non eſſentia, quamvis gradibus, differunt: ſi autem eſſentia non differunt,ſequitur,ut proprie non ſint oppoſita. Adhæc Deus auctor eſt & luminis naturæ & gratiæ, quæ dedit hominibus, ut iis utantur, veluti principiis cognoſcendi;ſi autem ſibi ipſis eſſent contraria,Deus ſibi ipſi contradiceret: hinc obſerva ſuavem concordiam inter philoſophiam, & theologiam.

§. II.

Nunc quæ diximus de eruditione ejusque ſpeciebus,inſtituamus adplicare ad litteras humaniores.Primum caput de indole litterarum humaniorum ſupra a nobis obſervatum,nunc dilucidandum eſt, quod *litteræ humaniores non pertineant ad veram eruditionem*. Atqui hoc eſt, quod probare debemus, quam in rem provocamus ad naturam cum veræ eruditionis,tum litterarum humaniorum:vera eruditio per ſe & natura ſua efficit felicitatem,ſive uſum verorum bonorum; litteræ humaniores autem per ſe & natura ſua illam felicitatem non adſequi poſſunt,quod iterum probandum eſt. Litteræ humaniores continentur in philologia, & hiſtoria; ad philologiam autem grammatica, rhetorica,poeſis, philologia ſtricte ſic dicta, & critica pertinent: nulla ex his diſciplinis per ſe & natura ſua hominem perducit ad uſum illorum bonorum, quæ ſupra diximus abſoluta. In his primum locum tenet *veritas*: hæc veritas eaque logica poſtulat emen-

emendatum intellectum, inprimis judicii vim, ac conſiſtit in convenientia cogitationum noſtrarum vi ſenſionis cum ipſa re; hinc in adſequendo ſenſu veri & falſi judicium perpoliri debet. Virtus judicii eſt ſenſus veri & falſi, quemadmodum diſcrimen ratione memoriæ, & venuſtas ratione ingenii. Huic judicii culturæ adjungenda eſt emendatio voluntatis propter arctius vinculum intellectus & voluntatis, ita ut emendatio intellectus prior fiat & ſequatur emendatio voluntatis: omnis virtus poſtulat veritatem: voluntas ratione intellectus eſt facultas paſſiva & ſecundum notiones ab intellectu oblatas operatur: ſed dicant mihi, quomodo per cognitionem linguarum, quam complectitur grammatica, colatur ita judicium, ut ſenſus veri, & falſi poſſit obtineri? Ad cognitionem linguarum requiritur memoria, cujus culturæ ſi tantum adtribuamus ſtudium, ut nimis avide & copioſe ideas retineat, ſuboritur confuſio, quæ impedimento eſt, quo minus judicium perpoliri poſſit & ſenſum veri & falsi adſequi. Idem dicendum eſt de rhetorica, poeſi, & philologia ſtricte sic dicta, quæ omnes natura ſua verſantur in verbis, nec in cogitationibus, inprimis earum convenientia cum ipſa re vi ſenſionis natura ſua ita occupatæ aut, ut judicium emendent, aut viam parent ad ſenſum veri & falsi. Nec denique critica indole ſua, quæ in emendatione locorum corruptorum conſiſtit, conjuncta eſt cum judicio; aliud enim eſt criticam colere ac criticum agere, aliud ipſa ars critica: ad illud requiritur judicium; ſed non perpolitur per artem criticam, ad cujus

uſum

uſum ſi quis accedat, jam judicio prædìtus eſſe debet. Num autem per hiſtoriam pervenimus ad veritatem? ad ſenſum veri & falſi? multo minus; ratio eſt, quia ad culturam hiſtoriæ præcipue pertinet memoria: legat quis omnia hiſtoriarum monimenta, judicium niſi ante emendatum & politum eſt, neutiquam reddet politius. Quod ad felicitatem *amoris recti, ſanitatis* & reliquorum bonorum adtinet, quis ſibi perſuadeat, nos ad iſtam accedere poſſe beneficio philologiæ & hiſtoriæ: nulla datur connexio philologiæ cum emendatione intellectus, ſive ſenſu veri & falſi; nec voluntatis, quæ abſolvitur vero & recto amore, veluti principio moralitatis; nec cum ſanitate corporis. Obiicias nobis, hiſtoriarum utilitatem tam late ſe effundere, ut inde capiamus exempla virtutum, quæ imitanda, & vitiorum, quæ fugienda, hincque voluntatem ad ſtudium virtutum inflammare poſſimus. At hoc beneficium non ex ipſa hiſtoria; ſed philoſophia, inprimis logica & diſciplina morum ac prudentiæ derivandum eſt: quomodo enim ſine judicio exempla virtutum & vitiorum poterit quis obſervare? quomodo iſta poterit rite uſurpare ſine cognitione voluntatis, philautiæ, propenſionum, & adfectuum? quid? ſi hiſtoria per ſe & indole ſua emendare poſſet voluntatem, quisque illius ſtudioſus liberaretur a morbis, quibus laborat voluntas. Porro de indole humaniorum litterarum obſervavimus, quod *pertineant ad eruditionem generalem eamque inſtrumentalem*, id eſt quod litteræ humaniores verſentur in ejusmodi objecto, quod diſciplinis ſpecialioribus, theologiæ

quip-

quippe, medicinæ, jurisprudentiæ utile & neceſſarium eſt. Quædam diſciplinæ litterarum humaniorum ſunt neceſſariæ aliis ſpecialioribus diſciplinis, modo hypothetice, modo abſolute; quædam tantum utiles: ad primam claſſem pertinet cognitio linguarum; ſive grammatica, & hiſtoria; ad ſecundam vero rhetorica, poeſis, philologia ſtricte ſic dicta, critica. Cognitione linguarum nemo, qui litterarum ſtudiis ſe ſe addixit, carere poteſt: ad omne eruditorum genus neceſſaria eſt lingua romana hypothetice; ad culturam vero ſacrarum diſciplinarum hebraica & græca abſolute:† reliquæ orientales, item gallica, italica, anglica modo interdum ſunt neceſſariæ hypothetice, modo utiles. Quod ad hiſtoriam adtinet, ſacra atque eccleſiaſtica in ſtudiis theologiæ; juris in diſciplinis legum; naturalis in medicina neceſſariæ ſunt: aliis diſciplinis rhetorica, philologia ſtricte ſic dicta; & critica carere quidem poteſt theologus, medicus, jure conſultus; ſed ſi colantur, proficiſcitur ex hoc cultu magnum

† *Obiicias: ſi linguæ hebraica & græca abſolute neceſſariæ ſunt theologiæ, ſequitur, illas pertinere ad veram eruditionem. Sunt ſane linguæ hebraica & græca inſtrumentū abſolute neceſſarium theologiæ, cujus beneficio ipſas res cognoſcimus: at res ipſæ & illarum cognitio tantum pertinent ad veram eruditionem, minus vero verba. Nec ſequitur, linguarū hebraicæ & græcæ notitiam pertinere ad veram eruditionem, quia ſint theologiæ abſolute neceſſariæ: memoria judicio eſt abſolute neceſſaria; minime tamen memoria ſpecies eſt judicii.*

emolumentum. Utilis eſt rhetorica, præcipue conjuncta cum eloquentia theologo, medico & jurisprudentiæ cultori, ut ejusmodi verbis utatur, quæ reſpondeant accurate cogitationibus & mentis ſenſa ita proponant, ut auditores & lectores capiantur & ad adſenſum veritatis perducantur: ſed quis ideo dicat, eam ita neceſſariam eſſe, ut nemo ſine iſta ad theologiæ, medicinæ, juriſprudentiæ ſcientiam poſſit pervenire? poteſt quis eſſe vere theologus, excellens medicus, excellens jureconſultus, licet artis rhetoricæ haud peritus nec valeat eloquentia: nam neque inter ipſas diſciplinas theologiæ, juriſprudentiæ, medicinæ, atque inter rhetoricæ, atque eloquentiæ artem; neque inter illarum, atque hujus culturam ea eſt connexio, ut alterum alterius ſubſidium requirat. Eadem ratio eſt philologiæ ſtricte ſic dictæ, & criticæ: theologus, medicus, & jureconſultus percipiunt ex illis fructus, quum vel de verbis ſacri codicis, eorum origine, ſignificationibus; vel de variis juris antiqui formulis; vel de variis herbarum & morborum nominibus ex veterum monimentis ſtudioſe illuſtrandis ſint ſolliciti: ſed nec hæc cognitio ſumme neceſſaria eſt. De utilitate non dubitandum eſt, quin iſtam theologus, medicus, jureconſultus ex critica petere poſſint.

§. III.

Convertimus nos ad ſingulas litterarum humaniorum partes, nunc ſpeciatim illuſtrandas, quarum duæ ſunt, philologia

&

& hiſtoria. Philologia *grammaticam*, *rhetoricam*, *poeſin*, *philologiam ſtricte ſic dictam*, & *criticam* complectitur, quarum partium, quas conſtituimus, hæc eſt ratio: ſcilicet philologia occupata eſt in oratione & vocibus, quæ oratio poteſt conſiderari primum, prout a nobis diſcitur & nobis ipſis uſui eſt; nos autem diſcimus linguas & ſtudemus philologiæ, ut ſenſa mentis aliis exponamus vel ſimpliciter, quod facit *grammatica*, vel eleganter & accurate, quod præſtant *rhetorica* & *poeſis*: deinde oratio quædam & ſua indole in ſe conſideranda eſt, quod munus eſt *philologiæ ſtricte ſic dictæ*: tum prout oratio ab aliis adhibita eſt, quo pertinet *critica*: de ſingulis ſpeciatim. *Grammatica* eſt pars philologiæ, quæ oſtendit rectam linguæ cujuſdam indolem viamque ad accuratam illius cognitionem præparat, hæcque dividi poteſt in ſimplicem & compoſitam: in generalem & ſpecialem. Quodſi autem grammatica eſt *pars philologiæ*, videmus ex hoc, quod illius præcepta logicæ principiis ſint ſuperſtruenda, quemadmodum & inter utramque diſciplinam, grammaticam quippe ac logicam magna eſt convenientia: namque logica dirigit cogitationes ad veritatem; grammatica vero voces, quæ reſpondent cogitationibus, ad rectum illarum uſum: dantur ideæ ſimplices, dantur voces ſimplices: dantur ideæ ſubſtantiarum, hinc nomina ſubſtantiva; ideæ accidentium, hinc nomina adjectiva: tradunt magiſtri logices doctrinam de conjunctione idearum, cui reſpondet ſyntaxis. Porro in definienda grammatica obſer-

tavimus, quod *viam tantum præparet*: ſubſidia, quibus linguæ cujuſdam ſcientia comparanda eſt, duo ſunt, quorum alia præparant viam, uti uſus grammaticarum & lexicorum; alia rem ipſam perficiunt, lectio auctorum, obſervatio & imitatio: igitur grammatica ad ea pertinet ſubſidia, quæ viam præparant. Quodſi ita eſt, ſequitur, ut latinæ linguæ vera ratio ex grammaticorum libris haud perdiſci poſſit: quid? lingua quædam creſcit, augetur, ornatur uſu & conſuetudine; quis igitur ſuſtineat, omnia linguæ momenta certis determinare regulis? Denique in grammaticæ definitione notavimus, quod viam præparet ad *accuratam linguæ cognitionem*, ex quo has veritates per conſequentias videmus, quod præcepta grammatices debeant eſſe brevia: quod vernacula lingua conſcribenda ſint, quoniam abhorret a ratione, adoleſcentibus regulas latinas proponere, qui ipſius latinæ linguæ rudes ſunt: quod debeant perſpicue declarare, quomodo lingua, quam docent, cum illa, qua docent, conveniat, aut ab illa diſcedat: quodque adoleſcentibus præcepta grammatices non per multum tempus proponenda ſint.

§. IV.

Nunc dicendum eſt de *rhetorica*, ea philologiæ parte, quæ monſtrat rationem dicendi ſolide, prudenter, diſtincte, adcurate, ſuaviterque atque eleganter, quam ſi quis teneat atque exercere poſſit, laudem merito elo-

eloquentiæ tuetur : igitur ex hoc haud obſcure patet, qualis ſit differentia inter rhetoricam atque eloquentiam, quarum illa tradit præcepta ; hæc autem per horum præceptorum uſum atque adplicationem futurum format oratorem. Quinque ſunt virtutes, quas rhetorica præſcribit orationi : primum requirit, ut orator dicenda proferat *ſolide*, id eſt argumentis, quæ rem probant ac confirmant modo certe, modo probabiliter : propter quam argumentorum diverſitatem nihil impedit, quo minus dicamus, quod eloquentia ſit vel certa, vel probabilis: ex quo ſimul patet, quod omne argumentum proprie ſit logicum ; quod minus accurate argumenta rhetorica diſtinguantur a logicis ; quod ex locis topicis in ſe haud ſint petenda ; quodve ſine cauſſa dividantur in probantia, conciliantia, & moventia. Deinde requirit rhetorica in dicendo *prudentiam*, cujus munus eſt, eam orationis rationem adhibere, qua orator ſe auditoribus commendat ſibique illorum benevolentiam conciliat: quæ prudentia quum a nonnullis obſervatur, ab aliis negligitur, produnt ſe exempla eloquentiæ prudentis atque imprudentis. Porro orator dicere debet *diſtincte*, ut quodvis dicendorum caput juſto ſuoque loco proponat confuſionemque devitet : *accurate*, quod fit, quando ejuſmodi verba adhibentur, quæ ipſis rebus atque illarum notionibus reſpondent, atque *eleganter ſuaviterque*, quæ virtus præcipue in elocutione ac ſtilo continetur. Atqui ex hac rhetoricæ atque eloquentiæ indole videmus, quod ſine phi-

loſophia cultura illius haud feliciter inſtitui poſſit : quod requirat ingenium philoſophiæ litteris atque uſu rerum ſubactum : quod pueri in ſcholis ad veræ eloquentiæ ſtudia haud apti ſint : quod ſola elocutio , ſola virtus ſtili non efficiat oratorem: quod eloquentia propriam ingenii indolem requirat , ſine qua ſola exercitatio rem haud conficit . Quomodo autem grammatica differat a rhetorica, itidem ex iis , quæ diximus , haud obſcure patet.

§. V.

Poëſis eſt ea pars philologiæ , ſpecies eloquentiæ, ſoror rhetoricæ, quæ oſtendit, quomodo quis ſenſa mentis ſub variis imaginum ſpeciebus & fictionibus non plane alienis , item certa vocum menſura proponere debeat, ut auditoribus adferat voluptatem . *Poeſis* eſt vel *ſoluta* , vel *ligata* : quodſi autem eſt *ſoror rhetoricæ & ſpecies eloquentiæ* , patet ex hoc, quod bonus poeta ſit bonus rhetor , quamvis non omnis bonus rhetor ſit bonus poeta: quod rhetorica prius colenda ſit , quam poeſis . Porro poeſis *utitur imaginibus rerum & fictionibus non plane alienis* : ergo ad poeſin pertinent apologi, fabulæ , ſatiræ, comœdiæ, fabulæ romanenſes, & alia hujuſcemodi : datur poeſis ſoluta : poeſis non abſolvitur imitatione poetarum græcorum & latinorum : poetæ naſcuntur , non fiunt : qui deſtitutus eſt ingenio poetico , haud accedat ad poeſeos ſtudia : ſola vocum menſura non abſolvitur poeſis ; aliud eſt verſus pangere , aliud carmen

men fingere: oratio ligata plerumque eſt obſcurior, quam ſoluta. Denique ſi poeſis *tantum delectationem adferat*, ſequitur, ut ſine iſta quis eruditi nomen tueri poſſit: ut non multum temporis in cultura illius ſit conſumendum: ut graviter peccent, qui penitus poeſi ſeſe addicant, præſertim ſi ejuſmodi fingant, quæ morum innocentiam corrumpunt, ipſique præſtare poſſint utiliora: ut in legendis poetarum ſcriptis magna opus ſit cautione.

§. VI.

Sequitur *philologia ſtricte ſic dicta*, quæ eſt pars philologiæ & inquirit in linguarum tam puritatem, quam vocum ſignificationes, origines, aliaque fata, ut linguis conſervetur dignitas,& in intelligendis auctoribus accendatur lumen. Dividitur in *philologiam hiſtoricam,& criticam*;hinc differt a grammatica & rhetorica:hinc philologia hec poſtulat memoriam, & judicium:hinc qui his litteris excellere vult,neceſſe habet,hiſtoriã linguarum cognitam ſibi reddere; antiquitatum eſſe peritum variarumque linguarum ſtudioſum:hinc a philologo ſtudium critices artis haud negligendum eſt: hinc accedere debet diligens lectio & ſingulare linguæ illius, quæ colitur, ſtudium. His præparato ingenio philologus ſtricte ſic dictus explicat veteres auctores, diſſerit de ſtilo ejuſdemque caracteribus, de natura linguarum illarumque caſtitate; tradit præcepta linguæ perdiſcendæ,& quæ alia ſunt.

Re-

§. VII.

Reſtat ultima pars philologiæ, ſive *critica*: critica eſt pars philologiæ, quæ regulas & præcepta tradit, partim corrupta auctorum loca, quæ male ſana ſunt, emendandi ope modo ſcriptorum codicum, modo ingenii; partim a veris locis gloſſemata ope codicum prudenter removendi. Critica eſt vel *therapeutica*, vel *gloſſematica*: therapeutica eſt vel *aliena*, ſive codicum, vel *propria*, ſive ingenii. Quodſi critica eſt *pars philologiæ*, ſequitur, ut critica non pertineat ad philoſophiam, quamvis illius ope utatur. Quodſi critica *prudenter emendat loca corrupta ope ſcriptorum codicum*, patet ex hoc, quod criticus hiſtoriam litterariam veterum codicum ſibi reddere debeat familiarem: quod codicum ſcriptorum beneficio criticus interdum haud carere poſſit: quod codicibus illis non ſancta debeatur auctoritas. Porro critica *prudenter emendat loca corrupta ope ingenii*; ergo criticus codicibus manu exaratis interdum carere poteſt: non ſufficit, variantes ſcripturas colligere: criticus valere debet ingenio: in critica datur tantum probabilitas: criticus ingenio ſuo nimium haud debet adtribuere. Denique critica *prudenter removet gloſſemata auctorum a veris locis*: hinc criticus philologia ſtricte ſic dicta carere non poteſt: hinc valere debet judicio ac ſtudere ſenſui veri & falſi: hinc ſtudio novitatis non debet indulgere. Vox *critices* ab aliis ita ſumitur, ut & philologiam ſtricte ſic dictam complectatur.

Al-

§. VIII.

Altera pars litterarum humaniorum eſt *hiſtoria* : illa deſcribit & commemorat res geſtas,obſervatis præcipue loco,quo pertinet geographia,& tempore, ſive chronologia, ut inde capiamus utilitatem . Optima ratione hiſtoria in ſuas ſpecies dividi poteſt ſecundum diverſitatem rerum,quæ enarrantur , quarum præcipue tria ſunt genera,quum ſpectant vel ad ipſum Deum ; vel ad res naturales ; vel ad res humanas . Hinc triplex eſt hiſtoria , vel *divina* , quæ refert ipſius Dei opera , ſive ſpectent ad regnum naturæ , ſive ad regnum gratiæ ; vel *naturalis* , quæ commemorat , quæ in rebus naturalibus ſive ſint ſpiritualia , ſive corpora , eveniunt ; vel *artificialis* , quæ memorat res ab ipſis hominibus geſtas atque inventas , ad quam & commode referri poſſunt antiquitates,quæ omnino ſunt ſpecies hiſtoriæ. Quæ homines agunt,multa ſunt eaque varia ac diverſa ; commode tamen ad tres claſſes ſunt referenda: quocirca hiſtoria artificialis iterum eſt triplex, vel *litteraria*,vel *civilis*, vel *mechanica*. Præter hanc diviſionem generalem aliæ eæque ſpeciales ſubjungi poſſunt , quando dividitur ſecundum gentes & regiones in judaicam, græcam,romanam, germanicam hiſtoriã civilem, litterariam, naturalem; & ſecundum tempora in antiquam,mediam,novam.† Quodſi au-

† *Vide Bac. de Verulamio libr.* II. *de* augmentis ſcientiarum , *Chr. Thomaſium in* cautelis circa præcognita jurisprud. c.V., *& Langlet Du Freſnoy* methode pour etudier l' hiſtoire .

autem hiſtoria *deſcribit & commemorat res geſtas*,ſequitur,ut hiſtoriæ ſtudium ſit in ſe negotium memoriæ:ut in juventute debeat præcipue tractari: ut illa neglecta magnum damnum litteratura capiat: ut hiſtoria & antiquitates non differant: ut detur hiſtoria vera, certa, probabilis, & falſa: ut cum iſta conjungenda ſit doctrina logicæ, ethicæ, & prudentiæ; hincque hiſtoria ſit vel plebeja, vel docta. Porro hiſtoria *præcipue obſervat locum & tempus*: hinc ſtudium geographiæ,& chronologiæ præmittendum eſt litteris hiſtoriarum; hincque matheſis cum hiſtoria conjungenda eſt. Forma diſſertationis impedit, quo minus ſingularum partium hiſtoriæ indolem interpretemur: quare ſufficiat, quædam addere de genuina hiſtoriæ litterariæ natura. Iſta eſt ſcientia fatorum rei litterariæ, ejus ſubſidiorum,ipſarum ſcientiarum,& litteratorum:quocirca eſt vel hiſtoria *ſubſidiorum eruditionis*, vel ipſarum *ſcientiarum*, vel *litteratorum*. Pro quo triplici argumento hujusmodi hiſtoria in tres partes eſt deſcribenda, quarum prima recenſet fata ſubſidiorum eruditionis, quæ ſunt *libri*, quorum hiſtora alia eſt vetuſtior, ſive hiſtoria codicum manuſcriptorum; alia recentior, quo pertinent illi, qui ſcripſerunt bibliothecas& catalogos;ſcriptores judiciorum & elogiorum; qui differunt de libris anonymis & pſeudonymis in *ana*, de ephemeridibus, &c.; item qui certorum librorum hiſtoriam & alia ſingularia de illis exhibuerunt. Libri conſtituunt bibliothecas, hinc ſequitur hiſtoria *bibliothecarum*: ad ſubſidia & incrementa rei litterariæ pertinent quoque typogra-

graphiæ; hinc hiſtoria *typographiæ*: ſcholæ & academiæ, ſocietates litterariæ; hinc hiſtoria *ſcholarum, academiarum, & ſocietatum litterariarum*. Secunda pars tradit hiſtoriam ipſarum ſcientiarum, quo ſpectat *hiſtoria litterarum generalis*, quæ differit de origine litterarum, ſcripturæ, & c.; & *ſpecialis*, hiſtoria quippe philoſophiæ, litterarum humaniorum, theologiæ, medicinæ, jurisprudentiæ, in qua explicanda inprimis ipſæ doctrinæ illuſtrandæ ſunt. Tertia pars explicat hiſtoriam litteratorum, de quibus modo integræ vitæ, modo ſingularia, ut dicunt, proponuntur; quo ſpectat hiſtoria philoſophorum, cultorum humanioris litteraturæ, theologorum, medicorum, juriſconſultorum. Huic diviſioni ſubjungi poſſunt aliæ diviſiones, a locis, hinc oritur hiſtoria litteraria generalis, ſpecialis, ſpecialiſſima: a tempore, pro quo hiſtoria litteraria eſt vel antiqua, vel media, vel nova: a gentibus, quo ſpectat hiſtoria litteraria Germanorum, Græcorum, Romanorum, Gallorum. Ex hac indole ac diverſitate hiſtoriæ litterariæ, quam explanavimus, patet, quod hiſtoria litteraria ſine cognitione ipſarum ſcientiarum accurate non coli poſſit: quod ephemeridibus quibusdam conſcribendis ac cognitione bibliothecarum, librorum, vitarum quarundam non abſolvatur: quod genius ſeculi noſtri in hoc hiſtoriæ genere multum corruptus ſit: quod nullum extet compendium genuinæ atque integræ hiſtoriæ litterariæ: quod hiſtoria litteraria ſit ſtudium multi temporis, quodve neceſſaria omni litterarum generi. Quod ad antiquitates adtinet, illæ ſunt ſpecies hiſtoriæ

cem-

complectuntur duas partes. Prior agit de ritibus publicis ac conſiderat ſtatum ſacrum, civilem, & litteratum: ſtatus civilis conſideratur duplici ratione, quum modo pace fruitur, modo armis turbatur: litteratus exhibet antiquitates litterarias. Poſterior pars agit de ritibus privatis, & reſpicit ad hominum ortum, educationem, ſtatum, & mortem.

CAPUT II.

De Cultura Litterarum Humaniorum.

COgnita genuina litterarum humaniorum indole, facilius poterit diſputari de illarum cultura, quæ eſt modus litteras colendi, ut ad illarum notitiam perveniamus; ſive id fiat docendo & diſcendo ſimul; ſive diſcendo tantum. Cultura hæc eſt vel *generalis*, vel *ſpecialis*: vel *propria*, vel *aliena*: vel *genuina*, vel *falſa* ſaltim *ſpecioſa*: vel *prudens*, vel *imprudens*. Generalis cultura eſt, quæ omnibus harum litterarum diſciplinis poteſt adcommodari, traditque regulas generales: cui opponitur ſpecialis, quæ obſervat ſpeciales regulas pro ſpecie quadam harum litterarum. Cultura aliena eſt, qua ope doctorum colimus has muſas: cui opponitur propria, quæ eſt autodidactorum. Genuina cultura adſequitur finem ſuum, id eſt per iſtam ad notitiam veram humaniorum litterarum pervenimus; cui opponitur

fal-

falſa, ſaltim ſpecioſa, qua colimus quidem has litteras; ſed ita, ut veram illarum indolem haud adſequamur. Denique prudens cultura in eo cernitur, ſi ejusmodi ratio harum litterarum initur, qua felicius finis obtinetur, ex quo quid ſit imprudens, facile intelligitur.

§. II.

Nos tantum dicamus de cultura litterarum humaniorum generali, ac commendemus regulas, quæ ad omnium harum diſciplinarum rectum cultum ſunt neceſſariæ. Prima illarum eſt: *conjunge philoſophiam cum litteris humanioribus*; cujus ea ratio eſt, quod humanior doctrina & ratione indolis & culturæ ſuæ philoſophia haud carere poteſt. Etenim quod ad illius indolem adtinet, pro iſta ſine philoſophia haud ſolide coli poteſt; ad philologiæ enim ſtudia generatim conſiderata multum conferre logicam, ex eo videmus, quod cogitationes ac voces arctiſſime inter ſe ſunt conjunctæ: ſpeciatim quum conſideremus diſciplinas, quomodo adcuratius tradi poteſt grammatica ſine logices auxilio, inprimis vero eloquentia? Logica facit, ut orator dicat ſolide atque diſtincte: logica exhibet meditationem, argumenta robuſta & probabilia, atque oſtendit ordinem rebus proferendis convenientem. Philologus ſtricte dictus quomodo poterit judicare de ſignificationibus vocum? quomodo diverſitatem vocum ſimplicium, compoſitarum notionum, nomina ſubſtantiarum & modorum, relationum, abſtracto-

rum poterit interpretari? de ſtilo diſſerere, in quo dijudicando ingeniorum indolis ratio habenda eſt, ſine logica? Nec cultura critices ſine doctrina probabilitatis ſuſcipi poteſt, quæ requirit partim emendatum ingenium, quum ſine ope codicum emendanda ſunt male ſana loca; partim politum judicium, quum adhibentur ſcripti codices. Sane critici munus non eo expeditur, quando multis ſumtibus comparantur libri ſcripti & ex illis collectæ eæque diſcrepantes ſcripturæ exhibentur: hoc etiam correctoris typographiæ eſt; potius judicii vis requiritur, ut auctoritas codicum cognoſcatur, & falſæ ſcripturæ a veris ſejungi queant, inprimis quum nec optimi ſcripti libri errorum immunes ſint. Ex his, quæ diximus, videndum eſt, quod logicæ artis magnus ſit uſus in humanioris doctrinæ ſtudiis, quarum cultores ſi iſta ſunt deſtituti, ſæpe evenire ſolet, ut ſi ſcribant, ſint obſcuri, aut confuſi, etiam verba magis curent, quam res ipſas. Idem dicendum eſt de hiſtoria, quod & hujus culturam philoſophiæ litteræ maxime juvent atque ornent: etenim hiſtorici eſt, ut vera a falſis diſcernat, quod ut poſſit præſtare, debet noſſe naturam veritatis logices; viam inveniendi iſtam; inventam jam ab aliis clara ſenſione percipiendi, quæ omnia ex logica debent hauriri: maximum momentum poſitum eſt in probabilitate hiſtorica, quæ lucem ſuam ex eadem philoſophiæ diſciplina petit, cujus beneficio hiſtoriarum ſtudium nequaquam carere poteſt. Neque non aliæ philoſophicæ diſciplinæ in cultu humanioris doctrinæ ſuam præſtant utilitatem: ſic illuſtre

mu-

munus ethices & prudentiæ adparet in eloquentia, & hiſtoria. Eloquentiæ pars eſt prudentia cum quod ad oratores, tum auditores adtinet: orator debet noſſe indolem propenſionum & adfectuum mortalium, quam exhibet doctrina morũ. Fructus vero genuini hiſtorię sine ethicę, jurisprudentię naturalis, & prudentię præceptis capi non poſſunt; quoniam facta, quæ referuntur, debent dijudicari ſecundum regulas honeſtatis, juſtitiæ, ac prudentiæ.

§. III.

Secunda regula eſt: *obſerva juſtum ordinem in colendis litteris humanioribus*. Dantur variæ litterarum harum diſciplinæ, quæ varia ratione collocari poſſunt, ita ut illis ordo adſignetur vel ratione indolis, quæ dependet ab objecto, a cujus dignitate iterum dependet dignitas diſciplinarum; vel ratione culturæ. Quod ad hanc adtinet, tres regulæ de ordine, quo litteræ elegantiores colendæ ſunt, notari poſſunt: nimirum quæ diſciplinę facillime percipi poſſunt & aliis diſciplinis inſerviunt, illæ primo loco colendæ ſunt: quæ diſciplinæ arctius vinculum inter ſe habent, illæ diſciplinæ ſimul colendæ ſunt: quæ diſciplinæ ab aliis diſciplinis diverſæ ſunt, illarum cultura ab harum cultura ſeparari poteſt. Quæ quum ita ſint, ſequitur, ut in philologia grammatica, & in hiſtoria geographia & chronologia primo loco colendæ ſint: ut rhetorica, & poeſis ſimul colendæ: ut philologia ſtricte dicta cum critica, & grammatica cum rhetorica conjungendæ: ut antiquitates variarum gentium con-

jungendæ ſint, antiquitates ebraicæ cum græcis, græcæ cum latinis, ægyptiacæ & chaldaicæ cum ebraicis: ut nec poeſis & critica, nec philologia & hiſtoria, nec philologia ſtricte dicta & eloquentia, nec grammatica & poeſis conjungendæ ſint.

§. IV.

Tertia regula eſt: *conſidera diligenter finem culturæ litterarum humaniorum*; quod ea de cauſſa neceſſarium eſt, ut quantum ſtudium illis ſit tribuendum, videas. Finis hic duplex eſſe poteſt; alter ſpectat ad profeſſionem harum litterarum, quando quis in illarum ſtudiis eo conſilio verſatur, ut earum futurus magiſter exſiſtat, illas profiteatur aliosque doceat; pro cujus metæ, ad quam contendit, ratione neceſſe habet, multum temporis in illis conſumere ſeque penitus iſtis conſecrare, ubi ſolidam iſtarum laudem atque exiſtimationem conſequi vult: ac ſane harum litterarum ea eſt copia, ut ſinu ſuo multa complectantur atque incredibilem requirant induſtriam, quibus ſi quis ſe addicit, aliarum diſciplinarum generibus colendis haud ſufficit. Alter ſcopus refertur ad inſtrumentum hujus politioris doctrinæ, ſi quis ad illius culturam eum tantum in finem ſe confert, ut ſcientiam ejus ad ornamentum ac gratiam ſuperioris cujusdam diſciplinæ, ſive ſit theologia, ſive jurisprudentia, ſive medicina, adferat: pro cujus culturæ ratione & fine ſufficit, mediocri ſtudio atque induſtria in harum litterarum diſciplinis verſari, ne id, quod in curſu ſtudio-

rum

rum princeps eſt, negligatur.

§. V.

Quarta regula eſt: *cave, ne incurras in vitium pædantismi litterarum humaniorum.* Hic pædantismus eſt vitium intellectus & voluntatis, quod partim in corrupto ſenſu veri & falſi de litteris humanioribus conſiſtit, quum qui iſto laborant, neque illarum veram indolem vident, neque ad rectam culturam perveniunt, ſed vetuſtati plane addicti ſtudium in ejusmodi rebus collocant, quæ nullius uſus, nullius auctoritatis, nullius momenti ſunt; partim cum animi ambitione conjunctum eſt. Hic pædantismus eſt vel *ſubtilis*, vel *craſſior*; vel *generalis*, vel *ſpecialis*. Hujusmodi ſapit pædantiſmum, quum in eloquentia a præceptis Ariſtotelis, Ciceronis plane recedere nolũt: quum ſaniorem philoſophiam ab eloquentia removent: quum colligunt aliorum vitia contra grammaticam: quum de rebus grammaticis nullius uſus, de originibus vocum, & aliis hujuſcemodi argumentis graviter diſputant: quum in re critica pia auctoritas & veneratio ſcriptis libris attribuitur: quum ſine ſcriptis libris nihil emendare ſuſtinent, qualis pædantismus in hiſtoria quoque atque in antiquitatibus ſeſe prodit. Extremum hujus diſputationis conſtituamus verbis venerandi *Joan. Franc. Buddei* mei *oratione de bonarum litterarum decremento noſtra ætate non temere metuendo* p. 25.: *qui juſtum his litteris pretium denegant, errant haud dubio graviſſime, dignique ſunt, qui acriori cenſura notentur.*

tur. Vellem vero, ne ex altera parte majus pretium exigerent, quam quo revera æſtimandæ; tam enim, qui eas ultra, quam decet, evebunt & prædicant, in illas iniqui ſunt, quam qui deprimunt atque contemnunt. Nec inter ipſos principes rerumque dominos aut civilium rerum adminiſtros, qui diſpenſandis patriæ ac Eccleſiæ rebus præſunt, aut ſublimiorum ſcientiarum doctores, deſunt, qui utilitatem pretiumque iſtarum litterarum cognitam perſpectamque habentes, aut ipſi eas colunt, aut efflorescere & incrementa capere, vehementer cupiunt: nec dubito, longe adhuc plures fore, ſi non haud pauci eorum, qui iſtarum litterarum ſe magiſtros & ſtatores profitentur, eos ſimul cum iis conjungerent mores, quibus & ſe ipſos & litteras, quas colunt, ludibrio omnium atque contemtui exponunt. Enim vero, auditores, ſi qui profitentur litteras, quas tantopere prædicant humanos manſuetoſque homines reddere, & ipſi tamen nihil, niſi ferociam, petulantiam, vanam ineptamque ambitionem, altercandi ſuper leviſſimis rebus pruritum, alioſque mores a virtute non minus, quam humanitate omni alienos, præ ſe ferunt; non eſt, quod mirentur, illorum quod non temere verbis quis fidem habeat, & cum ejusmodi vitæ ratione ipſę litterę ſordeant plurimis, atque vilipendantur.

INDEX

INDEX I.

Siſtit conſpectum capitum, & aphoriſmorum.

Prolegomena de philologiæ indole, ſtudiiſque illius rite inſtituendis.

Quæ eruditionis ſit ratio §.I.pag. 1.
Et quæ illius ſint partes, generatim oſtenditur II.p.2.
Speciatim vero, quid ſit philologia III.p.3.
Ac quæ diſciplinæ ad iſtam pertineant, grammatica quippe IV.p.4. & V.p.5.
Rhetorica, & ars poetica VI. p.9.
Philologia ſtrictiori ſententia dicta VII.p.10.
Et ars critica VIII. p.12.
Quibus expoſitis, auctores recenſentur, qui rationem philologiæ ſtudia colendi tradiderunt IX. p.13.

CAPUT I.

De origine & fatis latinæ linguæ.

Recenſentur auctores, qui ad hiſtoriam latinæ linguæ, & notitiam ſcriptorum illius pertinent I.p.18.& II. p.26.
Quorum indice exhibito illuſtrantur nomina linguæ hujus III. p.28.
Explicatur origo illius IV.p.29.& V.p.31.
Ac monſtratur, qualis ejus fuerit progreſſus, generatim VI.p.33.
Speciatim, quomodo fata ejusdem per varias ætates ſint diſtinguenda VII.p.34.& VIII. pag.37.

Proin-

Proinde agitur de ætate latinæ linguæ barbara & inculta IX. p.38.
De ætate media inter barbaram & auream X. p.42.& XI. p.47.
De aurea auctorum romanorum ætate XII. pag. 50.
Hujuſque indole §. XIII. p.62.
De argenteo latini ſermonis ævo XIV. p.67. XV. p.85.
Item de ætate ænea XVI. pag. 91. & XVII. pag.103.
Ubi ſimul agitur de latinitate doctorum veteris eccleſiæ XVIII. p.106.
Et antiquiorum jureconſultorum XIX.p.111.
Neque non diſcrimine latinitatis doctæ & plebejæ XX.p.118.
Quibus expoſitis, illuſtratur ferreum latinæ linguæ ævum XXI.p.123. XXII. p.127.
Ubi ſpeciatim barbaries latinitatis mediæ ætate adſeritur XXIII. p.130.
Ac ſcriptores ævi hujus recenſentur XXIV. p.133.
Denique diſſeritur de reſtitutione latinæ linguæ XXV.p.135.
Ac quomodo hiſtoria latinæ linguę neceſſaria ſit ac utilis, monſtratur XXVI.p.137.

CAPUT II.

De ſtili cultioris romani ratione.

Summa hujus capitis indicatur I.p.141.
Auctores de ſtilo romano recenſentur II.p.141.
Vox ſtili explicatur ac quid ſtilus ſit, traditur III.p.149.
Hiſce præmiſſis, diverſa ſtili genera explicantur ac de iis diſſeritur primum generatim IV. p.151.

Dein-

Deinde ſpeciatim de ſtilo circumducto, medio, & conciſo V. p. 152.
Ubi ſimul agitur de argutiis ſtili conciſi VI. pag. 157.
Ac cauſſa hujus diverſitatis indicatur VII. pag. 161.
Sequuntur alia ſtili genera, ſublime ejusque oppoſitum, quod dicitur frigidum VIII. p. 164. & IX. p. 168.
Mediocre & humile X. p. 171.
Quorum caracterum cauſſę quoque monſtrantur XI. p. 173.
Expoſitis diverſis ſtili caracteribus, enarrantur illius virtutes, ita ut primum diſſeratur de puritate §. XII. p. 175.
Ejuſque vitiis, de barbariſmo & barbara dictione XIII. p. 182.
De ſolœciſmo XIV. p. 187.
Archaiſmis & vocabulis obſoletis XV. p. 190.
De peregrinitate XVI. p. 193.
De neoteriſmo XVII. p. 197.
Deinde de perſpicuitate ſtili XVIII. p. 199.
Tum de ſuavitate ſtili XIX. p. 202.
Ac de dignitate illius XX. p. 205.

CAPUT III.

De præſtantia latinæ linguæ, iſtamque diſcendi ratione.

Dicendorum in hoc capite ratio exhibetur I. p. 207.
Primum diſſeritur de pręſtantia latinæ linguæ, ita ut recenſeantur auctores de hoc argumento II. p. 209.
Controverſiæ de eo commemorentur generatim III. p. 211.
Speciatim quomodo alii linguæ huic parum;

alii

alii nimirum adtribuant IV. pag.216. V. pag.218.
Quibus expoſitis, monſtratur, quid in hac ſententiarum diverſitate ſit amplectendum VI.p.221.
Deinde diſputatur de cultura latinæ linguę ac oſtenditur illius neceſſitas VII. p.223.
Modus ubi veterum Romanorum exercitia ſtili illuſtrantur VIII.p.225.IX.p.226.X.pag. 227.XI.p.229.XII.p.231.
Hoc autem antiquitatum capite illuſtrato, ipſa ratio latinam linguam diſcendi traditur, præmiſſio indice auctorum de hoc argumento XIII. p.231.
Quem ipſa ſubſidia ad culturam linguæ hujus neceſſaria expoſita ſubſequuntur XIV. pag. 239.XV.p.241.XVI.p.245.

CAPUT IV.

De grammaticis latinis.

Summa capitis hujus indicatur I.p.248.
Grammaticorum tres claſſes conſtituuntur; hinc primum diſſeritur de grammaticis antiquioribus generatim II, pag.248.
Speciatim de eorum nominibus III.p.249.IV. p.250.V.p.251.VI.p.252.VII.p.253.
Muneribus VIII.p.255.IX.p.256.
Quibus expoſitis, veteres grammatici latini recenſentur X. p.257.
Ac commemorantur, qui iſtos conjunctim ediderunt XI. p.259. XII. p.261. XIII. p.261. XIV.p.264.XV.p.265.
Deinde de grammaticis mediæ ætatis XVI. p.266.
Tum de grammaticis recentioris ætatis: ubi primo loco memorantur, qui artem hanc inſta-

inſtaurarunt atque emendarunt XVII. pag.269.
Deinde qui varia grammaticæ latinæ compendia conſcripſerunt XVIII. p.279. XIX. pag. 290.
Hiſce traditis, exhibetur notitia ſcriptorum, qui ſpeciatim partem quamdam grammaticæ illuſtrarunt; ac diſſeritur de ſcriptoribus litterarum romanarum XX. p. 293.
Pronuntiationis latinæ linguæ XXI. p.297.
Orthographiæ romanæ XXII.p.299.XXIII.p. 302.XXIV.p.303.XXV.p.307.XXVI.p.310. XXVII.p.311.XXVIII.p.317.
Proſodiæ romanæ XXIX.p.323.
Syntaxeos latinæ XXX. p.324.
Hiſce obſervationes ſubiiciuntur de indole, neceſſitate,auctoritate,ac cultura grammaticæ latinæ XXXI.p.328. XXXII. pag.330. XXXIII.p.334XXXIV.p.337.XXXV.p.340.

CAPUT V.

De latinis lexicis.

Summa capitis hujus indicatur I.p.341.
Origo lexicorum illuſtratur II.p.342.
Commemorantur lexicorum latinorum auctores ævi vetuſtioris III.p.346.
Medii IV.p.347.
Recentioris, cum generatim §.V.p.350.
Tum ſpeciatim, qui ſcripſerunt lexica etymologica VI.p.371.VII.p.376.
Explicarunt voces veteris latinæ linguæ VIII. p.378.
Ediderunt nomenclatores IX.p.379.
Gloſſaria latina X.p.382.
Lexica philoſophica XI.p.386.
Expoſuerunt de caſtitate & auctoritate vocum latinarum XII.p.391.

De

De copia latinæ linguæ XIII.p.395.
De particulis latinæ linguæ XIV.p.401.
De phraſibus auctorum veterum XV. p.406. XVI.p.407.XVII.p.415.
Quos ſequuntur, qui indices latinitatis conſcripſerunt XVIII.p.417.
Qui proverbia latina explicarunt XIX. pag. 420.
Hiſce obſervationes ſubiiciuntur de indole, auctoritate,atque uſu lexici latini XX. p. 424.XXI. p.429.

CAPUT VI.

De lectione, atque interpretatione auctorum latinæ linguæ generatim.

Dicendorum ſumma indicatur I.p.432.
Diverſitas lectionis generatim explicatur II. pag. 433.
Speciatim vero monſtratur,primum,quinam ſint legendi III.p.434.IV. p.436.V.p.440. VI.442.VII.p.444.
Deinde quo ordine ſcriptores latini ſint legendi VIII. p.446.
A quo auſpicium lectionis fieri debeat IX.p. 447.X.p.449.XI.p.451. XII.pag.454. XIII. pag.455.
Quibus explanatis commendantur adminicula interpretationis veterum auctorum,cum generatim XIV.p.457.
Tum ſpeciatim in libris hiſtoricorum XV. p.458.XVI.p.459.&XVII.pag.461.XVIII. pag. 462.
Philoſophorum XIX. p.463.
Poetarum XX.p.464
Quæ ſubſidia quum ſpectent ad interpretationem ipſarum rerum,ea quoque laudantur,

quæ

quæ pertineant ad ipſam linguam ejusque cognitionem §.XXI. p.465.

CAPUT VII.

De editionibus veterum auctorum latinorum.

Dicendorum ſumma indicatur I.p.467.
Recenſentur auctores,ex quibus cognitio editionum haurienda eſt II.p.469.
Ac poſtquam criteria bonarum editionum fuerunt explanata III.p.471.IV.p.473.V.p.479.VI.p.480.VII.p.487.
Commemorantur interpretes auctorum veteres VIII.p.490.
Ac qui primi veterum ſcriptorum libros ediderunt atque ab interitu vindicarunt IX. pag.491.
Quibus recenſitis, enarrantur interpretes recentiores ac editiones Gallorum X. p.494. XI. p.500.
Anglorum XII. p.502.
Belgarum XIII.p.504.
Italorum XIV.p.513.
Hiſpanorum aliarumque gentium XV. p.515.
Germanorum XVI.p.516. XVII.p.521.
Ultimo loco oſtenditur, quænam omnium ſint optimæ editiones XVIII.p.522.

CAPUT VIII.

De criticis latinis.

Dicendorum ſumma indicatur I.p.525.
Explicato critici nomine II. p.526.
Ipſius artis criticæ indoles declaratur III. pag.527.
Ac ſcripta recenſentur IV. p.529.
Ac monſtratur,quomodo juſtum pretium arti huic ſit ſtatuendum.V.p.533.VI.p.536.VII. p.538.

Ex quibus libris ſata artis hujus ſint cognoſcenda VIII. p.539.
Ac quid in uſu codicum ſcriptorum ſit obſervandum IX. p.540.
His præmiſſis, hiſtoria artis criticæ illuſtratur, eo ordine, ut primum occaſio illius atque origo explanentur X. p.542.
Deinde quæ munera fuerint antiquiorum criticorum, monſtretur XI. p.544. XII. p.546. XIII. p.547.
Ac quas notas habuerint critici illi XIV. pag.548.
Tum qui fuerint critici antiquiori ævo XV. pag.549.
Ac recentiori ætate, partim generatim XVI. XVII. p.550. & p.551.
Partim ſpeciatim, ubi recenſetur Gruteri theſaurus criticus XVIII. p.553. XIX. p.554. XX. pag.558. XXI. pag.561. XXII. pag.564. XXIII. p.566. XXIV. p.567. XXV. p.567.
Ac memorantur aliæ criticorum recentiorum obſervationes XXVI. p.568. XXVII. p.585. XXVIII. p.587.

CAPUT IX.

De lectione antiquorum ſolutæ orationis ſcriptorum.

Nexus capitis hujus cum ſuperiori I. p.589.
Diſſeritur de vita, editionibus, ac ſtilo Phædri II. p.590.
Cornelii Nepotis III. p.593.
Julii Cæſaris IV. p.595.
Eutropii V. p.601.
Ciceronis VI. ad X. p.604. ad 615.
Salluſtii XI. p.617.
Velleii Paterculi XII. p.624.

Cur-

Curtii XIII.p.627.
Plinii XIV.p.632.
Livii XV. p.636.
Taciti XVI.p.640.
Juſtini XVII.p.643.
Svetonii XVIII. p.647.
Flori XIX.p.649.
Senecæ XX.p.651.
Ubi ſimul alii auctores privato ſtudio perlegendi commendantur XXI. p.653.

CAPUT X.

De lectione poetarum latinorum.

Lectio poetarum latinorum commendatur I. p.655.II.p.657.
Ac diſſeritur de vita,editionibus,ac ſtilo Ovidii III.p.658.
Virgilii IV.p.661.
Horatii V. p.663.
Silii Italici VI.p.667.
Commendantur poetæ chriſtiani VII. p.669.

CAPUT XI.

De lectione ſcriptorum chriſtianorum.

Lectio ſcriptorum chriſtianorum commendatur I. p.670.
Diſſeritur de vita, editionibus,ac ſtilo Minucii Felicis II.p.672.
Lactantii III.p.674.
Sulpicii Severi IV.p.676.
Alii commendantur V.p.678.

CAPUT XII.

De lectione ſcriptorum recentiorum.

Lectio ſcriptorum recentiorum commendatur I.p.679.
Commemorantur latinitate clariſſimi viri, Itali II. ad IV.p.682.ad.701.

Luſitani atque Hiſpani V. p.706.
Galli VI.p.710.
Angli VII.p.718.
Dani VIII.p.720.
Hunga ri IX. p.723.
Belgæ X.p.724.
Germani XI.& XII. p.734. & 744.

CAPUT XIII.

De obſervatione latinæ linguæ.

Summa capitis hujus §.I.p.746.
Generatim agitur de indole,& diverſitate obſervationis hujus II. p.747.
Speciatim de obſervatione ſtili ratione diverſi caracteris circumducti, medii, & concisi III. p.748.
Sublimis,mediocris,& humilis IV.p.752.
De obſervatione vocum latinarum V.p.754.
Adiiciuntur obſervationes de excerptis latinę linguæ inſtituendis VI.p.758.

CAPUT XIV.

De imitatione.

Summa capitis hujus I. p.760.
Illuſtratur hiſtoria doctrinæ de imitatione, ubi primum oſtenditur, quomodo veteres Romani Græcos auctores ſint imitati II. pag.761.
Deinde agitur de Ciceronianis,ac controverſiæ,quæ de illis agitatę fuerunt, recenſentur III.p.763.IV.p.770.
Tum commemorantur ſcriptores de imitatione, qui & generatim de iſta V.p.773.
Et ſpeciatim de imitatione Ciceronis expoſuerunt VI.p.776.
Illuſtrata hujus doctrinæ hiſtoria,explanatur ipſius imitationis indoles atque oſtenditur,

quid

quid & quotuplex iſta ſit VII. p. 777.
Quidve ſit obſervandum de imitatione rerum VIII. p. 778.
De imitatione ſtili IX. p. 780.
De imitatione latinitatis X. p. 782.
Denique oſtenditur, quomodo exercitatio in imitatione ſit inſtituenda, ubi primum explanatur, qui ſint imitandi XI. ad XIII. p. 786. ad 790.
Deinde quomodo ipſa imitatio ſit inſtituenda XIV. ad XVI. p. 792. ad 800.

CAPUT XV.

De variis ſtili cultioris exercitiis atque argumentis.

Summa capitis hujus § I. pag. 802.
Primum agitur de variis ſtili exercitiis, ſpeciatimque de variatione II. p. 803.
De verſione III. pag. 805.
Carminis ſolutione IV. p. 807.
Stili mutatione V. p. 809.
Stili emendatione VI. pag. 812.
Propria elaboratione VII. pag. 813.
Deinde diſſeritur de diverſis orationis generibus atque argumentis; de conſcribendis quippe hiſtoriis VIII., & IX. p. 814. & 817.
Epiſtolis X. ad XIV. p. 818. ad 827.
Orationibus XV. ad XIX. p. 828. ad 841.
Dialogis XX. & XXI. p. 842., & 844.
Inſcriptionibus XXII. & XXIII. p. 846., & 847.
Programmatibus XXIV. p. 849.
Diſputationibus XXV. p. 850.
Libris cum generatim XXVI. pag. 852.
Tum ſpeciatim theologorum XXVII. p. 854.
Juriſconſultorum XXVIII. p. 855.
Medicorum & philoſophorum, ubi oſtenditur, qua-

quale ſermonis latini genus in quavis horum ſcriptorum ſpecie ineſſe debeat XXIX. pag. 856.
Finis totius operis XXX. pag. 858.

DIATRIBE PHILOSOPHICA

De litteris humanioribus.

Prolegomena de litterarum ſtudiis veterum Romanorum, & ſignificatione litterarum humaniorum pag. 861.
Cap. I. de genuina indole litterarum humaniorum pag. 868.
Cap. II. de cultura litterarum humaniorum pag. 888.

INDEX II.

PHILOLOGICUS.

A

Abbreviare 105.
Abbreviator 105.
Abyſſus 268.
Acer belli 622.
Acerbare 194.
Acinaces 632.
Adjuvaverunt 118.
Adſtrangulatus 674.
Adunare 75.
Advocatio 652.
Ægritudines 603.
Æquanimiter 105.
Aera 194.
Aeres 59.
Affatim 181.
Aforiſmus 268.
Agedum 181.
Aliquanta 603.
Aliquantos dies 75.
Alſius *comparat.*

rat. 614.
Alteræ 594.
Amare pro *ſole-re* 621.
Ambactus 599.
An, an 635.
Ancorarii funes 599.
Angiare 117.
Animatus bene 595.
Antemittere 599
Apographiſma 635.
Apologare 652.
Appietas 614.
Apſis 636.
Aquatius medicamentum 652.
Araneum 592.
Archaiſmus 190.
Archetypon 636
Aris & focis 623.
Artare 646.
Artolagani 613.
Aſinus 265.
Aſpernari ab omnibus 599.
Attaminare 646.
Aucella 92.
Audentia 635.
Aurarii 105.

B

Baccolum 119.
Baptiſma 678.
Barbarici ſoni 89.
Barbariſmus 182.
Beatitas 613.
Bellum facere 623.
Beta 119.
Betiſſare 119.
Brevis ævi natura 621.
Bule 636.
Buleutæ 636.
Buſticetum 95.

C

Calceorum 99.
Calefaciuntur 59.
Capitaliter 635.
Capitulatim 595.
Carnales 674.
Catechumenus 678.
Cautela 117.
Certiorare 117.
Ceſſim ire 646.
Charaxare 92.
Circulari 599.
Claſſicus 468.
Clienta 194.
Coimbibere 96.
Collatrare 652.
Columbari 652.
Columbuli 635.
Commenſus 59.
Commetari 96.
Communicare quibus 600.
Condocefacere 600.
Congruus 75. 105.
Conſonatiſſime 59.
Conſtellatio 105.
Contabulatio 599.

Con-

Converſatio hominum 627.
Corrotundare 652.
Crepax mola 652.
Criticus 526.
Cruciabiliter 600.
Cuique 99.
Cunctare 194.
Cupienter 194.
Curatura 194.
Cuſtoditius 635.

D

Deformatio 59.
Depilare nuces 92.
Deprecari 627.
Detrimentoſum 599.
Deviare 105.
Dictionarium 345.
Diecula 613.
Differitas 96.
Dignanter 105. 107.
Dimenſus 635.
Divaricari 613.
Dolobratis cacuminibus 599.
Dominantur veſtri 674.
Domos 119.
Dubietas 105. 603.
Duntaxat 181.

E

E contra 181.
Edecumatus 105.
Effigiare 108.
Egredi 635.
Elutus 99.
Enervans 99.
Equitatus magnos 599.
Eremus 99. 678.
Eruditio 869.
Eſſentia 614.
Ethnicus 678.
Eventilare 646.
Excitus 99.
Exfociont 191.
Explicitius 599.
Expromare 92.
Exſurdatus 652.
Extraordinarie 181.

F

Face pro *fac* 595.
Facere contumeliam & denuntiare timorem 182.
Faciliter 59.
Fateatur 614.
Fauce improba 592.
Fluentiſonum 169.
Ficus 184.
Filiis pro *filiabus* 600.
Forare 194.
Fortuito 181.
Foſſatum 75.
Fretu 614.
Fulgidus 108.
Funerare 194.
Fungi 595.

Ga-

G

Galeare 194.
Galliciſmus 194.
Gauſapatus 652.
Gaza 632.
Genitura 603.
Gloſſæ, Gloſſemata 342.
Γνῶσις 869.
Græciſmus 195.
Grammatica 250.
Grandiſcapiæ 652.
Gratanter 105.

H

Habitaculum 108.
Heliocaminus 636.
Hinſidias 182.
Hionium 182.
Hodieque 627.
Humanitas 862.
Humilitas 599.
Hyperbaton facere 636.

I

Idiotiſmus 197.
Jejunitas 614.
Ignominioſe 603.
Immodicus gloriæ 627.
Impiatum 674.
Impoſſibile 108.
Impræſentiarum 181. 674.
Imprope 96.
Imputare 635.
Inaudita 646.
Incapax 105.
Incerare 194.
Incharaxare 92.
Inceram 105.
Incunctanter 117.
Indifferentia 652.
Indolentia 176. 652.
Indoloria 613.
Inenarrabilis 652.
Inficiatio 614.
Infrunitus 652.
Inrotare 674.
Inſalutatus 179.
Inſectatus ab hoſte 600.
Inſoleſcere 622.
Inſuefactos equos 599.
Intererrare 674.
Internus 179.
Involucrum 99.
Juramentum 108.

K

Κοινισμὸς 198.

L

Lachaniſſare 119.
Lætus frugum & pabuli ager 621.
Laniger 592.
Lapſabundus 652.
Latet mihi 614.
Latii 28.
Lentulitas 614.

Le-

Leto aliquem dare 592.
Liquamen 92.
Litteratura 179.
Loquentia 621.
Lychnobius 652.

M

Magnificenter 59.
Magiſtratu præerat 599.
Malaciſſandus 652.
Manifeſtare 180.
Manſuetudo tua 603.
Manufacere 652.
Manus mulieraria 614
Materiari 599
Materiatæ ædes 614.
Matricula 117.
Medietas 603.
Meliorare 117.
Miniani Jovis 614.
Miniata cerula tua 614.
Minoratus 117.
Minuritior 613.
Miſereatur 614.
Modicus animi 621.
Moleſtare 117.
Monachus 678.
Monaſterium 678.
Moriones 636.
Mortifere 635.
Mulieroſitas 613.
Multiplicabilis 613.
Multivira 674.
Munitare 614.

N

Nedum 181.
Neocli 595.
Neotericus 105.
Neoteriſmus 197.
Nepotari 652.
Nimietas 603.
Noctuabundus 613.
Notaculum 674.
Noverimus 99.
Nullibi 58.
Nutricium 652.
Nutritius 180.

O

Obiraſcens 652.
Obnoctans 652.
Obſtrigillare 652.
Obviare 622.
Oculare 194.
Officinator 59.
Onus naturæ 592.
Opinabile 613.
Opinatur 613.
Opinioſiſſimi homines 613.
Orditum 194.
Orientalis 646.

P

Pædantiſmus 224.
Papparium 652.
Pariter 181.
Pallio 117.
Pertangere 92.

Phar-

Pharſalia 73.
Piiſſimus 176
Poſſibilitas 75.
Poſterare 75.
Præfectura urbi 603
Præſentare 105.
Propheta 678.
Prophetare 678.
Prophetia 678.
Prorſus 181.
Proſcripturire 613.
Proximare 180.
Pſephiſma 636.
Pullejaceum 119.
Purificare 646.

Q

Qualis qualis 117.

R

Reatus 646
Recenter 75.
Recidit 99.
Reliquia 592.
Repedare 117.
Reſponſus 59.
Reſtaurare 646.
Reverſus eſt 180.
Rigidari 652.
Roma 28.
Romanus 28.
Runcinatur 674.

S

Sagum 11.
Ad ſaga ire 11.
Saga ſumere 11.
Sanctificare 678.
Satrapa 622.
Saxoſus 180.
Segregem vitam 652.
Senati 622.
Servatio 635.
Sicuti 181.
Silva viridicata 613.
Silvicultrix 169.
Silvifragus 169.
Sinius 119.
Siniſteritas 635.
Siniſtrorſus 600.
Solæ mihi 594.
Solœciſmus 187.
Solummodo 674.
Soni barbarici 89.
Sordeſcere mente 674.
Speciarius 600.
Sportellæ 613.
Stilus 149.
Stipes 149.
Strigare 592.
Studere 635.
Sublimare 105.
Summitas 75.
Superior fui 196.
Superne 99.
Syllaturire 613.

T

Tenebricoſus 613.
Titulatus 194.
Tranquillitas tua 603.
Triumphator 105.

Va-

V
Vaceroſum 119
Vacuare 194.
Valetudinarius 652.
Vapeſcens 119.
Vapida lagena 119.
Vapide ſeſe habere 119.
Veluti 151.
Veſcor 592.
Vicibus tribus 75.
Virgetum 613.
Uræ rei 594.
Unanimiter 106.
Univira 674.
Voracitas 603.
Urbanus 176.
Uſtrina 95.
Uſualis 119.
Uulgus amat fieri 621.
Uulturius 592.
Z
Zonam ſolvere 11.

INDEX III.

AUCTORUM.

A
ABaillardus *Petrus*
Abramus *Nicolaus*
Abſtemius *Laurentius*
Accius
Acidalius *Valens*
Ackerus *Joannes Henricus*
Acron
Adamannus
Adamus *Melchior*
Ado
Adrianus cardinalis
Ælfricus
Ælius *Lucius*
Afranius
Agricola *Rudolphus*
Agrœtius
Aimonius
Alanus de Inſulis
Albertus Magnus
Alcimus Avitus
Alcuinus Flaccus
Aldhelmus

Ab

Ab Almeloveen *Theodorus Janſonius*
Alſtedius *Joan. Henricus*
Alvarez *Emanuel*
Amaſæus *Romulus*
Ambroſius
Ampelius *Lucius*
Anaſtaſius
Anna Tanaquilli Fabri filia
Anneslcy
Anonymus
Antiquus *Laurentius*
Apicius Cælius
Appius Claudius Cæcus
Apulejus
Arator
Aretinus *Leonhardus*
Aretinus *Joan. Tortellus*
Arnobius
Aruntius Celſus
Aſchamus *Rogerius*
Aſconius Pedianus
Aſulanus *Franciſcus*
Aventinus *Joannes*
Auguſtinus *Antonius*
Avienus *Rufus Feſtus*
Aurelius *Petrus*
Aurelius Victor
Auſonius *Decius Magnus*
Auſonius Popma

B

Babellonius *Auguſtinus*
Badenius Torchillus
Badius *Jodocus*
Bælius *Petrus*
Bailletus *Adrianus*
Balbinus *Bohuslaus*
De Balbis *Joannes*
Baldericus
Baldus
Bangius *Thomas*
Baptiſta *Joannes Pius*
Barbarus *Hermolaus*
Barclajus *Joannes*
Barrienti *Bartholomeus*
Barthius *Caſpar*
Bartholinus *Barth.*
Bartolinus *Pius Antonius*
Bartolus
Baudius *Dominicus*
Bauldrus *Paullus*
De la Baune *Jacobus*
Becherus *Joannes Joachimus*
Becmannus *Chriſtianus*
Beda
Begerus *Laurentius*
Bellovacus *Joannes Teodorus*
Bembus *Petrus*
Bendinellius *Antonius*

Bentlejus *Richardus*
Benzius *Joannes*
Beraldus *Claudius*
Bergerus *Gothofredus*
Bergerus *Joannes Gulielmus*
Beringius *Vitus*
Berkelius Abraamus
Berneggerus *Matthias*
Beroaldus *Philippus*
Bertrandus *Joannes*
Beſtonus *Robertus*
Beughem *Cornelius*
Blancardus *Nicolaus*
Bochartus *Samuel*
Bœclerus *Joan. Henricus*
Bœhmerus *Juſtus Chriſtophorus*
Bœrnerus *Chriſtianus Fridericus*
Boethius
Bohmius *Georgius Fridericus*
Boldonus *Octavius*
Bolduanus *Paullus*
Bonamicus *Lazarus*
Bonaventura
Bongarſius *Jacobus*
Borremanſius *Antonius*
Borrichius *Andreas*
Borrichius *Olaus*
Boſius *Joannes Andreas*
Boſſuetus *Jacobus Benignus*
Boxhornius *Marcus Zuerius*
Breithauptus *Chr.*
Brito *Gulielmus*
Briſſonius *Barnabas*
Brochmannus *Caſpar Eraſmus*
Brodæus *Joannes*
Brouckhuſius *Janus*
Brucknerus *Gulielmus Hieron.*
Brunellus
Brunquellius *Joannes Salomon*
Buchananus *Georgius*
Buchnerus *Auguſtus*
Budde *Conrad*
Buddeus *Carolus Fridericus*
Buddeus *Joan. Franciſcus.*
Budæus *Gulielmus*
Bunellus *Petrus*
Burckardus *Jacobus*
Burlæus *Gualterus*
Burmannus *Petrus*
Burmeiſterus *Joannes*
Buſchius *Hermannus*
Buſius *Nicolaus*

C

Cæcilius
Cæſar *Cajus Julius*
Cagnatus *Marſilius*

Calderinus *Domitius*
De Calepio *Ambroſius*
Calixtus *Georgius*
Callyus *Petrus*
Calpurnius *Titus Julius*
Caluiſius *Sethus*
Camerarius *Joachimus*
Campanus *Joannes Antonius*
Camus *Nicolaus*
Canaelius *Petrus Joſephus*
Canterus *Guilielmus*
Canterus *Theodorus*
Capella *Martianus*
Caper *Flavius*
Capitolinus *Julius*
Caroli *Philippus*
Carpzovius *Fridericus Benedictus*
Carrio *Ludovicus*
De Caſa *Joannes*
Caſaubonus *Iſaacus*
Caſelius *Jacobus Durantius*
Caſelius *Joannes*
Caſſander *Georgius*
Caſſiodorus
Caſtalio *Sebaſtianus*
Caſtalio *Joſephus*
Cato
Catullus
Cauſſinus *Nicolaus*
Cellarius *Chriſtophorus*
Celſus *Cornelius*
Cenſorinus
De la Cerda *Joannes Ludovicus*
Cethegus *Marcus Cornelius*
Chryſoloras *Manuel*
Chytræus *David*
Chytræus *Nathanael*
Ciacconius *Petrus*
Cicero *Marcus Tullius*
Clajus *Joannes*
Clarkius *Samuel*
Clauderus
Claudianus *Claudius*
Clemens Alexandrinus
Clericus *Joannes*
Cluverius *Philippus*
Coccius *Marcus Antonius*
Cochlæus *Joannes*
Cockmann *Thomas*
Colerus *Joannes Chr.*
Colleſius *Vincentius*
Columella *Lucius Junius Moderatus*
Comenius *Joan. Amos*
Conradus abbas Urſpergenſis
Cõringius *Hermannus*

Conſtantinus Africa-
canus
Conſtantinus *Rober-
tus*
Corberus *Caſpar*
Corderius *Maturinus*
Corippus
Cornutus
Corradus *Q. Marius*
Corradus *Sebaſtianus*
Corteſius *Paullus*
Courtinus *Nicolaus*
Crauſerus *Georgius*
Creechius *Thomas*
Creſollius *Ludovicus*
Crinitus *Petrus*
Criſpinus *Daniel*
A Cruce *Jacobus*
Cruſius *Martinus*
Cujacius *Jacobus*
Cunæus *Petrus*
Cuperus *Gisbertus*
Curio *Cælius Secun-
dus*
Curtius *Quintus Ru-
fus*
Cyprianus *Erneſtus
Salomon*
Czvittingerus

D

Dacerius *Andreas*
Dalechampius *Jaco-
bus*
Damiani *Petrus*
Danesus *Petrus*
Daviſius *Joannes*
Daumius *Chriſtianus*
Dausquius *Claudius*
Decimator *Henricus*
Demetrius Phalereus
Desmarez *Joſephus*
Desprez *Ludovicus*
Devonius *Joſephus*
Dictys Cretenſis
Dillherrus *Joannes
Michael*
Dionyſius Gothofre-
dus
Dionysius Halicar-
naſſenſis
Dionysius Longinus
Dodwellus *Henricus*
Dolesius *Alexander*
Doletus *Stephanus*
Donatus
Donatus Ælius
Dornmeyerus *Andre-
as Julius*
Doviatius *Joannes*
Douſa *Janus*
Dracontius
Drakenborch *Arnol-
dus*
Draudius *Georgius*
Drepanius Florus
Dreſſerus *Matthæus*
Drexelius
Dudithius *Andreas*
Dukerus *Carolus An-
dreas*

Dur-

Durrerus *Adamus*

E

Eginhardus
Egnatius *Baptiſta*
Engelbrecht *Jacobus*
Ennius
Ennodius
Eraſmus *Deſiderius Roterodamus*
Ermelius *Georgius*
Erythræus *Janus Nicius*
Eſchenbach *Andreas Chriſtianus*
Eſpencæus *Claudius*
Eſſenius *Hermannus*
Eugenius
Eugraphius
Eumenius
Eutropius *Flavius*

F

Faber *Baſilius*
Faber *Tanaquillus*
Fabius Fulgentius Planciades
Fabius Pictor
Fabrettus *Raphael*
Fabricius *Georgius*
Fabricius *Ioannes Albertus*
Facciolatus *Iacobus*
Faernus *Gabriel*
Falconia *Proba*
Falſterus *Chriſtianus*
Farnabius *Thomas*
Fayus *Michael*
Feind *Bartholdus*
Fellerus *Joachimus Fridericus*
Fernus *Michael*
Ferrarius *Octavius*
Feſtus Pompejus
Filitzius *Michael*
Finckius *Caſpar*
Firmicus *Julius Maternus*
Flaccus *M. Verrius*
Flaminius *Marcus Antonius*
Flavius *Ptolemæus*
Fleetwood *Guilielmus*
Fliſcus *Stephanus*
Flodoardus
Floridus *Julianus*
Florinus *Joannes Henricus*
Florus *Lucius Annæus*
Folieta *Ubertus*
Francius *Petrus*
Freculphus
Freinshemius *Jo.*
Du Freſne *Carolus*
Freyer *Hieronymus*
Freytagius *Fridericus Gotth.*
Friſchlinus *Nicodemus*
Friſius *Joannes*

Frontinus *Sextus Julius*
Fronto *Cornelius*
Fruterius *Lucas*
Funccius *Joannes Nicolaus*
Fulgentius
Fungerus *Joannes*
G
Gabillonius *Auguſt.*
Gambarella *Auguſtinus*
De Garlandia *Joannes*
Gebhardus *Janus*
Gebhardus *Joannes Albertus*
Gellius *Aulus*
Gennadius
Germanicus
Geſnerus *Conradus*
Gesnerus *Joa. Matth.*
Gevartius *Caſpar*
Gibertus *Balthaſar*
Gibſon *Edmundus*
Gifanius *Obertus*
Glareanus *Henricus Loritus*
Glaſſius *Salomon*
Goclenius *Rodolphus*
Godeſcalcus *Joannes*
Godwin *Joannes*
Gœpelius *Andreas*
Gœrzius *Georgius Henricus*
Golzius *Hubertus*
Goraldus *Theod.*
Goveanus *Antonius*
Gracchus
Grævius *Joannes Georgius*
Gratianus
Gratius
Gravina *Janus Vincentius*
Gregorius Turonenſis
Griſchow *Auguſtinus*
Gronovius *Abraamus*
Gronovius *Jacobus*
Gronovius *Joannes Fridericus*
Groſchupfius
Groſſerus *Samuel*
Grotius *Hugo*
Gruterus *Janus*
Grynæus *Simon*
Gualterus *Philippus*
De Guaſchis *Ludovicus*
Gudius *Marquardus*
Gumprechtius
Gundlingius *Nicolaus Hieronymus*
Guntherus
Guntherus *Cyriacus*
Gyraldus *Lilius*
H
Haberſack *Fridericus*
Hadrianus
Hallba-

Hallbaverus *Fridericus Andreas*
Hambergerus *Laurentius Andreas*
Hanckius *Martinus*
Harduinus *Joannes*
Hartungus *Joannes*
Hauſſius
Haymo
Hearne *Thomas*
Hederich *Beniamin*
Heineccius *Joannes Gottlieb*
Heinſius *Daniel*
Heinſius *Nicolaus*
Helmoldus
Helpidius
Helvicus *Chr.*
Henelius *Nicolaus*
Henningius *Joachimus*
Heraldus *Deſiderius*
Hermannides *Rutger.*
Hermannus
Hermannus Hugo
Hermogenes
Heumannus *Chr. Auguſt.*
Hickeſius *Georgius*
Hildebertus
Hincmarus
Hirtius
Hoffmannus *Caſpar*
Hoffmannus *Godofr.*
Holſtenius *Lucas*
Honoratus *Servius Maurus*
Honorius de Sancta Maria
Hoogſtratanus *David*
Horatius
Hottingerus
Hottomannus Fridericus
Hudſonus *Joannes*
Huetius *Petrus Daniel*
Hugo
Hyginus
Hypſicrates

I

Jabolenus Priſcus
Janus *Daniel Fridericus*
Jenſius *Joannes*
Inchoferus *Melchior*
Inſulanus *Guilielmus*
Joannes Sareſburienſis
Joannes *Scotus*
Johnſon *Thomas*
Jornandes
A S. Joſepho *Paullinus*
Irenicus *Franciſcus*
Iſidorus Hiſpalenſis
Junckerus *Chriſtianus*
Junius *Hadrianus*
Junius *Melchior*
Juſtinianus

Juſtinus *M. Junianus*
Juvenalis *Junius*
Juvencius *Joſephus*
Juvencus *Aqu. Gai. Vett.*
Juventius Celſus

K

Kappius *Joan. Erhardus*
Keimannus *Chriſtianus*
Kekermannus *Barth.*
Ker *Joannes*
Ketelius *Richardus*
Keuchenius *Robertus*
Kirchmajerus *Georgius Caſpar*
Knippingius *Burchardus*
Kortte *Gottlieb*
Krebſius *Joannes Auguſt.*
Krebſius *Joan. Fridericus*
Kriegkius *Georgius Nicolaus*
Kromayerus *Joannes Henricus*

L

Labbeus
Laberius
Laboureriius *Joannes*
Lactantius *Luc. Cęlius Firm.*
Lambertus
Lambinus *Dionyſius*
Lamius *Bernardus*
Lampridius *Ælius*
Lancillottus *Curius*
Langius *Joachimus*
Laughtonus
Laurentius *Joannes*
Lazius *Wolffgang*
Leonard *Joannes David*
Leonicenus *Omnibonus Vincentinus*
Leopardus *Paullus*
Leydekkerus *Melchior*
Lilienthalius *Michael*
Linacer *Thomas*
Lindenbergius *Caſpar*
Lindenbrogius *Fridericus*
Lindenius *Joan. Antonides*
Lintrupius *Severinus*
Lipenius *Martinus*
Lipſius *Juſtus*
Livius
Livius *Andronicus*
Loccenius *Joannes*
Lockius *Joannes*
Loenſis *Jacob. Nicolaus*
Lœſcherus *Valentin. Erneſt.*
Longolius *Chriſtian.*
Lotichius *Jo. Petrus*

Lubi-

Lubinus *Eilhardus*
Lucanus *M. Annæus*
Lucilius
Lucius *Ludovicus*
Lucretius
Luctatius
Ludolfus *Jobus*
Ludovici *Gothofredus*
Luiſinus *Franciſcus*
Luitprandus

M

Mabillonius *Joannes*
Macer *Æmilius*
Macrobius *Ambroſius Aurelius Theodoſius*
Magius *Hieronymus*
Magirus *Tobias*
Majoragius *M. Antonius*
Maittaire *Michael*
Majus *Joannes Burc.*
Mamertinus *Claudius*
Mamertus *Claudianus*
Manilius
Manturantius *Franciſcus*
Manutius *Aldus*
Manutius *Paullus*
Marbodæus
Marcellinus *Ammianus*
Marculphus
Mareſius *Rolandus*
Marianus Scotus
Marſus *Petrus*
Martialis *Valerius*
Martinus *Matthias*
Martinus Polonus
Maſculus *Jo. Baptiſta*
Maſecovius *Chriſtianus*
Maſenius *Jacobus*
Maſſevicius *Pancratius*
Mathanaſius
Matthæus Pariſienſis
Matthæus Vindocinenſis
Mauſſacus *Philip. Jacobus*
Meibomius *Henricus*
Mela *Pomponius*
Melanchthon *Philippus*
Menænius *Agrippa*
Menagius *Ægidius*
Menckenius *Joannes Burch.*
De Meroville *Carolus*
Meſſala
Minellius
Minucius Felix
Modius *Franciſcus*
Molinettus *Claudius*
De Monte *Auguſtin. Maria*
Montfauconus *Bern.*

Ma-

Morellus *Fridericus*
Morhofius *Daniel Georgius*
Morus *Thomas*
Moshemius *Jo. Laurentius*
Munckerus *Thom.*
Muretus *M. Antonius*
Muslerus *Joannes*
Mycillus *Jacobus*

N

Nævius
Nannius *Petrus*
Natalis Comes
Nazarius
Neander *Michael*
Nebriſſenſis *Ælius Antonius*
Numeſianus *M. Aurelius Olympius*
Nemius *Ioannes*
Nepos *Cornelius*
Nicander *Ambroſius*
Nieſs *Ioannes*
Niger *Iulius*
Nizolius *Marius*
Nodotius *Franciſcus*
Noriſius *Henricus*
Nunneſius *Petrus Ioannes*

O

Obſequens *Iulius*
Odo Severus
Olympia Fulvia Morata
Oroſius
Oſorius *Hieronymus*
Otto Friſingenſis
Otto *Ioannes Chriſtophorus*
Ovidius Naſo

P

Pacatus *Latinus*
Pacuvius
Palæmon *Rhemnius Fannius*
Palearius *Aonius*
Palladius Rutilius Taurus Æmilianus
Palmerius *Janus Mellerus*
Papias
Papianus Æmilianus
Pareus *Daniel*
Pareus *Philippus*
Parrhaſius *Janus*
Paſchius *Georgius*
Paſſeratius *Ianus*
Paſtorius *Ioachim*
Patiſſonius *Mamertus*
Paullus *Iulius*
Pedo Albinovanus
Pegaſus
Perdix *Paullus*
Perizonius *Iacobus*
Perottus *Nicolaus*
Perpinianus *Petrus Ioannes*

Per-

Perſius *Aulus Flaccus*
Petitus *Petrus*
Petitus *Samuel*
Petrarcha *Franciſcus*
Petricorius *Paullinus*
Petronius Arbiter
Petrus Blecenſis
Pezron
Pflugius *Iulius*
Phædrus
Piccartus *Michael*
Pichon *Iulianus*
Picus *Ioannes Franciſcus*
Picus *Ioannes Mirandulanus*
Pighius *Stephanus*
Pithœus *Petrus*
Pitiſcus *Samuel*
Pius *Ioannes Baptiſta*
Plautus
Plempius *Cornelius Giſelbertus*
Plinius ſecundus junior
Plinius ſecundus major
Poggius *Ioan. Franciſcus*
Politianus *Angelus*
Polybius
Polydorus Vergilius
Poiney *Franciſcus*
Pomponius
Pontanus *Iſaacus*
Pontanus *L. Iovius*
Pope-blount *Thomas*
Popilius *Marcus*
Popma *Auſonius*
Polner *Ioannes Caſpar*
Poſſevinus *Antonius*
Praſchius *Ioannes Ludovicus*
Preyſs *Chriſtophorus*
Prideaux *Humfredus*
Priſcianus
Proculus
Propertius
Proſper Aquitanicus
Prouſtius *Iacobus*
Prudentius *Aurelius Clemens*
Publius Syrus
Puſendorffius *Samuel*
Putſchius *Elias*
Pyrrhus *Guilielmus*

Q

Quartier *Philippus*
Quinctilianus *M. Fabius*

R

Rabanus
Raimundus
Ramus *Petrus*
Raphelengius *Franciſcus*
Rapinus *Renatus*
Rappoltus *Fridericus*
Realinus *Bernardinus*

Reca-

Recanatus *Ioannes Baptiſta*
Rechenbergius *Adam*
Reineſius *Thomas*
Rennemannus *Henricus*
Reuterus *Quirinus*
Reyherus *Andreas*
Rhegino
Rhemnius Fannius
Rhenanus *Beatus*
Rhenius *Ioannes*
Richardus *Barthol. Chriſt.*
Richerius *Ludovic. Cælius*
Richterus *Godefridus*
De Riga *Petrus*
Rigaltius *Nicolaus*
Riguezius *Robertus*
Ringelbergius *Ioachim. Fortius*
Rittershuſius *Conradus*
Rivius *Ioannes*
Robortellus *Franciſcus*
Rodulphus
Rondellus *Petrus*
Roſcius *Victorius*
Roſæus *Alexander*
Roſtgaardus
Ruæus *Carolus*
Rudiger *Andreas*
Rufinus
Rufus *Chriſtophorus*
Rufus *Sextus*
Rupertus *Chriſt. Adam.*
Rutgerſius *Ianus*
Rutilius *Claud. Numant.*
Ryckius *Theod.*

S

Sabellicus *Coccius*
Sabinus *Franciſcus Floridus*
Sabinus *Georgius*
Sacchinus
Sadoletus *Iacobus*
Sagittarius *Caſpar*
Sagittarius *Thomas*
Salernitani medici
Salernitanus *Andreas*
Salluſtius
Salmaſius *Claudius*
Saltzmannus *Balthaſar Fridericus*
Salvianus
Sambucus *Ioannes*
Sanmarthanus *Scævola*
Sammonicus *Q. Serenus*
Sanctamauræus *Carolus*
Sanctius *Franciſcus*
Sandius *Chriſtophorus*
Sarravius *Claudius*
Sartorius *Ioannes*

Saxo

Saxo Grammaticus
Scaliger *Joſephus Juſtus.*
Scaliger *Julius Cæſar*
Schævius *Henricus*
Schefferus *Joannes*
Schegkius *Jacobus*
Schelhornius *Joannes Georgius*
Scheurlius *Henricus Julius*
Schmidius *Eraſmus*
Schmidius *Samuel*
Schœnſlederus *Wolffgang.*
Schonæus
Schorus *Antonius*
Schottus *Andreas*
Schraderus *Chriſtophorus*
Schrevelius *Cornelius*
Schubartus *Georgius*
Schurtzfleiſchius *Conrad Samuel*
Schwartzius *Chr.Got.*
Schwartz *Jo. Conrad.*
Scioppius Caſpar
Scipio *Æmilianus*
Scotus *Alexander*
Scoppa *Luc.Joannes*
Scribonius Largus
Scriverius *Petrus*
A Seckendorff *Vitus Ludovicus*
Sedulius
A Seelen Henricus
Seneca *Lucius*
Seneca *M.Annæus*
Seneca Tragicus
Septimius Romanus
Servius
Servius Galba
Servius Honoratus
Severus *Cornelius*
Sextus Rufus
Seyboldus *Joannes Georg.*
Sidonius Apollinaris
Sigonius *Carolus*
Silius Italicus
Simonius *Richardus*
Sleidanus *Joannes*
Slevogtius *Joannes Philippus*
Smetius *Henricus*
Solinus *C.Julius*
Sommerfeld *Joannes*
Spangenbergius *Joan.*
Spanhemius *Ezechiel*
Spanhemius *Fridericus*
Sparkius *Thomas*
Spartianus *Ælius*
Spera *Petr.Ang.*
Sponius *Jacobus*
Starckius *Joannes*
Statius *Achilles*
Statius *P.Papinianus*
Stephanus *Carolus*
Stephanus *Henricus*

Stephanus *Robertus*
Stewechius *Godeſcalcus*
Stolle *Gottlieb*
Strabus Gallus
Strebæus *Ludovicus*
Strigelius *Victorinus*
Struvius *Burchardus Gotth.*
Stubelius *Andreas*
Sturmius *Joannes*
C. Suetonius Tranquillus.
Sulpicia
Sulpicius Severus
Suſannæus *Hubertus*
Sylburgius *Fridericus*
Sylvaticus *Matthæus*
Sylvius *Franciſcus*
Sylvius *Philippus*
Symmachus *Q. Aurelius*

T

Tacitus *C. Cornelius*
Taubmannus *Fridericus*
Tellierius *Michael*
Tentzelius *Erneſtus*
Terentianus Maurus
Terentianus Scaurus
Terentius
Tertullianus *Q. Septimius Florus*
Theocritus
Theſaurus *Emmanuel*
Thomaſinus *Jacobus Philippus*
Thomaſius *Chriſtianus*
Thomaſius *Jacobus*
Thuanus *Jacobus Auguſtus*
Thura *Albertus*
Thyſius *Antonius*
Tibullus
Tilbottus
Titius *Robertus*
Tollius *Jacobus*
Torrentius *Hermannus*
Torrentius *Lævinus*
Toſſanus *Paullus*
Trebellius Pollio
Trebellius *Theodoſius*
Triglandius *Jacobus*
Turnebus *Adrianus*
Turſellinus *Horatius*
Tyrius *Guilielmus*

V

Valens *Aburnius*
Valerius *Cornelius*
Valerius Flaccus
Valerius Maximus
M. Valerius Probus
Valla *Laurentius*
Varnefridus *Paullus*
Varro *M. Terentius*
Vavaſſor *Franciſcus*
Ubelius *Stephanus*
Vechnerus *Daniel*

Ve-

Vegetius *Flavius Renatus*
Velius Longus
Vellejus Paterculus
Venatius Fortunatus
Verderius *Claudius*
M. Verrius Flaccus
Ugutio
Uhſe Erdmann
Victor Tununenſis
Victorinus *Marius*
Victorius *Petrus*
Villeramus
Vincentius Bellovacenſis
Vindingius *Paullus*
Virgilius
Vitellius *Cornelius*
Vitruvius
Vives *Joannes Ludovicus*
Uladeraccus *Chriſtophorus*
Ulnerus *Hermannus*
Ulpianus
Vockerodt *Gothofredus*
Vogelmannus *Georgius*
Vopiſcus *Flavius*
Vorſtius *Joannes*
Voſſius *Gerardus Jo.*
Voſſius *Iſaacus*
Urſatus *Sertorius*
Urſinus Fulvius
Urſinus *Jo. Henricus*
Vulcatius Gallicanus

W

Waſſe *Joſephus*
Weinichius *Joannes Fridericus*
Weiſius *Chriſtianus*
Weiſius *Chriſtianus Henricus*
Wendelinus *Marcus Fridericus*
Werenfelſius *Samuel*
Wernsdorffius *Gottlieb*
Weſterhoſius *Arn. Henricus*
Whear *Degoreus*
Willichius *Jodocus*
Witichindus
Wolffius *Jo. Chriſtoph.*
A Wood *Antonius*
Wowerus *Joannes*

Z

Zechendorffius *Joannes*
Zehnerus *Joannes*
Zeltnerus *Joann. Conradus*
Zeunerus *Joann. Caſpar*
Zinzerlingus

INDEX IV.

RERUM.

A.

Abbatis cujuſdam latinitas. 129.
Aborigines. 31.
Accentus an ſint ſupra voculas ponendi. 311.
Additio in imitatione. 784.
Æneas num unquam fuerit in Italia. 32.
Æneum ſeculum. 103., ejus ſcriptores. 91.
Æſchinis ſchola. 153.
Æſopi fabulæ. 68.
Ætas, vide *ſeculum*
Afrorum ſtilus. 94. 193.
Amazones. 72.
Analogia nititur caſtitas latinæ linguæ; unde ea cognoſcatur. 181.
Anglia multos protulit interpretes; bibliothecis abundat. 502. 718.
Anglorum editiones veterum auctorum præſtantiores; qui laudantur, recenſentur, notantur. 502. & 503.
Antiquarii. 193.
Antiquitas codices corrupit. 475.
Antiquitatum 887., peritus debet eſſe philologus. 11. 461.
Arateorum translatio cui tribuenda 62.
Archaiſmus. 192.
Argenteum ſeculum, ejuſque ſcriptores. 67.
Argutiæ ſtili conciſi. 157.
Aſiaticum genus. 152.

Aſi-

Aſinius Pollio Ciceronis, Livii, Cæſaris &c. invidus fuit. 640.
Atticum genus. 153.
Auctores de ſtilo romano. 142.
Auctores claſſici. 468.
Auctoritas vocum, & regulæ circa eam obſervandæ. 178.: ac ejus criteria. 754.
Auguſtus deditus fuit litteris, & duas bibliothecas exſtruxit. 66.: Jani templum primus clauſit. 81.; ejus tempore lingua latina corrumpi cœpit. 65. 88.
Auguſtodunum liberalia ſtudia colit. 34.
Aureum ſeculum, ejus ſcriptores 50., ac indoles. 62.
Auſones. 31.

B.

Barbara dictio, & Barbari. 182.
Barbaræ romanæ linguæ exempla. 38.
Barbaries medii ævi. 130.
Barbariſmus vocum, orthographiæ, proſodiæ. 182. *& ſeq.*
Barbarorum invaſio ſtudium latinæ linguæ impedivit. 123.
Barthii adverſaria 572.
Belgæ cultores latinæ linguæ. 724.; auctorum interpretes: & editiones veterum auctorum præſtantiſſimæ. 504.
Bella ſtudia litterarum impediunt. 104.
Bellovaci veteres grammatici duodecim latini. 261.
Bellum Marſicum. 89.
Bembus ſimia Ciceronis. 688.
Bibliothecæ Octavia, & Palatina. 66. 256.
Bibliothecis præfuerunt grammatici. 256.
Bona hominum abſoluta & relativa. 871.

Borrichii cum Cellario controverſia. 393.
Buchananus. 720.
Burmannus in linguam germanicam injurius. 213.

C.

Cæſaris *Julii* vita, nomen, ſcripta, editiones, ſtilus, voces rariores; ejus hiſtoria ab Harduino in dubium vocatur. 595. & *ſeq*.
Calendarium romanum. 460.
Calepini lexicon. 350.
Caracteres editionum bonarum certi & probabiles. 471.
Carminis ſolutio. 807.
Carolus M. ut lingua germanica excolatur curat. 128.
Caſtalionis verſio bibliorum. 449.
Caſtitas latinæ linguę grammatica & romana 241.; unde diſcatur. 177.; in junctura obſervari debet. 182.; corrupta eſt. 182.; ejus ſcriptores. 391.
Catullus, judicia de eo. 55.
Cellarii editiones recenſentur; de iis judicatur; earum indices & tabulæ geographicæ laudantur. 517. & *ſeq*.; ſtilus. 743.
Cenſores qui dicti ſint. 253.
χαριεντισμὸς. 202.
Cholericus gaudet ſtilo ſublimi. 162.
Cicero Demoſthenem imitatus eſt. 230.
Ciceronis vita, honores, ſcripta, editiones, ſtilus, oſores; gallicismi, ſolœciſmi; voces rariores; epiſtolæ præſtantiores; quænam ex ſcriptis ejus legenda pag. 604. & *ſeqq*. auctoritas non ſufficit p. 177. imitatores ſuperſtitioſi, & religioſi pag. 764. ; quomodo imitatio ejus ſit inſtituenda. 790. ſcripto-

res de imitatione ejus 776. ejus tempore latinitas corrumpi cœpit. 88.: ejus epiſtolæ a Petrarcha Vercellis repertæ ſunt. 492.
Civitas romana poſt Marſicum bellum multis datur. 89.
Chriſtiana religio ſtudium latinę linguæ conſervavit. 105.
Chriſtiani ſcriptores conjungendi cum gentilibus. 440.: elegantiam latinæ linguæ non magni fecerunt; multas voces novas atque græcas introduxerunt; quidam caſtitatem latinæ linguæ ſecuti ſunt: ſunt legendi p. 670. *& ſeq.*: eorum vocabula technica uſurpari debent. 793. 796.
Chronologia ad interpretandos veteres auctores neceſſaria eſt. 459.
Claſſici auctores. 468.
Clericus quidam latine legere non poteſt 268.
Codices M S S. a vitiis non plane immunes ſunt, inſerviunt orthographiæ. 307. *& ſeq.* eorum ope auctores emendantur; quando eos ſequi debeamus; variis modis corrupti ſunt; non ſunt nimis æſtimandi: regulæ de eorum uſu p. 474. *& ſeqq.*
Cogitationum conjunctio cum ſtilo p. 200.
Colloquia latina num legenda ſint p. 447.
Comenii janua p. 451.
Conſonantium ſtridor in oratione removeri debet. 203.
Conſtructio ſæpe ſtilum reddit obſcurum. 200.
Copia linguæ latinæ, de ea auctores. 395.
Corduba litterarum ſtudiis dedita. 34.
Correctores in typographiis celebriores. 471.
Critica ars quid ſit, quotuplex; philologo eſt neceſ-

neceſſaria . 12.526.non pertinet ad veram eruditionem. 874. : ejus limites,hiſtoria,& de ejus fatis ſcriptores p.526. & ſeqq. , ubi late de Criticis .
Cruſii controverſia cum Friſchlino 283 .
Cultura linguæ latinæ . 222., auctores de argumento . 231.;& ejus ſubſidia . 239.
Cunæi ſtilus laudatur.756.838.
Curtii Rufi ætas , ſcripta , editiones , ſtilus, voces rariores . 627.& ſeqq.

D.

Dani interpretes auctorum. 516.ſcriptores latinæ linguæ.720.
Detractio in imitatione. 784.
Dialogi conſcribendi ratio . 842.
Dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ auctor incertus eſt . 79.
Dictionarium quid ſignificet . 345.
Dignitas ſtili . 205.
Diphthongographia Schmidii.302.
Diſciplinæ quomodo invicem ſint conjungendæ . 891.
Diſputationum conſcribendarum ratio 850. 851.
Diſtinctionum tabula Puteani. 302.303.
Diviſio verborum quomodo ſit inſtituenda 310.
Doctorum veteris Eccleſiæ latinitas;& ſtili ratio. 106.108.
Domitianus edicto philoſophos urbe & Italia expulit . 90.
Durocortori liberalia ſtudia floruerunt. 34.

E.

Editiones auctorum veterum vel notas habent,vel iis carent.473.Virtutes editionum

ſine

ſine notis *ibidem*;cum notis. 480.omnium optime. 522.
Editiones in uſum Delphini,earum auctores, modus & methodus,ac dignitas.495.*& ſeq*. Indices notantur. 417.Variorum de iis judicia. 497.*& ſeq*.
Editiones Minellii; ad modum Minellii; earum ætas; auctores; virtutes & vitia: judicia de iis. 519.*& ſeq*.
Editiones cum notis variorum; earum morbi: variorum de iis judicia: optimæ illarum ſunt,quas edidit Grævius. 505.*& ſeq*.
Editiones cum notis teutonicis.521.523.
Editionum auctorum veterum notitia culturam latinitatis multum juvat.468.
Editionum bonarum ſigna certa ratione indolis externæ, vel internæ: earumque ſigna probabilia. 471.*& ſeq*.
Eginhardus num auctor ſit vitæ Caroli M. 128.
Elaboratio propria exercitium ſtili.813.
Elegantia ſtili perſpicuitatem promovet. 225.
Elegantiarum regulæ nullo nituntur fundamento: earum ſcriptores. 324.
Eloquentia a philoſophia non eſt ſeparanda 10.
Eloquentiæ natura, indoles,& diviſio. 881.
Emendata ac latina dictio.175.
Emendatio Romanorum in litterarum ſtudiis 231.Auctorum fit vel uſu codicum, vel ingenio. 474.& ſeq.Eſt ſumme neceſſaria in edendis auctoribus *ibidem*.
Emendatio ſtili. 812.
Epiſcopi latine legere non poterant. 129.
Epiſtolarum auctores prius legendi,quam rhetores. 441.

Epiſtolarum conſcribendarum ratio : ſcriptores hujus argumenti: adminicula . 818. & ſeqq.
Eraſmi colloquia commendari haud merentur 448.: ejuſdem Ciceronianus. 765.
Errores magnorum virorum . 185.
Eruditio quid ſit, & quotuplex: vera, vel inſtrumentalis: generalis, & ſpecialis: humana, & divina . 869. & ſeqq.
Eruditionis fundamentum . 1.
Etymologia latinæ linguæ medii ævi. 268.
Etymologiæ ſcriptores. 371. ejus ſtudia lubrico nituntur fundamento. 376.
Etymologica lexica . 371., & ſeqq.
Excerpta linguæ latinæ : ſcriptores de hoc argumento . 758.
Exercitia ſtili . 802. & ſeqq. Romanorum veterum. 226. & ſeqq. Scriptores de hoc argumento. 225.
Eutropii vita, ſcripta, editiones, ſtilus, voces rariores . 601. & ſeqq.

F.

Fabri theſaurus eruditionis ſcholaſticæ. 360.
Fabri *Tanaquilli* epiſtolæ criticæ . 586.
Fabricii *Georgii* veteres grammatici. 264.
Facultates diſciplinarum quinque dantur; earum ordo. 2.
Faſtorum Capitolinorum auctor . 62.
Ferreum ſeculum; ejus latinitatis exempla; barbaries: ſcriptores . 127., & ſeq.
Flori vita, ſcripta, editiones, ſtilus . 649. & ſeqq.
Forum romanum, lexicon. 355.
Frigidum dicendi genus, & ejus cauſſæ. 186.
Friſchlini controverſia cum Cruſio 283.

Ga-

G.

Gaditana civitas 89.
Galli dicuntur barbari . 89. Scriptores latinæ linguæ. 710. & ſeqq.
Galliarum elegantes editiones; & judicia de eis. 494., & ſeqq.
Gallicilmus 194.
Gentilium ſcriptorum utilitas: teſtimonia in ſacris litteris. Gentiles ſcriptores ſunt legendi, & cum chriſtianis conjungendi 436. & ſeqq.
Geographiæ veteris cognitio neceſſaria 458.
Geographus quoſnam auctores legere debeat 654.
Geographicæ tabulæ editionibus auctorum adjungendæ ſunt. 486.
Germani olim dicti ſunt Gothi. 123.
Germani interpretes veterum auctorum, & eorum editiones. 516. linguæ latinæ ſcriptores. 734. & ſeqq.
Germanica lingua olim dicta fuit Gothica 123.
Germanico tribuitur translatio arateorum 62.
Germaniſmus. 196.
Gevartii electa. 577.
Gloſſæ an differant a lexicis; & quid ſignificent. 342.
Gloſſaria latina. 382.
Gloſſarium mediæ & infimę latinitatis Caroli du Fresne. 384.
Gloſſemata, Gloſſematarii, Gloſſographi, & Gloſſularii. 343.
Gothi quinam olim fuerint, & eorum lingua. 123.

Go-

Gothofredus *Dionyſius*; & ejus auctores latinæ linguæ. 259.

Græcarum litterarum Romanis prima cura fuit. 194.

Græci linguæ latinæ periti fuerunt. 136. Auctores a Romanis diligenter legebantur 194. 226. Eos Romani imitabantur. 230. 761.

Græciſmus, & quotuplex. 194.

Grammatica quid; præparat viam ad accuratam linguæ cognitionem. 880. a Romanis diſcebatur. 226. 248. critica. 255. cum logica conjungenda eſt. 6. 329. 879. ejus cultura 241. auctoritas. 334. differentia ab arte grammatiſtica. 248. 250. diviſio, natura & indoles. 4. 338. præcepta olim metrice tradebantur. 267. regulæ breviores tradi debent, & quidem lingua vernacula. 6. 330.

Grammatica latina. 326.

Grammatica exegetica. 255. ſine ea latina lingua non diſcitur. 330. non pertinet ad veram eruditionem. 874. philoſophiæ debet eſſe ſuperſtructa. 329. technica. 227.

Grammaticæ reſtauratores, & ſcriptores 269. metricæ fragmentum. 267. præcepta qualia eſſe debeant. 6.

Grammatice ſcribere aliud eſt, quam romane ſcribere. 242. 335.

Grammatici. 250. latini. 3. veteres recenſentur. 259. eorum munera, & diviſio. 255. 526. bibliothecis præfuerunt. 256. lexicorum curam geſſerunt. 343. varia eorum nomina 249. mediæ ætatis 266. recentiorum varia genera. 269. eorum vitia. 275.

Grammaticus quosnam auctores legere debeat. 574.

Gram-

Grammatiſta . 250.
Gratius, & de eo judicia . 60.
Gruteri *Jani* inſcriptiones . 305. theſaurus criticus . 553.
Grynæus Livii librum XLI. & quatuor proximos primum edidit . 492.
Gudii *Marquardi* epiſtolæ . 587.

H.

Hadrianus linguam latinam reformare cœpit. 86.
Harduinus Cæſaris hiſtoriam in dubium vocat . 600.
Helvetiæ interpretes auctorum . 516.
Heraldi adverſaria . 578.
Hiſpani interpretes veterum auctorum . 516. ſcriptores latinæ linguæ . 706.
Hiſtoria quid, quotuplex, & non pertinet ad veram eruditionem . 885.
Hiſtoria philologiæ philologo eſt neceſſaria . 10.
Hiſtoria philoſophica adminiculum eſt interpretationis veterum auctorum . 463.
Hiſtoria romana illuſtrat veteres hiſtoricos . 462.
Hiſtoriæ conſcribendæ ratio . 815.
Hiſtoriæ latinæ linguæ ſcriptores . 18.
Hiſtoriæ litterariæ natura . 887.
Hiſtoriæ latinæ linguæ utilitas, & neceſſitas. 138.
Hiſtorici prius legendi, quam philoſophi. 441.
Hiſtorici linguam latinam excoluerunt . 46.
Hiſtoricorum veterum interpretationis adminicula . 458.
Hiſtoricus ſtilus . 151.
De Hiſtoricis latinis ſcriptores . 27.

Hiſtoricus quoſnam auctores legere debeat. 654.
Homerus a Romanis primus legebatur. 194.
Homines ſunt cauſſa diverſitatis ſtili. 173.
Honore ſtudia aluntur. 89.
Horatius Flaccus. 55.
Horatii Flacci vita, ſcripta, editiones, ſtilus, ac judicia de eo. 663.
Humaniores litteræ quid ſint. 865.
Humaniorum litterarum indoles, & cultura. 868.
Humaniores litteræ cum philoſophia ſunt conjungendæ. non pertinent ad veram eruditionem, ſed ad eruditionem generalem inſtrumentalem. 868. *& ſeqq.*: dividuntur in philologiam, & hiſtoriam. 865.
Humanitas, & quid per eam veteres Romani intellexerint. 862. *& ſeq.*
Hungariæ ſcriptores latinæ linguæ recenſentur. 723.
Hyginus, & judicia de eo. 61.

I.

Jani templum primum ab Auguſto clauſum. 81.
Icones libris adjecti, an ſint utiles. 486.
Idiotiſmus quid, & an ſit virtus orationis. 197.
Imitatio eſt ſubſidium diſcendæ linguæ latinæ. 246. ejus hiſtoria, natura & indoles; non eſt cum plagio litterario confundenda: apud veteres jam in uſu fuit: eſt vel rerum, vel verborum, vel ſtili, vel latinitatis: vel ſimplex, vel ornata; ſuperſtitioſa, ſervilis: quinam ſint imitandi: quomodo

imitatio ſit inſtituenda : regulæ circa eam obſervandæ: exercitia imitationis. 761. *& ſeqq.*
Imitatio Ciceronis:ſuperſtitioſa:de ea controverſia Eraſmi. *Ibidem*.
De Imitatione ſcriptores:de imitatione Ciceronis ſcriptores. *Ibidem*.
Indices latinitatis : eorum uſus : editionum in uſum Delphini : rerum, & latinitatis auctoribus ſunt adjungendi. 417. *& ſeqq.*
Ingenium eſt cauſa diverſitatis ſtili. 161. : ejus ope emendantur auctores. 479.
Inſcriptio L. Scipionis. 41.
Inſcriptiones auctoritatem vocis cujuſdam probant. 180. inſerviunt orthographiæ. 304. : earum varietas. 104.
Inſcriptionum collectores. 305. conſcribendarum ratio. 846.
Interpretes auctorum veterum veteres,& recentiores. 490. *& ſeqq.*
Interpretationis auctorum veterum adminicula. 457. *& ſeqq.*
Interpretis veterum auctorum virtutes,& vitia. 480. *& ſeqq.*
Introductionum in litterarum ſcientias ſcriptores. 14. *& ſeqq.*
Itali interpretes veterum auctorum : variorum de iis judicia. 513. *& ſeqq.* ſcriptores latinæ linguæ. 682. 705.
Italiæ primi incolæ. 31.
Judices qui dicti ſint. 253.
Judicii cultura. 875.
Judicio excellentes quodnam ſequantur dicendi genus. 162.
Judiciorum ſcriptores. 26. *& ſeq.*

Junckeri editiones notantur. 519.
Junctura vocum debet eſſe caſta. 182.
De Jureconſultis latinis ſcriptores. 28.
Jureconſultorum latinitas. 111.
Juriſprudentia a Romanis exculta fuit. 861.
Juſtini hiſtorici nomen & ætas; ſcripta; editiones; ſtilus; voces rariores: judicia de eo. 643. & ſeqq.

K.

χαινισμὸς quid ſit. 198.

L.

Laberius *Decimus*, judicia de eo. 59.
Laconicum genus ſcribendi. 153.
L. Cantii vita, honores, ſcripta, editiones, ſtilus: conjungendus cum Cicerone. 674. & ſeqq.
Langobardi, & eorum lingua. 125.
Lapides inſerviunt orthographiæ. 304.
Latium. 28.
Latinitas ſeculi aurei. 62. docta, & plebeja. 118. politica, & curioſa, ac ſuperſtitioſa. 178. tranſlata, & propria. 205. ejus diverſæ ſpecies. 118. ſeculi ferrei. 129. jam ſub Cicerone corrumpi cœpit. 88. poetarum magis impura eſt quam rhetorum & oratorum. 64.
Latinitatis indices, & eorum uſus. 417.
Lectio medium latinæ linguæ excolendæ: quomodo inſtituenda: quotuplex: quinam legendi ratione ætatis, religionis, materiæ & argumenti, dicendi generis, ac ſtili. 433. & ſeqq. poëtarum. 655. ſolutæ orationis auctorum. 589. chriſtianorum. 670. recentiorum. 679.
Lectionis varii curſus: primus curſus gentilium.

lium. 446. ſecundus chriſtianorum: tertius recentiorum. 454. quartus græcorum, & latinorum conjunctim. 455.
Leges priſcæ. 38. 39.
Lexica philoſophica. 386. & ſeqq.
Lexicorum græcorum origo. 342. latinorum auctores ævi vetuſtioris, medii, & recentioris. 346. & ſeqq. eorum natura & indoles, ac uſus, & auctoritas. 424.
Lexicorum genus triplex. 424. etymologicorum ſcriptores. 371.
Liberales litteræ. 864.
Libertas in imitatione eſt fugienda. 756.
Librarii codices ſæpe corruperunt. 308. 475.
Libri ſunt media eruditionis. 886.
Libri manuſcripti inſerviunt orthographiæ. 307.
Librorum conſcribendorum ratio. 852. theologicorum, juridicorum, medicorum, & philoſophicorum. 854. & ſeqq.
Linguæ, earum cognitionem num ſine magiſtrorum ope acquirere poſſimus. 5. prius intelligi, quam ſcribi debent. 243. num felicius uſu, quam præceptis & lectione cognoſcantur. 239. philologo ſunt neceſſariæ. 11. non pertinent ad veram eruditionem. 874.
Lingua germanica, num ab ea latina orta ſit. 29. Caroli M. cura excolitur. 128. eam quidam inter Romanos cognitam habuerunt. 122.
Lingua Gothorum. 124.
Lingua græca cum latina eſt conjungenda. 196. ejus reſtauratores, inter quos Chryſolaras eam in Italia primus docuit. 135.

Kkkk 3 Lin-

Lingua hetruſca, & Italica. 211. & ſeq.
Lingua Langobardorum. 125.
Lingua latina. 18. ejus origo & fata inter Romanos. 18. 32. elegantior quomodo differat a vulgari. 119. ejus rufticitas, peregrinitas, urbanitas. 121. & ſeqq. uſu quidem, ſed non commode diſcitur 243. 332. haud diſcitur ſine grammatica 4. 243. 332. tempore Car. M. & poſt eum neglecta fuit 128. Auguſti tempore corrumpi cœpit. 65. 88. à Germanis excolitur. 213. à poetis primum excolitur. 42. dein ab hiſtoricis, & rhetoribus. 46. de ejus caſtitate & puritate difficile eſt diſputare. 177.
Lingua latina multa debet Græcis. 194. chriſtiana religione evecta fuit. 105. num ſit vocabulis novis augenda. 197. 793. & ſeq. 798. & ſeq. num peregrinæ voces in ea adhiberi queant. 196. ratio eam diſcendi 239. & ſeq. ſubſidia. 241. & ſeqq.
Linguæ latinæ nomina. 28. origo ejus, num a teutonica, an a græca lingua ſit trahenda. 29. progreſſus per varias ætates. 33. & ſeqq. tempora. 35. & ſeq. barbaries. 123. reſtitutio. 135. de ejus copia auctores. 395. & ſeq. de particulis ejus auctores. 402. & ſeqq.
Lingua romana, eſt eruditorum lingua propria. 223.
Lingua vernacula an magis quam latina ſit uſurpanda. 211. & ſeq.
Lipſii variæ lectiones. 576.
Litteræ ingenuæ, ſeu liberales. 864.
Litteræ Romanorum. 293. & ſeq.
Litterati, Litteratio, Litteratores, Litteratura,

ra, Litteriones. 249. & ſeqq.
De litteris Romanorum ſcriptores. 294.
Livii Patavini vita, ſcripta, editiones, ſtilus, variorum de eo judicia, & ejus patavinitas. 636. & ſeqq. libr. XLI. & quatuor proximos edidit Grynæus. 492.
Logica veritas. 874.
Longobardi, vide *Langobardi*.
Longolius nimis ſcrupuloſus Ciceronis imitator 137. 216.
Λογόφιλοι 251.
Lucretii ætas. 46.
Lumen cognoſcendi duplex datur. 873.
Luſitaniæ ſcriptores latinæ linguæ. 706.
Lydi. 31.
In Lyricis excelluit Horatius. 55.

M.

Magiſtri primi, & ad prima elementa. 250.
Mallotes primus Romanorum grammaticus. 249.
Manilius, & de eo judicia. 60.
Mareſii epiſtolæ philologicæ. 586.
Marſicum bellum. 89.
Media culturæ latinæ linguæ. 5. & ſeqq.
Medici latinam linguam excolentes. 69. 70. 654.
Medici Salernitani. 134.
Medicinæ artis indoles. 2.
Medicus quoſnam auctores legere debeat. 654. 856.
Melancholici inclinant ad ſtilum humilem. 162.
Metaphoras pro lubitu fingere non licet. 206.
Metaphorica latinitas. 205.
Metrum poeſeos ſæpe negligitur, & exempla adducuntur. 99. Mi-

Migratio litterarum græcarum e Grecia in Italiam. 136.
Minorum præcipuus ſcriptor eſt Decimus Laberius. 59.
Minellianæ editiones. 512.
Minucii Felicis vita, ſcripta, editiones, ſtilus, & voces rariores. 672. & ſeqq.
Modus ſcribendi eſt cauſſa diverſitatis ſtili. 174. & ſeq.
Monachorum ſtudium grammaticum. 267.
Monoſyllaba plura male continuantur. 203.
Mutatio ſtili, 809. & ſeq.
Mythographi. 464.

N.

Neceſſitas latinæ linguæ. 223.
Neoteriſmus quid ſit. 197.
C. Nepotis vita, ſcripta, & editiones; ſtilus, & voces rariores. 593. & ſeqq.
Nizolii theſaurus Ciceronianus, & quæ in eo deſideranda. 407. & ſeqq.
Nomenclatores. 379.
Notarii Romanorum. 318.
Notæ celeritati ſcribendi inſervientes: earum genera: de eis ſcriptores. 317. & ſeqq.
Notæ auctorum explicare debent res, & verba: earum virtutes: diverſus reſpectus. 480. & ſeqq.
Numerus oratorius, & ſimplex. 204.
Nummi inſerviunt orthographiæ. 307. libris inſerti num ſint utiles. 486.
Numariæ rei Romanæ ſcriptores. 306.

O.

Ὀβελίζειν. 546.
Obſcuritatis ſtili cauſſæ. 200. 224.
Obſervatio latinæ linguæ, ejus indoles, & diver-

verſitas : reſpicit vel ſtilum, vel voces. 747. & *ſeqq.* de excerptis linguę latinę inſtituendis. 758. eſt ſubſidium addiſcendæ linguæ latinæ. 245.
Oenotri. 31.
Obſervationes, vide *notæ*.
Onomaſtica. 344.
Orationis cultioris virtutes, & diverſa genera. 814.
Orationum conſcribendarum ratio. 828. & exercitatio. 836.
Orator optimus eſt Cicero. 52.
Oratorum virtutes. 832. & *ſeq.*
Oratores nulli dantur ante bella Punica. 34. 46. multi fuerunt Auguſti tempore. 65. linguam latinam excoluerunt. 46.
Oratores legendi ſunt ante poetas. 656.
De Oratoribus latinis ſcriptores. 27.
Oratorius numerus. 204.
Organon latinæ linguæ Praſchii. 235.
Origines vocum latinarum lubrico ſæpe nituntur fundamento. 376. earum ſcriptores. 371.
Orthographia latina quatuor modis corrumpitur, & ejus barbariſmus. 184. archaiſmus. 191. ſcriptores. 299. & *ſeqq.* ejus ſubſidia ſunt inſcriptiones, numiſmata, codices manuſcripti, analogia, & etymologia. 304. & *ſeqq.*
Orthographia medii ævi. 268.
Orthographiæ ſtudioſus ſit cultor linguæ latinæ 331.
Oſtraciſmus litterarius. 440.
Ovidii Naſonis vita, ingenium, ſcripta, editiones, ſtilus; quinam illius libri ſint legendi. 658.

658. & ſeqq. judicia de eo. 57.

P.

Pædantiſmus. 224. quid ſit. 893.
Pagani ſcriptores ſunt legendi: eorum utilitas: cum chriſtianis ſunt conjungendi. 436. & ſeqq.
Paracelſi latinitas. 187.
Particularum latinæ linguæ uſus. 406. varia genera. 783. de eis ſcriptores. 402. & ſeqq.
Patavinitas Livii, de qua ſcripſit Morhofius. 25. 193.
Paullus Apoſtolus legit paganos auctores. 436. & ſeq.
Pedo Albinovanus, & de eo judicia. 61.
Peregrinitas latinæ linguæ idem eſt ac idiotiſmus. 193. & ſeqq.
Permutatio imitationis quotuplex. 785.
Perottus auctor habetur fabularum Phædri. 591.
Perſius, & de eo judicia. 72.
Perſpicuitas ſtili. 199. 224. 756.
Petrarcha Ciceronis epiſtolas Vercellis reperit. 492.
Petronius Arbiter, ac de ejus ætate, & ſtilo. 76.
Phædri vita, ſcripta, editiones, ſtilus, & voces rariores. 590. & ſeqq.
Phædrus eſt omnium primus legendus. 453.
Philologi, & eorum virtutes. 10. & ſeqq. quoſnam auctores legere debeant. 655. qui fuerint apud Romanos. 251.
Philologia idem eſt ac eruditio. 3. ſtricte ſic dicta. 10. 883. ejus ſcriptores. 13. & ſeqq.
Philoſophi quoſnam auctores latinæ linguæ legere debent. 463. 654. Roma eiiciuntur. 90.
Philoſophia. 2. cum eloquentia, & philologia eſt

eſt conjungenda. 10. 11.
Philoſophorum ſcholaſticorum vocabula. 186. 797.
Phraſium latinarum collectores. 395 406.
Piccarti pericula critica. 579.
Plautus num primus legendus. 452, ejus latinitas. 43. 452.
Plinii Cæcilii ſecundi vita, chriſtianiſmus, ſcripta, editiones, ſtilus, voces rariores, & grecæ. 632. & ſeqq.
Poeſis quid ſit. 10. eſt vel ſoluta, vel ligata: ejus dignitas. 882. non omnibus eſt commendanda. 883.
Poetæ latini antiqui. 657. num ſint legendi. 442. 655. multum adjuvant linguam latinam. 441. conjungendi cum ſcriptoribus ſolutæ orationis. 656. chriſtiani non ſunt negligendi. 669. primi latinam linguam excoluerunt. 42. metrum ſæpe negligunt. 99. ſeculi ferrei ornatiores fuerunt, quam oratores. 127. eorum ſtilus, & latinitas. 50.
Poetarum auctoritas ſola non probat. 180. eorum interpretationis adminiculum. 464. obſcuritas. 656. latinitas. 658.
Poeticus caracter. 443.
De Poetis latinis ſcriptores. 26.
Poggius auctores veteres quoſdam in lucem protraxit. 492.
Politianus *Angelus* ſacras litteras aſpernatus eſt. 220.
Polyhiſtores qui ſint. 253.
Pompejopolis. 187.
Præceptores in cauſſa ſunt ſeneſcentis latinitatis. 208.
Præſtantia linguæ latinæ. 221. de ea ſcriptores. 209.

De

De Præſtantia latinæ linguæ controverſiæ. 211. alii peccant in defectu, alii in exceſſu. 216. & ſeqq.
Programmatum conſcribendorum ratio. 849.
De Pronuntiatione latinæ linguæ nil certi poteſt tradi: de ea ſcriptores. 297. & ſeq.
Propertius, & judicia de eo. 57.
Proſodiæ barbariſmus. 185. ſcriptores. 323. medii ævi. 268.
Proverbium quid, & eorum ſcriptores. 420. & ſeqq.
Provinciarum latinitas, & eloquentia. 122.
Prudentius commendatur. 669.
Publius Syrus mimus. 59.
Puritas ſtili eſt orationis princeps decus. 63. ejus fundamenta. 177.
Putſchii *Eliæ* grammatici veteres. 261. & ſeq.

Q.

Q., num huic litteræ inſit vis τῆ V. 322.
Quantitas ſyllabarum pertinet ad grammaticam. 323.
Quinctilianus auctor creditur dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ. 79.

R.

Recentiores latinæ linguæ ſcriptores. 682. & ſeqq. num præferendi ſint veteribus. 434. 681. cum veteribus ſunt conjungendi. 435. quidam in philologia, non ſtilo excelluerunt. 680.
Recitatio Romanorum. 231.
Reineſii variæ lectiones. 580. & epiſtolæ. 585.
Res ſunt cauſſa diverſitatis ſtili. 174.
Retractatio Romanorum. 231.
Reyheri theſaurus latini ſermonis. 369.
Rhenanus primos duos libros Velleii Paterculi edidit. 492.

Rhetorica quid: ejus munus; diviſio; & utilitas. 9.880. *& ſeq.*
Rhodium genus dicendi. 152.
Richerii lectiones antiquæ. 571.
Roma num ante Romulum condita. 30. primum a Græcis incolis habitata fuit. 31. *& ſeq.* ejus latinitas. 28. *&* 29.
Romane ſcribere aliud eſt, quam grammatice. 242.
Romanorum veterum ſtudia. 86. *& ſeq.*
Romani veteres primum linguam græcam diſcebant. 194. Græcos imitati ſunt. 762. ab Homero fecerunt auſpicium. 194. elementa ſtudiorum domi diſcebant. 226. diſcebant grammaticam. 226. 248. legebant auctores græcos. 194. 226. modus eos legendi 227. obſervabant ea, quæ ſtudiis ipſorum erant ſalubria. 229. addiderunt imitationem, & qualem. 230. 761. ſcripta ſua recitabant. 231. græcam linguam diſcebant. 863.
Ruſticitas linguæ latinæ. 120. *& ſeq.*

S.

Sacerdotis cujuſdam latinitas 129.
Sacrificuli cujuſdam latinitas. 129.
Salernitani medici. 134.
Salii. 38.
Salluſtii Criſpi vita, ſcripta, editiones; ſtilus, græciſmi, & archaiſmi: variorum de eo judicia. 618. *& ſeq.*
Salluſtius e ſcholis non eſt eiiciendus. 623.
Salmaſii exercitationes Plinianæ. 578.

Sanctii Minerva.271.
Sanguinei ſequuntur genus ſcribendi circumductum 162.
Sanitas corporis eſt bonum abſolutum. 871.
Sapientiæ indoles.1.& 2.
Sarravii epiſtolæ.586.
Schotti quæſtiones humanæ. 577.
Scioppii grammatica philoſophica. 274. ars critica. 574.
Scipionis inſcriptio.41.
Scribæ codices ſæpe corruperunt.475.
Scriptores Anglici.502.718. argentei ſeculi. 67.*& ſeqq.*argutiarum ſtili conciſi. 158. *& ſeqq.* Belgici.504.724.caſtitatis latinæ linguæ.391.*et ſeqq.*chriſtiani.437.*et ſeq.* 670. critici.529.553.*et ſeq.* cultura latinæ linguæ.231,*& ſeqq.*Dani.516.720. elegantiarum.324.*& ſeq.*epiſtolarum conſcribendarum.819.etymologiæ.371.excerptorum latinæ linguæ.759. exercitiorum ſtili veterum Romanorum. 225.*& ſeq.* ferrei ſeculi.135.Galli 494.710.gentiles.437.geographici. 654. Germani. 516. *et ſeqq.* 734.*& ſeqq.* 744. grammatici. 259.279. 290.339. *& ſeqq.* Helvetii.516. Hiſpani. 516.706. *& ſeqq.* hiſtoriæ latinæ linguæ. 18.hiſtorici. 654. hiſtorici latini. 27. Hungari. 723. *& ſeqq.*imitationis.773.*& ſeq.*imitationis Ciceronis.776. inſcriptionum. 305.interpretes veterum auctorum.490. *& ſeqq.* introductionum in litterarum ſcientias. 14. *& ſeqq.* Itali.513.682.*& ſeqq.*judiciorum.26. jureconſultorum.28.
Scriptores latinæ linguæ differunt ratione æta-

ætatis,materiæ, dicendi generis, & ſtili.7. 434.*& ſeq.* qui legendi, vide *Lectio*: qui imitandi, vide *Imitatio*.

Scriptores lexicorum etymologicorum. 371. lexicorum latinorum ævi vetuſtioris, medii, & recentioris. 346. *& ſeq.* lexicorum philoſophicorum. 387. litterarum Romanorum. 294. medici. 69. 654. mimi. 59. notarum. 320. numariæ rei Romanæ. 306. oratorum latinorum. 27. originum vocum latinarum. 371. orthographiæ. 299. pagani. 436. particularum latinæ linguæ. 402. philologiæ. 13. 655. philoſophiæ. 463. 654. phraſium latinarum. 395. 406. poetici antiqui. 657. poetici chriſtiani. 669. de poetis latinis. 26. præſtantiæ linguæ latinæ. 209. pronuntiationis latinæ linguæ. 298. proſodiæ. 323. proverbiorum. 420. recentiores. 434. 682. quidam in philologia; non ſtilo excelluerunt 680. *& ſeq.* quinam legendi. 434. ſtili. 142. *& ſeq.* Sueci. 516. ſyntaxeos. 324. typographiarum. 470. veteres. 589. *& ſeq.* vitæ, & ingenii monimentorum latinorum auctorum. 26. vocum veteris latinæ linguæ. 378.

Scriptura breviata. 317.

Seculum latinæ linguæ æneum. 103. ejus ſcriptores. 91. Aureum. 50. ejus indoles. 62. ſcriptores. 50. Argenteum, & ejus ſcriptores. 67. 85. Barbarum, & incultum. 123. Ferreum. 127. ejus exempla latinitatis, barbaries, & ſcriptores. 129. *& ſeq.* ſemibarbarum. 42.

Sedulius. 669.

Senecæ utriuſque vita, ſcripta, editiones, ſtilus, voces rariores. 651. & ſeq.
Severus *Cornelius*, & de eo judicia. 59.
Sheldonianum theatrum. 504.
Siglæ. 320.
Sigiſmundus jus grammaticæ ſibi vindicavit. 243.
Significatio verborum eſt vel propria, vel impropria: vel proba, vel barbara. 424. & ſeq.
Significationis vocum regulæ. 755.
Silii Italici nomen, vita, ſcripta, editiones, ſtilus; & de eo judicia. 667. & ſeq.
Slavi. 124.
Solis civitas Ciliciæ. 187.
Solœciſmus quid ſit: derivatio vocis: ab eis nec Cicero immunis eſt. 188.
Solutio carminis. 807. & ſeq.
Stephani *Roberti* dictionarium. 352.
Stephani *Henrici* pſeudo Cicero. 771.
Stilus: ejus ſignificatio, orthographia, derivatio, & diviſio. 149. & ſeq. de eo ſcriptores. 342. & ſeq. ejus diverſitatis cauſſæ. 161. 173. virtutes. 175.
Stili purioris doctrina. 241. & ſeq.
Stili exercitationes ſunt, variatio, verſio, carminis ſolutio, mutatio, emendatio, & elaboratio propria. 802. & ſeq.
Stili exercitia veterum Romanorum; & ſcriptores hujus argumenti. 225. & ſeq.
Studia aluntur honore 89. Romanorum veterum. 361. & ſeq.
Suavitas ſtili. 202. 757.
Sueciæ interpretes auctorum veterum 516.

Sue-

Suetonii vita, ſcripta, editiones, & ſtilus 647. & ſeq. ab Harduino inter ſuppoſitos ſcriptores refertur. 648.
Sulpicii Severi vita, ſcripta, editiones, ſtilus, & voces rariores. 676. & ſeq.
Syntaxis quotuplex. 328. ejus archaiſmi. 191. & ſeq. ſcriptores. 324. uſus. 329.

T.

Tabulæ geographicæ editionum Cellarii laudantur. 519.
Tabularum XII. legum ſtilus. 38.
Tabulas geographicas editionibus auctorum adiungere, utile eſt. 486.
Taciti Cornelii vita, ſcripta, editiones, & ſtilus. 640. & ſeq.
Tacitus Cornelius auctor creditur dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ. 79.
Temperamenta num cauſſæ ſint diverſitatis ſtili: non adeo conjuncta ſunt cum propenſionibus. 162. & ſeq.
Terentius. 44. non primus legendus. 451. ſed ultimo loco. 452. 654. imitatus eſt Menandrum. 230. 762.
Theſaurus eruditionis ſcholaſticæ Fabri. 360.
Tiberius litterarum ſtudia negligit. 91.
Tibullus, & judicia de eo. 56.
Titii locorum controverſorum libri X. 577.
Translatio ex latina in germanicam linguam, & ex hac in illam commendatur. 805.
Triſtium Naſonis libri num de triſtibus, an tri-

triſtium ſint inſcribendi. 660.
Trojanis an originem debeant Romani 32.
Turnebi *Adriani* Adverſaria. 568.
Turſellinus *Horatius* de particulis latinæ orationis. 403.
Typographi eruditi 470. 505. 516.
Typographiæ origines. 469.

V.

Vargas latinitas. 129.
Variatio grammatica, & rhetorica. 803.
Varietas locutionum. 782. & *ſeq.*
Varronis eruditio. 51.
Velleii Paterculi vita, honores, ſcripta, editiones; ſtilus, & voces rariores. 624. & *ſeq.* primos duos libros Rhenanus edidit. 472.
M. Verrius Flaccus quid ſcripſerit. 62.
Verſio duplici modo inſtituitur. 805.
Veteres auctores quinam legendi. 589. an præferendi recentioribus. 434.
Vetuſtas codices corrupit. 475.
Victorii *Petri* variæ lectiones. 570.
Virgilius imitatus eſt Homerum. 230. 763.
Virgilii vita, ſcripta, editiones, & ſtilus 661. & *ſeq.*
Virgilius quomodo legendus 663.
Virorum magnorum errores in metro. 185.
Virtutes ſtili, nempe puritas. 175. perſpicuitas. 199. ſuavitas 202. dignitas. 205.
Vitæ auctorum culturam latinitatis multum juvant. 468.

Vi-

252278

Vitruvii ſcripta, & judicia de eo 58.
Vocabula nova an poſſint recipi. 793. eorum auctoritas. 813.
Vocabula technica chriſtianorum ſcriptorum uſurpari debent. 793. 796.
Voces novas, & græcas multas introduxerunt chriſtiani ſcriptores. 672.
Voces interdum ſtilum obſcurum reddunt. 200. multæ latinæ linguæ in deſuetudinem venerunt. 193. aliquæ immerito reiiciuntur. 176.
Vocum latinarum auctoritas, ſignificatio, junctura. 754. *& ſeq.*
Vocum veteris latinæ linguæ ſcriptores. 378.
Voſſii *Jo: Gerhardi* Ariſtarchus. 279.
Urbanitas latinæ linguæ. 121.

FINIS.

50246

RICCA
LEGATORIA DI LIB
17

Digitized by Google